BIBLIOTHECA REFORMATA.

VOLUMEN QUINTUM.

D. HIERON. ZANCHII

COMMENTARIUS IN

EPISTOLAM SANCTI PAULI

AD EPHESIOS.

PARS PRIOR.

EDIDIT

A. H. DE HARTOG

LITT. HUM. D'. HOSPITII ACADEMICI REGENS.

AMSTELODAMI, MDCCCLXXXVIII.

Sumptibus Societatis pro edenda Bibliotheca Reformata.

Apud JOANNEM ADAMUM WORMSER.

L. S.

Pars prior exquisiti hujusce in doctrina exegetica speciminis, ex operibus Zanchii *desumti, in lucem emittitur; quae, D. V., in altera parte, utcunque latiore ambitu, continuabitur et ad finem perducetur.*

Nonnulla, quae praemonenda habeo de auctore, necnon de operibus ejus, in primis exegeticis, et quae porro in pagina ista scribenda occurrant, alteri parti, mox spero edendae, inserere mihi proposui. Quae ut prospere succedant Deus optimus benevolenter prospiciat!

A. H. DE HARTOG,

Litt. hum. D^R^. Hospitii academici Regens.

Scripsi Calendis Decembr. MDCCCLXXXVIII.

INDEX

D. HIERON. ZANCHII
COMMENTARIUS IN
EPISTOLAM SANCTI PAULI
AD EPHESIOS.
PROLEGOMENA.

I. *Epistolae autor & dignitas.*

In more positum est apud omnes fermè literarum professores, ut qui librum aliquem sunt interpretaturi, ii de laudibus et autoris et libri: de causis suscepti libri ad explicandum: de methodo etiam, qua usuri sunt, nonnihil suis praefentur auditoribus. Mihi verò epistolam hanc interpretaturo, de ejus autore, deque autoris laudibus aliquid ut dicam, non modò est necesse, verùm etiam perabsurdum planè esse videtur.

1. Cùm enim verus primariusque autor sicut reliquarum scripturarum, sic etiam hujus epistolae sit Spiritus sanctus, verus Deus, autor & distributor donorum omnium in sanctis hominibus, & qui Paulo tanquam Amanuensi ad hanc conscribendam usus est: quid à me quaeso apud Christianos, vera pietate praeditos, ineptius fieri possit, quam si vel Spiritum sanctum laudibus, more Oratorum, celebrare, vel de Paulo Apostolo, quis & qualis fuerit, de ejus vita, officio, dignitate, virtute, prolixam orationem habere velim? Praestent hoc Rhetores, & quidem apud eos, quibus haec sunt ignota. Mihi certè piis Lectoribus haec scribenti, & Theologi, non autem Oratoris munus obeunti, haec non conveniunt: & doctrina potius Apostoli, imò Spiritus sancti per Apostolum tradita, sincerè & diligenter explicanda est, quam aut illius, aut istius laudes celebrandae. Ac si quid de Paulo dicendum est: dicam in explicatione τῆς ἐπιγραφῆς 2. De laudibus etiam Epistolae ipsius, non est, cur multa à me exspectentur: cum neque ipsa egeat commendatione mea, neque quispiam in doctrina Apostolica vel mediocriter versatus ignoret, quanta sit tum omnium simul S. literarum, tum singularum partium dignitas atque autoritas: & quòd *omnis scriptura divinitus sit inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quae est in justitia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum formatus:* eóque Epistolam hanc tanquam certum Dei verbum, vera fide amplectendam, summaque diligentia & attentione audiendam legendàmque nobis esse nesciat.

II. *Causae Explicationis.*

Illud verò praeteriri nullo modo debet, quibusnam de causis ex tam multis Novi Testamenti libris, hanc Pauli ad Ephesios epistolam explicandam & evul-

evulgandam susceperim. Sunt hae causae & plures & graves: quarum observatio non parum & ad rem nostram facere, & ad epistolae ipsius tum summam percipiendam retinendàmque, tum dignitatem majestatemque contemplandam pertinere videtur. Sunt enim omnes ex epistola ipsa, cum nostris collata temporibus, desumptae.

1. Ac prima quidem à *scopo* Apostoli in hac Epistola sumitur. Is autem fuit ut Ephesinam Ecclesiam, et singula ejus membra, ad perseverantiam constantiàmque in fide Christi, & in observantia mandatorum ejus, & vero etiam ad incrementum in utraque parte faciendum adhortaretur, atque animaret: neve à doctrina Apostolica jam recepta, ab ullo mortalium, propter suas persecutiones & vincula, aut propter multitudinem Doctorum aliter docentium & autoritatem, sese abduci permitterent. Quid autem hac adhortatione congruentius nostris temporibus magisque necessarium esse potest? Videmus enim & quanta sit falsorum Doctorum multitudo atque autoritas: & contra quam graves sint piorum doctorum & pastorum eorùmque discipulorum persecutiones ac cruces: ita ut non paucos à puritate doctrinae antea receptae turpissimè deficere videamus. Fuerit igitur operae pretium in hac Epistola observare rationes & argumenta, quibus ad perseverantiam in fide & obedientia excitari possimus. Pertinet enim ad nos haec Epistola non minus, quam olim ad Ephesios.

2. Altera causa à *materia*, quae in hac tractatur continetùrque Epistola, petita est. Est haec Epistola ceu Epitome totius doctrinae Christianae, & omnium fermè praecipuorum locorum communium, qui in Theologia tractari solent, compendium. Confirmaturus enim Apostolus Ephesios, quos ipse instituerat in vera doctrina Evangelii hortaturùsque ad constantiam in ea fide, quam à se didicerant: summam totius doctrinae revocat illis in memoriam, initio facto à Deo Patre, à quo tanquam à fonte omnia in nos profluunt bona per Christum: quorum beneficiorum primum est aeterna & gratuita in Christo nostri electio ac praedestinatio. Inde transit ad redemptionem, quatenus in persona Filii peracta fuit. Tum quomodo illa nobis communicetur, ejùsque fiamus reipsa participes, per Evangelii scilicet praedicationem, si fide illud amplectamur, firmùmque in finem usque retineamus: & quidem electos omnes constanter illud retinere, quòd obsignati sint Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo certae haereditatis nostrae coelestis, in nobis permanens usque in diem perfectae redemptionis, quae futura est in fine Mundi. Interim tamen docet, curandum esse & precibus, & exercitiis fidei ac charitatis, studiòque bonorum operum, ut crescamus in vera pietate, in cognitione Dei ac Christi, quem Pater toti Ecclesiae caput constituit. Nos quidem omnes natos esse in peccatis, & filios irae: servatos tamen per gratiam Dei, donatòsque fide, & regenitos, ut in bonis operibus, ad quae creati sumus in Christo, ambulemus. Ideò verò legem mandatorum in multis decretis positam, abrogatam esse, ut uterque populus, Judaeus & Gentilis, diruta illa macerie, in unum coïrent, fierèntque unus novus homo, per eundem Spiritum sanctum, sub uno capite Christo, à quo vitam & incrementum accipiamus: qui etiam in hunc finem, postquam ascendit in coelum, supra omnes Angelos exaltatus, misso Spirito sancto, publicum Ecclesiae ministerium stabilivit, ad instaurationem nimirum Sanctorum, & aedificationem corporis sui,

sui, quod est Ecclesia, & ut crescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christum: nec ambulemus amplius, sicut reliquae Gentes, in peccatis, & in vanitate sensus nostri, sed exuentes in dies magis ac magis veterem hominem, induamus novum, & in sua quisque vocatione dignè ambulet.

Loci communes hujus Epistolae.

1. Ad summam, habemus in hac Epistola locos fermè omnes Theologiae praecipuos: de Deo uno, in tribus personis subsistente, Patre, Filio & Spiritu sancto: de Dei omnipotentia, sapientia, bonitate, misericordia, φιλανθρωπίᾳ, gratia: item de aeterna & gratuita praedestinatione: de creatione Mundi: de Angelis, diversisque eorum gradibus, supra quos omnes exaltatus est Christus, cap. 1.

2. Ad haec locum de peccato originali & actuali: de promissionibus salutis futurae in Christo: déque foedere inito cum Patribus, de Lege, déque ejus abrogatione, cap. 2.

3. De adventu Christi in carne in plenitudine temporum, de duabus ejus naturis, vera Deitate, & vera humanitate, de vera ejus morte, resurrectione, veràque & reali in coelum ascensione, cap. 1. 2. 4. De redemtione & reconciliatione in persona Christi peracta, cap. 1 & alibi.

4. De hujus redemtionis salutisque aeternae communicatione: eam enim offerri per Evangelium, recipi per fidem, obsignari per Spiritum sanctum, cap. 1. 2. 3. & alibi. Recipi inquam per fidem vivam, quae absque studio bonorum operum esse non potest. De fide igitur vera, déque bonis operibus agit cap. 2. De Evangelii predicatione, cui fides innititur, cap. 1. 2. eoque & de ministerio verbi déque ministris ad hoc delectis & vocatis, cap. 1. 2. 3. 4.

5. De Sacramentis quibus non solum promissiones Evangelii obsignantur, sed etiam res per ipsa significatae exhibentur credentibus, cap. 5. Mundari enim ait Ecclesiam lavacro aquae in verbo.

6. De Ecclesia igitur, quae constat ex Electis, tam Gentibus, quam Judaeis, & quae sola particeps reipsa sit redemtionis salutisque aeternae, agit cap. 1. 2. & 5. De vera unione Ecclesiae, & singulorum fidelium cum Christo, cap. 2 & 5. De perpetuo pietatis incremento, perseverantiaque sanctorum in Christo, cap. 1. 2. 4. De unitate Ecclesiae per concordiam inter nos servanda.

7. De vita Christiana, déque variis virtutibus persequendis, & vitiis fugiendis, cap. 4. 5. 6. De summa pietatis Christianae, quae à nobis exigitur, eam in fide in Christum, & caritate in sanctos consistere, cap. 1.

8. Denique de resurrectione à mortuis: de judicio universali, in quo quisque recipiet à Domino, quicquid fecerit boni vel mali, cap. 6. De ascensione item piorum in coelum, dèque vita aeterna, ad quam omnes, qui in Christum credimus, sumus electi & vocati: ubi in perpetuum laudaturi sumus Dominum. Omnia enim reliqua & praecedentia beneficia in hunc finem spectare, ut simus in laudem gloriae gratiae ipsius: laudem inquam perpetuam, cap. 1. 2.

Cum igitur Apostolus summam totius doctrinae Christianae hac brevi Epistola complexus sit; ego verò ad hoc à Deo vocatus sim, ut pro mea virili parte sacras literas

literas interpretando, Theologiam non minus breviter, quam perspicuè doceam: judicavi me facturum operae pretium piis omnibus, si hanc verè divinam Epistolam interpretandam susciperem: locosque Theologicos, qui in singulis capitibus sese offerunt, aut breviter explicarem, aut saltem indicarem. Haec est altera instituti mei causa.

3. Accedit tertia, quod si quae alia Pauli Epistola, haec certè ad Ephesios firmissima & non pauca continet argumenta adversus pestilentissimas hujus temporis haereses; adversus novos Arianos, Nestorianos, Eutychianos, Pelagianos, quemadmodum suis videbimus locis. Quid enim clarius adversus Pelagianos, hostes gratiae Dei, c. 1 & 2? Ubi de gratuita electione, abundè, deque gratuita redemtione, & ad Christum vocatione ac justificatione disserit: ubi totam nostram salutem, & quicquid ad illam pertinet, sive fides sit, sive opera, non ex nobis, sed ex mera Dei gratia esse demonstrat? Quid efficacius adversus Nestorianos illos, quam quod scribit in cap. 4? Eundem planè esse, seu eandem personam Filii Dei, quae ascendit in coelum, quae etiam prius descenderat? Quidve etiam magis refellit somnium de coelo ubiquitario, quàm antithesis, quam ibidem habet inter inferiores partes terrae, & inter supremum coelum, in quod ascendit Christus? Nihil quoque clarius explicat, quid sit sedere Christum ad dexteram Patris, eo quod habetur in cap. 1. Ubi docet, Christum non ante sedisse ad dexteram Patris, nisi postquam resuscitatus à mortuis, ascendit in coelum: & quidem sedere eum non ubique, aut in terra, sed in supercoelestibus locis: atque hoc nihil aliud esse, quàm eum factum esse Dominum & regem universorum, constitutum supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, id est, non solùm supra omnes homines, sed etiam supra omnes Angelorum ordines, quatenus scilicet Mediator est: non igitur humanam Christi naturam exaequatam esse naturae divinae, qua Filius semper aequalis fuit Patri: sed tantùm supra omnia creata, supràque omnes Angelos exaltatam in persona Mediatoris. Non abs re igitur hanc in hoc tempore Epistolam enarrandam explicandamque suscepi.

4. Addam & hoc, Epistolam hanc plenam esse *Consolationum* adversus omnia tentationum genera. Iis enim opus habebant fideles in Ecclesia Ephesina: praesertim cùm scirent suum Apostolum Romae esse captivum: & hac etiam de causa misit ad eos Tychicum. Non minus certè nos egemus consolationibus, qui propter Christum, veritatémque doctrinae, variis premimur calamitatibus, diversis expositi sumus periculis, domo denique & foris affligimur. Fuerit igitur omnibus Epistolae hujus explicatio, ut confido, utilissima. Quod ut faxit Deus, eum ex toto corde precor, atque obsecro.

III. Epistolae Methodus.

Neque etiam abs re fuerit, si quid de methodo, qua usuri sumus, & in hac & in aliis Epistolis explicandis dicamus. Cùm duplex sit docendi, tradendarùmque scientiarum ac disciplinarum methodus, ut prudenter docuit Aristoteles, *συνθετικὴ καὶ αναλυτικὴ*: mihi quoque utrâque utendum est, sed suo quaque loco. In explicandis scripturis, *ἀναλὺσεί* opus est: quia demonstrato in primis autoris

ris

ris scopo atque proposito, ad quod omnia quae scribit, referuntur, totum corpus Epistolae, in suas partes, totáque doctrinae summa in certas propositiones, & propositionum confirmationes, tanquam in sua membra resolvatur. In colligendis verò locis Theologicis è sacris literis jam explicatis, συνθεσις seu methodus συνθετικὴ necessaria est, qua ex contextu, quem interpretamur, varias de eodem dogmate propositiones, earumque confirmationes distinctè, certòque & ad docendum accommodato ordine, in unum colligere atque componere docemur, aliis etiam aliundéque adductis, si opus sit, probationibus.

Sumus autem, ut scitissimè docuit Augustinus faciendum esse, scripturas per scripturas, explicata prius genuina verborum & locutionum significatione, interpretaturi: ad analogiam regulàmque fidei omnia examinantes, atque etiam, quoad ejus fieri poterit, à pia vetustate non recedentes. Neque tamen obstringi volumus, quia non expedit, interpretationibus Patrum: sicut etiam illas non facilè aut temerè rejicere solemus. Regulam ipsimet Patres nobis praescribunt, quantum debeamus ipsorum scriptis tribuere: nempe si quid consentaneum sit cum sacris literis, illud esse retinendum: si quid dissentaneum, illud rejiciendum. Legantur hac de re canones non pauci in Decret. destin. 9. Regulam hanc servavit ipse Augustinus, & servandam esse docuit: ideò (ut ibidem can. 10. habemus) ita conclusit: *Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum:* nempe liberos, ut probent probanda, & improbent improbanda. Eatenus autem aliquid probari potest in Theologia, quatenus consentaneum est cum sacris literis. Absit autem à nobis, & à mente oréque cujusque Christiani, blasphemia illa, qua nonnulli scribunt, sacras literas ita obscuras & ambiguas esse, ut earum sensus non ex ipsis scripturis, sed ex Patrum scriptis, & ex autoritate Ecclesiae petendus sit: quasi verò Deus in sacris literis, quas D. Greg. vocat Epistolam Dei ad omnes missam, aut noluerit, aut non potuerit ita loqui, ut à nobis intelligeretur. Non rejicimus tamen, ut diximus, Patrum aliorùmque Doctorum interpretationes: sed servata ea regula, quam paulò antè adduximus ex Augustino, & quam Patrum omnium regulam esse diximus: Solis enim scripturis simpliciter credendum est.

EPISTOLAE AD EPHES.

Cap. I.

Paulus Apostolus &c.

Epistolae partes.

Epistola haec in duas primarias secatur partes: in ἐπιγραφήν, & in corpus substantiamque ipsius Epistolae. Nomine autem ἐπιγραφῆς complector non solum inscriptionem, ad quosnam scripta fuerit Epistola, verùm etiam ipsam autoris subscriptionem seu ὑπογραφὴν & salutationem.

Tria igitur sunt hujus ἐπιγραφῆς membra. 1. Primum declarat quisnam & Episto-

Epistolam scripserit, & salutem dicat: nempe *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*: 2. Alterum, quibusnam & Epistola scripta sit, & salus dicta, nimirum *Sanctis qui erant Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu.* 3. Tertium ipsam continet salutationem, *Gratia* (inquit) *vobis & pax à Deo Patre nostro & à Domino Jesu Christo.*

Quis scripserit.

De primo ait, *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei,* nempe Patris. Nomen Pauli nomen est personae: nomen Apostoli nomen officii, quod illi contigit post conversionem: imò in ipsa conversione. Ad nomen personae quod attinet: apparet in Actis, cap. 13. vocatum fuisse & Saulum, & Paulum: *Saulus* (inquit) *qui & Paulus.* Quo ex loco colligi potest, aut duplici hoc nomine fuisse à parentibus appellatum, priori Judaico, quia Judaeus erat natione; posteriore Latino, quia civis erat Romanus, sicut & ejus (ut liquet Actor. 22.) parentes privilegio Romanorum: aut unum tantum fuisse illius nomen, nempe Sauli, sed cùm venisset ad Gentes, nomen illud mutatione tantùm ùnius literae facta ad consuetudinem pronuntiationèmque Romanorum accommodatum fuisse: ut plerumque fieri solet. Utraque sententia probabilis est. Diversissima tamen est significatio: quia Saulus significat expeditum: Paulus parvulum. Quis & qualis fuerit iste Paulus ante conversionem in Judaïsmo: & qualis post conversionem in Christianismo, docet partim Lucas in Actis, cap. 8 & 9. partim ipse Paulus Actor. 22 & 26. ad Galat. 1. In 1. Timoth. cap. 1 & alibi. Non est igitur cur de ejus persona plura hîc dicamus. Fuit in summa Paulus natione Judaeus, ex tribu Benjamin, quemadmodum & Saul Rex, è civitate celeberrima Tarso, ubi Schola etiam erat frequentissima omnium bonarum literarum, ut docet Strabo; & quae à Romanis multis donata fuerat privilegiis: ex familia fuit honesta & honorata neque etiam paupere. Natus enim fuit ex patre Pharisaeo, qui filium curavit semper bene educandum, & cùm in literis humanioribus Tarsi, tum in literis sacris Hierosolymae instituendum. Unde & factum est, ut ipse quoque fuerit professione Pharisaeus, isque non postremus inter alios, aut contemnendus. Fuit enim vitae inculpatae intra suos coaetaneos, zelóque ardens Legis & paternarum traditionum, ut ipse docet in Actis, in Epistola ad Galatas, et Philip. Privilegio verò Romanus fuit civis, ut antè dictum est, & quidem natus civis, quia ex parentibus jure civitatis Romanae donatis natus est, Actor. 21. & 22. Fuit jam inde ab adolescentia non parvae autoritatis: usque adeò ut potestatem obtinuerit à Pontificibus, summôque Magistratu, inquirendi in Christianos, eosque in carcerem trudendi: id quod certè non cuivis vulgari homini concedi solebat. Sunt haec omnia de persona Pauli ex ipsis sacris literis manifesta: & partim etiam ex profanis.

De forma corporis illius scripsit Nicephorus, lib. 2. cap. 37. Parvo fuit corpore, sed facie valde liberali: barba densa et promissa. Ac de persona satis in Judaïsmo. Qualis fuerit post conversionem in Christianismo, notum est ex Actis & Epistolis, ut vitio mihi vertendum sit, si id velim multis explicare. De persona igitur non plura.

De

De Pauli Apostolatu.

Ad Apostolatum verò illius quod attinet, cùm ipse de eo tum alibi saepius, tùm maximè in cap. 3. hujus Epistolae abundè disserat: non multa hîc dicam. Fuisse enim verum Apostolum, & quidem Apostolum Gentium, extra controversiam est. Tria enim praecipua requirebantur ad hoc, ut quis legitimus verùsque esset Apostolus, *Primùm*, ut immediatè à Christo eligeretur, mittereturque ad Evangelium praedicandum. *Alterum*, ut non solum ipsum officium, sed etiam Evangelii cognitionem immediatè à Christo, per afflatum Spiritus sancti, acciperet. *Tertium*, ut ne certis sedibus & locis alligaretur, sed ubique locorum autoritatem plantandi Ecclesias haberet: ita ut Apostolus ille sit, qui à Christo immediatè vocationem habeat, doctrinam, autoritatem, nimirum ubique praedicandi Evangelium, & primum locum inter omnia alia ministeria Ecclesiastica obtineat. Sunt haec omnia manifesta in aliis duodecim Apostolis omnibus. Sed neque desiderata fuerunt in Paulo. De immediata vocatione Christi Acta docent: & ipse ad Galat. cap. 1. Ad doctrinam quod attinet, fuerat quidem ille primùm optimè institutus Tarsi in bonis literis, etiam profanis, ut liquet ex iis, quae citat ex Poëtis, Actor. 17. 1. Cor. 15. Tit. 1. & deinde Hierosolymis in Lege divina: sed Evangelii cognitionem non ab hominibus, neque ex libris, sed immediatè à Christo didicit, ut & Acta docent, & ipse passim testificatur in hac etiam Epistola, cap. 3. De tertio notum est omnibus. Fuit enim constitutus Apostolus omnium Gentium, & ut nomen Christi portaret coram Gentibus & Regibus, & filiis etiam Israël, ut habemus Act. 9. Et qualis fuit Apostolus? Talis certè, qui plus omnibus laboravit ut ipse fatetur ad Corinth. quo nemo etiam plura perpessus est pro Christo, sicut Christus praedixerat Ananiae Actor, 9. *Ego ostendam illi, quantum oporteat eum pati pro nomine meo.* Apostolus fuit infractus, indefessus, cordatus, qui non dubitavit Petrum etiam ipsum non rectè ambulantem Antiochiae liberè reprehendere coram multis fratribus, Galat. 2. Apostolus denique fuit qui raptus fuit in coelum usque tertium, & audivit arcana, quae non licere dixit hominem loqui: id quod de nullo alio Apostolorum legimus. Apostolus igitur & verus & excellentissimus fuit: ut non immeritò κατ᾽ ἐξοχήν Apostoli nomine in Ecclesia Paulus ipse intelligi consueverit.

Apostolum vero Jesu Christi se vocat: tum quia à Christo ipso immediatè ad Apostolatum electus fuit, vocatus, instructus; tum quia hoc erat Apostolorum officium, praedicare Christum: id quod certè Paulus egregiè praestitit. Unde & dicebat, 1 *Cor. 2 vers.* 1. se nil aliud scire, quam Jesum Christum, & hunc crucifixum: Item, *Judaei signa petunt, Graeci sapitientiam: Nos autem praedicamus Jesum Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Et sic Christus de illo dixerat Ananiae: *Organum electum mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, &c.* Res ipsa hoc confirmat. Quis enim magis restitit illis, qui aut simpliciter praedicabant solum Mosen, aut hunc cum Christo miscebant, Apostolo nostro Paulo, asserente & evincente, in solo Christo vera fide apprehenso salutem consistere, absque operibus legis? Non solùm igitur, quia non ab hominibus, neque per homines, sed per solum Jesum Christum

tum factus fuerat Apostolus, vocavit se Apostolum Jesu Christi; verùm etiam, quia solum Jesum Christum praedicabat & hunc ad salutem sufficere apud omnes demonstrabat.

Quid verò causae fuit, quòd hic & ubique sese vocabat Apostolum Jesu Christi, & saepissimè suum Apostolatum commendabat? Duplex fuit ejus rei causa: una, ut se tueretur adversus Pseudoapostolos omnesque adversarios, qui eum, quia non fuerat versatus cum Christo, sicut reliqui, negabant esse verum Christi Apostolum, aut saltem cum aliis comparandum. Altera, ut ex consequenti doctrinam suam, utpote doctrinam verè Apostolicam, quamque ut verus Apostolus à Christo acceptam populis praedicabat, Ecclesiis Christi, & singulis fidelibus efficacius persuaderet. Se enim à Christo & factum fuisse Apostolum, & doctrinam totam accepisse, ita ut nihil aliud Ecclesiis traderet, quam quod acceperat à Domino, ut etiam ait 1. Corinth. 11. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Non ergo suae ostentationis, sed salutis nostrae causa, consuevit sese vocare Apostolum Jesu Christi.

Adjecit hîc, quod alibi non semper facit, particulam non parvi momenti, nempe se Apostolum esse Jesu Christi, διὰ θελήματος θεοῦ: id est, Patris, sed non exclusa voluntate Filii, & Spiritus sancti. Est enim una eadémque voluntas Patris, Filii, & Spiritus sancti, sicut et οὐσία. Et quidem Paulum factum fuisse Apostolum, non solùm voluntate Patris & Filii, ut hîc etiam notum est: sed voluntate quoque Spiritus sancti, liquet in Actis cap. 13. *Et dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod accersivi eos.*

Et cap. 20. Episcopos Ephesinae Ecclesiae alloquens, docet apertè Ecclesiae Ministros ab ipso Spiritu sancto vocari ad Ministerium. In hac autem Epistola, cap. 4. ait Christum dedisse Apostolos, Prophetas, &c. Ergo cùm Paulus dicit, se per voluntatem Dei factum esse Christi Apostolum, ita Patrem intelligit nomine Dei, ut non excludat Filium aut Spiritum sanctum. Caeterùm κατ' ἐξοχὴν Patris voluntatem hîc intelligendam esse, docet idem Apostolus in Epistola ad Galat. cap. 1. Ubi ita scribit: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum,* quia immediatè à Christo tanquam Mediatore fuit vocatus Apostolus. Deinde ait: *Et per Deum Patrem,* quia ex voluntate Patris Christus Paulum vocavit ad Apostolatum. Ergo etiam hîc, ubi primò se vocat Apostolum Jesu Christi, & deinde subdit, per voluntatem Dei, nomine Dei, intelligit Patrem, sed, ut dictum est, κατ' ἐξοχήν, non excluso Filio aut Spiritu sancto. Quorsum verò particulam hanc adjecit? Ad majorem suo Apostolatui, & suae doctrinae autoritatem conciliandam: eoque ad Ephesios magis ac magis excitandos, ut se tanquam verum Apostolum Jesu Christi, ex voluntate & consilio Dei Patris vocatum audiant, inque doctrina à se recepta constanter perseverent, tanquam doctrina Christi & Dei. Ita monet tacitè, ut faciant, quae hîc suadet; quid ita? quia ex voluntate Dei scribit. Quo ex loco discimus, quandonam nobis quoque liceat legitimam vocationem nostram ad officium docendi asserere: cùm scilicet salus Ecclesiae, adversus calumniatores & seductores, postulat. Omnia ad aedificationem, non ad nostram ostentationem, fieri debent. Atque haec de primo membro Epigraphae, quisnam ille sit, qui salutat & hanc scribit Epistolam. Nunc ad alterum.

Quibus

Quibus Epistola scripta sit.

Quibusnam scribit, salutémque dicit? *Sanctis* (inquit) *qui sunt* (id est, degunt) *Ephesi, & fidelibus in Domino.* De urbe Epheso nonnihil dicere operae pretium est. Nam multa dicere, vanum est: nihil verò omnino, absurdum. Quae igitur ad rem tantùm faciunt, perstringam. Ephesus celeberrima fuit urbs in minori Asia, ad mare posita, & mercaturae dedita: qualis jam est Antverpia in tota Belgia, & Venetiae in Italia. Et ita fuit in extremo littore Asiae posita, atque sita versus occasum & meridiem: ut illac transeundum fuerit navigantibus ex Syria & Ægypto in Graeciam, Macedoniam, Pontum: inde etiam Romam navigabatur & contra. Proinde opulentissima erat & populosissima. Sed & multis ac magnis etiam vitiis dedita erat: praesertim idololatriae, cùm aliorum falsorum Deorum, tum inprimis magnae (ut vocabant) Dianae, idolìque ejus: cujus etiam superbissimum ditissimùmque apud illos dicatum erat templum. Diabolicis quoque Magiae artibus & studiis addicta fuit: quemadmodum de utroque non solùm apud Plinium, lib. 5. cap. 36. sed etiam in Actis cap. 19. perspicuè est videre. Fuit igitur civitas sicut amplissima, frequentissima, opulentissima: sic etiam plena vitiorum, superstitionum, idololatriarum. Haec idèo commemorantur, ut hinc illustretur beneficium Dei, quo illos ad se convertit. Ad hujus igitur conversionem civitatis, fuit cum primis missus Paulus, Act. 19. ibique per triennium, (ut ipse fatetur, Act. 20.) commoratus, docendo dies & noctes, & disputando, repurgavit civitatem à multis erroribus & superstitionibus, pulchramque plantavit Ecclesiam: sed non sine magnis tentationibus, & adversariis, ut ipse scribit, 1. Corinth. 15 & 16. Se Ephesi pugnasse etiam cum bestiis: habuissèque ibi sicut ostium apertum ad spargendum ubique Evangelium, sic etiam multos adversarios. Quo etiam factum est, ut singulari amore Ecclesiam illam complecteretur: ut mirum non sit, quod cùm esset Romae vinctus propter Christum, hanc Epistolam tanta sapientia plenam ad Ephesios miserit, consolandi causa, & confirmandi eos in fide. Plurimum enim intererat reliquarum etiam Ecclesiarum, ut illa Ephesina constans in fide permaneret: quoniam eò convenire solebant ex omnibus Mundi partibus negotiatores, qui reversi ad suos, spargebant, ut fieri solet, quae fierent ac dicerentur Ephesi. Ita accommodatissima erat civitas propter situm, & frequentiam hominum, ad spargendum etiam longéque latéque per reliquas regiones, atque adeò per totum orbum terrarum, verbum Evangelii. Proinde Apostolus, sicut in ea plantanda fuerat diligentissimus: sic etiam in eadem conservanda, studiosissimus. Haec de Epheso, quantum ad rem nostram attinet, satis.

Sed numquid ad omnes, qui erant Ephesi, seu ad totam civitatem scripsit? Non. Proinde non ait: *Omnibus qui sunt Ephesi*, sed *omnibus sanctis & fidelibus:* sicut & ad Romanos, *sanctis qui sunt Romae,* & alibi.

Nomine Sanctorum non solent in ecclesia Romana appellare, nisi qui jam in coelo sunt beati: quod ii prorsus ab omni peccato purgati sint. Ad quam sententiam videntur etiam Scholia Graeca in hunc locum accedere: ὅρα, ποση ἐστί ταυτή ἀρετὴ, ὅτι κοσμικοὺς ἀνθρώπους ἁγίους καὶ πιςοὺς προσαγορέυει. Verum est, illos qui in coelo sunt, perfectè sanctos esse, qui omnis prorsus peccati expertes

pertes sunt: sed id non impedit, quin etiam, qui in terris degunt fideles, sancti revera sint, & dici debeant: ut solent sacrae literae eos appellare.

Duplex enim est significatio Sancti: aliquando significat eum qui è rebus prophanis, & è mundo electus, consecratus est Deo. Et ita totus populus Israëliticus vocabatur sanctus, quia in peculium nominis Dei, separatus à reliquis populis consecratus erat, quamvis multi inter illos essent hypocritae. Templum itidem sanctum, vasa sancta. Et hoc propriè significat Hebraeis קדש

Aliquando significat mundum & purum à labe scilicet peccati. Sic. 1. Cor. 7. ait Apostolus, filios fidelium non esse immundos, sed sanctos, id est, mundos. Opponit enim sanctum immundo. Sanctos autem et mundos vocat liberos fidelium, non naturâ, sed ratione foederis, quòd illis condonentur peccata propter Christum. Duplici igitur nomine omnes, qui Christo nomen dederunt, sancti appellantur: tum quia Christo consecrati, tum quia mundati omnes sacramentaliter in Baptismo, & re ipsa mundi sunt, si fidem habeant.

Sentiunt autem interpretes, posterius nomen ἐπεξήγησιν esse prioris: quòd illi demum verè sancti sint, qui sunt fideles in Christo. Fide enim justificamur & sanctificamur. Sed absurdum non fuerit si dicamus sanctorum nomine omnes in universum intelligi, qui Christo nomen dederunt. Fidelium autem, qui reipsa verè in Christum credunt. Horum enim in primis cura afficiebatur Apostolus, & horum gratia scribebat Epistolam, ut eos in fide, qua praediti erant, confirmaret: id quod & Christus facere solitus erat. Hypocritas enim non curabat. Atque hinc liquet Epistolam hanc ad nos quoque pertinere: quoniam licet non simus Ephesi, in numero tamen sanctorum sumus atque fidelium: & quidem ex Gentibus, quarum omnium Paulus factus fuit Apostolus. Et tam nos habemus opus hac doctrina & adhortatione in fide, fideique obedientia, quam olim Ephesii.

Ad quos igitur fuerit, liquet. Unde etiam scripserit Apostolus, ex ipsa Epistola manifestum est: Româ nimirum, cûm ibi esset captivus sub Nerone propter Christum. Sic enim ait, initio cap. 3. *Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Jesu Christi, pro vobis Gentibus legatione fungor. &c.* Et iterum cap. 4. *Obsecro itaque vos Ego vinctus in Domino.* Et sub finem Epistol. nominat catenam, qua vinctus erat. Extra controversiam autem est apud omnes Interpretes, Apostolum loqui de vinculis, quibus Romae vinctus erat. Unde etiam refellitur illorum error, qui scribunt Epistolam hanc ab Apostolo fuisse missam ad Ephesios, antequam eos vidisset. Sic enim scribitur in Scholiis Graecis, in ὑποθέσει τῆσ ἐπιστολῆς: ταύτην ἐπιστέλλει ἀπό Ῥώμης: οὔπω μεν ἑωρακῶς αὐτοὺς, ἀκούσας δε περὶ αὐτῶν. Quomodo nondum viderat eos, si Româ ad eos scripsit? Acta Apostolorum manifestè docent, Apostolum antequam venisset Romam, longè antè Ephesum venisse: primùm cum Priscilla & Aquila, & ibi ingressum in synagogam disputasse cum Judaeis. Actor. 18. Deinde iterum eodem venisse, ibique per triennium mansisse. Actor. 19. & 20. De adventu verò Apostoli Romam agitur cap. 28. Est ergo manifestissimus error. Atque haec de loco unde missa fuit, & de iis ad quos fuit missa.

5. *Quo-*

5. *Quomodo, seu de salutatione Apostolica.*

Sequitur tertium caput hujus Epigraphae: quod est salutatio. *Gratia* (inquit) *vobis & pax à Deo nostro & Domino Jesu Christo.*

Communis salutatio apud Hebraeos erat haec: *Pax tibi:* Et sic Christus suos solitus erat salutare discipulos, *Pax vobis.* Sed Apostoli post perfectum & patefactum redemptionis mysterium, quod totum ex gratia, id est, ex gratuito Dei favore erga nos profectum est; in suis salutationibus praemittere coeperunt nomini pacis nomen Gratiae: quòd haec sit fons verae pacis cum Deo, & omnium rerum prosperarum, quae nomine pacis apud Hebraeos significabantur. *Estne pax tibi, viro & filio tuo?* dicebat Helisaeus ad Sunamitidem: id est, sùntne omnia prospera & integra? Sicut enim bellum apud Hebraeos מלחמה venit à comedendo consumendòque, quod omnia vastet & perdat: sic שלום pax venit ab integritate ac perfectione, quod ibi omnia maneant perfecta & integra. Hinc fiebat, ut nomine pacis illis venirent omnia prospera. Proinde dicere alicui, *Pax tibi*, nihil aliud erat, quam cupio tibi & precor omnia prospera, prosperùmque rerum omnium successum. Caeterùm quia fons bonorum omnium, & omnium rerum secundarum, est gratia favorque divinus, qui patefactus est nobis in Christo: idcircò Apostoli in salutationibus suis praeponunt semper gratiam. Nomine autem gratiae ita intelligunt favorem Dei & εὐδοκίαν illius erga nos, ut sub illo nomine complectantur omnia, quae ad aeternam salutem pertinent.

Salutationis partes.

Cùm igitur dicebant, *Gratia vobis & pax,* perinde erat, atque si dixissent, Precamur vobis omnia bona, tum spiritualia, & quae ad aeternam pertinent salutem, quorum fons est favor Dei gratuitus: tum temporalia, & ad hanc vitam pertinentia, faelicemque rerum omnium successum, qui absque pace esse non potest.

Quî vero fit, quod bona ad aeternam salutem pertinentia non pacis, quò bona temporalia, sed gratiae nomine significabantur? Ratio est, quia illa sunt merè gratuita, *gratuita electio, gratuita vocatio, gratuita justificatio, gratuita glorificatio, Gratia Dei, vita aeterna*, inquit Apostolus. Haec autem temporalia, licet è gratia Dei fluant, id est, ab ejus bonitate & amore: quia tamen communia sunt etiam improbis, qui non sunt in gratia apud Deum: idcircò non solent significari nomine Gratiae, sed pacis. Quare pacis? Quoniam, sicut res adversae testimonia sunt irae Dei, sic prosperae signa quaedam pacis cujusdam cum Deo. Tenemus quid propriè precarentur Apostoli his duabus vocibus, *Gratiae & Pacis.*

Salutationis autor, seu verorum bonorum fons & causa.

A quo verò precabantur haec bona? *A Deo Patre, & à Jesu Christo.* Pater fons est, sicut totius deitatis in Filio & Spiritu sancto, sic etiam bonorum & benefi-

beneficiorum omnium erga nos: Christus verò, ut Mediator, ille est, per quem omnia donat Pater, non solùm coelestia, sed etiam terrestria bona. Omnia enim, sicut per ipsum facta sunt, sic etiam consistunt, reguntur, donantur, communicantur: ita ut etiam infideles nihil habeant boni, nisi per Christum, & propter Christum à Patre. Quare nihil boni sperandum est extra Christum. *Gratia enim & pax* à Patre est, & à Jesu Christo Domino nostro.

Notandum verò, quod etiam antè monui, & Regula est Tertulliani, sicut cùm solus Christus vocatur Dominus noster, non excluditur Pater, quin & ipse sit Dominus: sic etiam cùm solus Pater vocatur Deus, non propterea tamen excludi Filium & Spiritum sanctum, quin sint unus & idem Deus cum Patre: sed Patri datur hoc nomen κατ᾽ ἐξοχὴν, quia fons deitatis est: Christo verò nomen Domini, quia, ut Mediator, constitutus est à Patre Dominus omnium, Rex Regum, & Dominus dominantium. Plerumque enim Apostoli cùm nominant Christum, illum proponunt ut Mediatorem, Deùmque in carne manifestatum: non autem ut simpliciter Filium Dei naturalem.

Cùm igitur Apostolus nominat Deum Patrem, tum nomine Dei intelligit etiam Filium & Spiritum sanctum. Cùm verò subdit nomen Jesu Christi, illum considerat ut Mediatorem, per quem omnia à Patre accipimus bona, & coelestia & hujus seculi.

Est igitur observanda majestas hujusce Apostolicae salutationis: & quam mirabili divinóque artificio composita sit. Nam praeterquàm quod duobus nominibus *Gratiae & pacis* omnia bona complectitur, & ad alterum, & ad hoc seculum pertinentia: continet etiam summam, brevem quidem illam sed luculentissimam, totius pietatis Christianae. Etenim quibusnam in rebus pietas Christiana consistit? Apostolus docet cap. 1. hujus Epistolae, in fide nimirum in Deum, ac Dominum Jesum, & in charitate ergo omnes sanctos. Qui autem hoc modo Apostolico ex sinceritate cordis salutat fratres dicens, *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & à domino Jesu Christo:* annon is manifestum praebet testimonium suae & fidei in Deum, & charitatis erga fratres?

Salutationis Apostolicae usus.

1. Primum enim, confitemur unum tantùm esse Deum, & unum tantum Mediatorem, Jesum Christum.

2. Confitemur Jesum Christum verum esse non solùm hominem, sed etiam Deum, quia Christus est, eòque Filius Jehovae & Jehova, ut praedixerant Prophetae: *Et hoc erit nomen, quo vocabunt eum, Jehova Zedechenu:* justitia nostra. Jerem. 23.

3. Confitemur mundum, & quaecùmque in eo sunt bona, à Deo hoc per Filium Jesum Christum creata esse, & gubernari, quia ab iisdem precamur fratribus bona omnia. Non petuntur autem nisi ab eo, cujus sunt, & qui potest dare.

4. Confitemur item hac salutatione, praeter bona hujus mundi, esse etiam coelestia & aeterna, quae nomine gratiae significantur: haecque bona, eóque totam salutem aeternam, non esse ex operibus nostris, sed ex gratia Dei, per & propter Christum, quia vocantur Gratia, & petuntur à Deo per Christum.

5, Confi-

5. Confitemur Deum nobis reconciliatum esse, nosque sibi adoptasse in filios propter Christum, filium naturalem, quia vocamus eum Patrem nostrum.

6. Confitemur ex consequenti, Christum esse primogenitum inter multos fratres, eóque futuros nos cum ipso cohaeredes vitae aeternae.

7. Ita confitemur sanctam Ecclesiam, communionem Sanctorum, resurrectionem mortuorum, vitam aeternam.

8. Confitemur neminem esse invocandum, nisi Deum & Mediatorem: ab utroque enim precamur fratribus gratiam & pacem.

9. Confitemur non posse verè invocari, nisi ab illis, qui eum agnoscunt pro patre. Non enim simpliciter dicimus, *Gratia & pax à Deo*, sed addimus, *Patre nostro*. Et quidem sine Christo invocari non posse, neque nos exaudiri: ideò addunt Apostoli, *Et à Domino Jesu Christo.*

10. Denique confitemur, nos verè credere in Deum Patrem, & in Jesum Christum: quia utrumque invocamus. *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?* ait Apostolus, Rom. 10. Est igitur haec Apostolica salutatio luculentissimum fidei nostrae testimonium, totiusque religionis Christianae compendium.

Testimonium quoque est nostrae charitatis in proximum, quia precamur illi ex animo, primùm bona coelestia, quorum fons & causa est gratuitus Dei favor & amor: deinde bona etiam terrena, felicèmque rerum omnium successum. Non sunt igitur hae salutationes Apostolicae *sicco* (ut aiunt) *pede* praetereundae, sed diligenter examinandae, piòque affectu & fide excipiendae.

Ita explicata est tota inscriptio, quam diximus esse primam Epistolae partem. Quorsum verò spectabant hae Apostolicae inscriptiones? Eo nimirum, ut attentos sibi & benevolos redderent illos, ad quos scribebant: eòque illos non solùm ad legendam Epistolam, sed etiam ad praestanda illa quae scribebantur, faciliùs permoverent. Qui enim scribebant? Apostoli Jesu Christi, eòque praediti vera fide, sana doctrina, pleni Spiritu Sancto: & tales Apostoli, qui ex corde amabant fideles, ad quos scribebant: illis enim precabuntur gratiam & pacem, &c. Dignissimi igitur qui & ab illis, & à nobis omnibus audiantur.

Textus.

3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos* (ad verbum) *in omni benedictione spirituali, in supercoelestibus* (ἐν τοῖς ἐπουρανίοις,) *in Christo.*

Quidam legunt τῷ Χριστῷ: sed Scholia Graeca, & multa exemplaria habent ἐν τῷ Χριστῷ. Sic etiam legit Syriacus, *in Messia.*

Illud ἐν τοῖς ἐπουρανίοις referunt quidam ad πραγμάτα, nostras benedictiones esse coelestes: Alii ad loca, ibi nostras coepisse benedictiones. Syriacus vertit, in coelo, hoc magis placet. Hunc versum sic vertit D. Beza: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in coelis, in Christo.*

4. *Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi: ut simus sancti & in-*

culpati

culpati (vel irreprehensibiles) *coram eo* (vel in conspectu ejus) *in charitate.* Sic etiam Beza.

Syriacus illud *in charitate* conjungit cum versu sequenti, addita copula, Et, hoc modo: *Et per dilectionem praedestinavit nos sibi, &c.* Sic Budaeus & nonnulli alii referunt ad sequentia.

5. προορίσας ἡμᾶς (ad verbum, cùm praefinisset, vel praefiniens) *nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in sese: secundum beneplacitum voluntatis suae.*

Syriacus habet (ut antè dixi) hunc in modum. *Et in charitate praedestinavit nos sibi: & posuit nos in filios per Jesuah Christum, prout placuit voluntati ejus.* Illud εἰς αὐτὸν, Syr. vertit, sibi: *Deus praedestinavit nos sibi in filios per Jesum Christum.* Scholia Graeca referunt ad Deum, hoc sensu: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum, quae ducat nos ad ipsum Deum.* Verba Œcomenii haec sunt: εἰς υἱοθεσίαν ποῖαν; (nempe praedestinavit nos) τήν εἰς αὐτόν φησὶ φερούσαν τὸν θεόν. Vulgata: in ipsum, et referunt quidam ad Christum, sed malè. Nostri doctores vertunt: in sese. Volunt enim esse εἰς αὐτὸν pro εἰς ἑαυτον.

Illud κατα τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. vertit quidem Syriacus, *prout placuit voluntati ejus.* Verùm non significat simpliciter placitum, sed beneplacitum, id est, placitum ex summa erga nos benevolentia profectum. Scholia, εὐδοκίαν τὴν ἐπ᾽ εὐὲργεσιᾳ βουλήσιν, ἔθος τῇ θεἰᾳ καλεῖν γραφῇ. Hunc versum sic vertit Beza, *Qui praedestinavit nos, quos adoptaret in filios, per Jesum Christum in sese, pro benevolo affectu voluntatis suae.*

6. *In* (pro ad) *laudem gloriae gratiae ipsius, in qua* (ad verbum id est, qua, seu per quam) *nos gratos* (sibi) *fecit in illo dilecto, nempe Filio Jesu Christo.*

Illud ἐν ᾗ nempe gratia est, (ut Camer. annotat) pro δί ἧς seu καθ ἥν.

Verbum ἐχαριτωσεν ἡμᾶς posset exponi pro implevit nos, & affecit gratiis, in Christo: ut respondeat illi, quod supra dixit, *qui benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo.* Et sic videtur accepisse Syriacus, quia sic legit: *Ut laudetur gloria gratia ejus, quam effudit super nos per dilectum suum,* (seu ut habet textus) *per manum dilecti sui.* Nota illud verbum, Effudit, id est, largiter communicavit. Scholia etiam Graeca sic exponunt: ἐχαρίτωσεν ἥμας primum quidem coram oculis suis: deinde amabiles reddidit Angelis, & suis gratis sanctis. Postea subdunt: τήν δε χάριν ταυτήν διὰ τοῦ ἠγαπημενοῦ Χριϛοῦ τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς ἔδωκε. Beza sic, *Ad laudem gloriosae suae gratiae, qua nos effecit sibi gratos in illo dilecto.*

Particula haec, ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, facit ut assentiar, verbum ἐχαρίτωσε hoc loco significare gratos sibi fecit: Sensus enim is esse videtur: In filio sibi gratissimo & dilectissimo Patrem nos quoque, quos voluit esse illius fratres, fecisse sibi gratos, & charos habuisse atque habere. Alioqui χαριτοῦν libenter acciperem pro afficere cumularéque gratiis, quod postea videtur explicare, cùm ait, per quem habemus redemptionem, remissionèmque peccatorum, &c. Atque de versione horum 4. versuum satis.

Scopus Apostoli.

Scopus Apostoli in tota hac Epistola, (ut in praefatione nostra indicavimus) propositum inquam Apostoli fuit, cohortari Ephesios fratres, ad perseverandum con-

constanter in doctrina Evangelii à se auditi, seu in fide Christi, fideíque obedientia, & ad incrementum in ea faciendum: tantum abest, ut debeant permittere se ab ea ulla ratione abduci. Summa autem doctrinae Evangelicae, quam Paulus praedicabat, erat: salutem nostram totam esse gratuitam, ex gratia Dei & propter merita Jesu Christi, gratis nobis donati. Ad hanc igitur doctrinam cumprimis spectat Epistola haec & adhortatio. Hunc verò esse scopum Apostoli, inde liquet: Primum ex cap. 1. ubi ait, postquam audivisset de illorum fide in Christum & charitate in omnes sanctos, se agere gratias Deo, nempe quòd hactenus eos donarit perseverantia in fide, & in charitate, fidei fructu: postea subdit se precari pro ipsis, ut Deus det illis spiritum sapientiae, illuminatos oculos mentis, ut sciant, quae sit spes illa vocationis ipsius, & quae opes gloriae haereditatis in sanctis, &c. hoc est se orare Deum, efficiat, ut non solum constanter perseverent, sed etiam incrementum faciant in cognitione Dei, ac fide. *Deinde* liquet idem ex cap. 2 ubi ad calcem ait, etiam ipsos fundatos esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, imò angulari lapide (existente) Christo Jesu: in quo qui aedificati sunt, crescunt in templum sanctum Domino. His verbis significans, si verè sint aedificati super Christum, eos non solum non defecturos à fide, & à Christo, sed potiùs incrementum facturos. *Tertio.* Non in alium finem suum Apostolatum magnificat in cap. 3. Et ait se per revelationem accepisse à Christo doctrinam Evangelii, quod illis praedicaverat; ut eos praemoneret ad perseverandum in tali doctrina, tanquam non sua, sed Jesu Christi. *Quarto,* Clariùs etiam id liquet ex vers. 13. ubi post explicatam summam doctrinae sui Evangelii, ita concludit: *Quapropter obsecro vos, ne segnes fiatis propter afflictiones meas,* id est, ne deficiatis à recepta doctrina & fide, fideique obedientia. Imò & subdit: *Hujus rei gratia* (id est, ne deficiatis à fide) *flecto genua mea ad Patrem Domini Nostri Jesu Christi, det vobis, ut fortiter corroboremini per Spiritum sanctum, &c. Quintò,* Cap. autem 4. sic scribit, *Precor itaque vos ego captivus in Domino, ut ambuletis sicut dignum est vocatione, qua vocati estis.*

Dubium igiter non est, quin scopus & propositum Apostoli in hac Epistola fuerit, Ephesinam Ecclesiam hortari & exstimulare ad perseverantiam in fide, fideique obedientia. Id quod etiam colligere promptum est ex propositione totius Epistolae, quam habet in 1. cap. ver. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi.* Sensus enim est, ut mox videbimus, benedicendum esse Deum, laudandum & celebrandum modis omnibus, corde, ore, vita, idque constanter, quod nobis benedixerit in Christo: tantùm abest, ut debeamus ab illius fide deficere & obedientia.

Causae scribendi.

Porrò duplicem habuit causam seu occasionem scribendi hanc Epistolam, & hortandi Ephesios ad perseverandum Apostolus. *Una* fuit, ipsius captivitas, & vincula quibus abuti poterant adversarii, ad labefactandam autoritatem Apostoli, eòque & doctrinam, apud Ephesios. Ne igitur hanc ob causam terrerentur, paterentúrque se à fide abduci, aut labefactari; hortatus

hortatus est ad constantiam. Hanc occasionem ipse Paulus apertè explicat in cap. 3. dicens, *Quapropter rogo, ne segnes fiatis propter afflictiones meas pro vobis, quae est gloria vestra.*

Altera causa fuit, quia ipse praeviderat antea, & praedixerat Episcopis illis Ecclesiae, sicut legimus in Actis, capit. 10. exorituros post suum discessum inter ipsos Ephesios malos homines, qui loquantur perversa, & discipulos post se abducant. Hi erant falsi doctores ex Judaïsmo, qui legem cum Christo miscebant, & non servari hominem sola fide in Christum, sed etiam per opera legis contendebant contrà quam Paulus docebat. Haec igitur causa fuit praecipua, cur Ephesios praevenerit hac Epistola, in qua hoc potissimúm urget, totam salutem nostram gratuitam esse per & propter Christum, juxta beneplacitum Patris aeternum: qui ad hanc nos elegit in Christo. In hac igitur persistendum esse doctrina, quia divina, certa & salutaris. Nunc tenemus scopum Apostoli, & unde fuerit ad hoc genus scriptionis impulsus. Argumenta, quibus utimur ad hunc scopum obtinendum, videmus in singulis partibus.

Epistolae partitio.

Hoc igitur totum Epistolae corpus in duas praecipuas partes, tanquam in primaria membra dividitur, nempe in eam, qua hortatur ad sanam doctrinam retinendam, & inprimis de gratuita salute per Christum: & in eam, ubi de vita Christiano homine digna agit, atque ut in ea constanter ambulemus, sicut dignum est vocatione nostra, rogat & obsecrat.

Prior pars continetur tribus prioribus capitibus. *Altera* tribus reliquis posterioribus. Haec verò consuetudo Apostolica est, ut priùs de fide, fideìque doctrina agant, deinde de moribus, fidei fructibus: utque ad illam primùm, & tum demum ad istos hortentur. Neque id immeritò, cum bona opera, Christianáque vita effecta sint fidei: & homines ex fide, non autem ex operibus justificentur: id quod non dubito voluisse Apostolum hac sua docendi methodo significare.

Prioris partis summa.

Ad priorem partem Epistolae quod attinet, peculiaris scopus Apostoli in hac fuit confirmare Ephesios in doctrina, non tam generatim tota Apostolica, quàm speciatim in hac quam contra Apostolum calumniabantur falsi Doctores ex Judaïsmo: nempe hominem nullis propriis operibus, tanquam causis salutis servari, sed sola Dei gratia in Christo, & propter Christum. Hunc proprium esse scopum Apostoli in hac parte, praeter ea quae supra adducta sunt in genere de scopo, confirmat in primis principalis propositio primi capitis, quae est, *Deum nobis omni spirituali benedictione benedixisse in coelis in Christo:* imò summa doctrinae totius de salute nostra, quam ibidem tradit, satis abundè & perspicuè comprobat. Docet enim totam esse gratuitam, quia gratuita etiam electio ac praedestinatio: gratuitam igitur esse & redemptionem & vocationem, & justificationem, & glorificationem.

2. Eundem scopum confirmant, quae tradita in cap. 2. de statu misero, in quo

quo priùs fuerant Ephesii Gentèsque omnes, deque statu praesenti, in quo jam erant, postquam amplexi fuerunt Evangelium à Paulo praedicatum. Quid enim in summa docet & concludit? Omnes natura esse peccatores, nascique filios irae: gratis autem servari per fidem, idque non ex nobis, Dei enim donum esse: non operibus, ne quis glorietur.

3. Denique si quis diligenter, quaecunque tradit in tertio capite, tùm de sui vocatione ad Apostolatum, ut esset Apostolus Gentium, tùm de mysterio salutis Gentibus communicandae, observet: is nullo modo dubitabit, quin scopus Apostoli peculiaris in hac priori parte is fuerit, quem diximus: confirmare scilicet & constabilire fideles, qui erant Ephesi, adversus falsos Doctores, in hac peculiari doctrina, quae est summa Evangelii, ex mera, omnibúsque modis gratuita Dei gratia in Christo patefacta & exhibita proficisci, quod quis servetur. Ait enim dispensationem gratiae Dei sibi datam esse ad Gentes: Item se factum esse Ministrum Evangelii, quod vocavit gratiam, ex dono gratiae. Item sibi omnium sanctorum minimo datam esse hanc gratiam. Quámnam? Evangelizandi inter gentes. Quidnam verò? Impervestigabiles divitias Christi: idque secundum propositum aeternum, quod constituit in Christo: *per quem* (nempe solum) *habemus accessum ad Patrem, cum fiducia,* quae est ex fide. Tenendus igitur est diligenter hic Apostoli scopus, ad quem omnia, quae in his habemus tribus capitibus, referuntur. Qui alióqui non tenuerit scopum, & quid sibi in summa velit Apostolus: is leget quidem Epistolam, & non sine aliquo fructu, sed nunquam mentem Apostoli assequetur, aut quorsum spectent, quae dicit, intelliget. Hanc ob causam prolixior fui in demonstrando hoc scopo, quàm voluissem: quia novi, quam necessaria sit hujus cognitio, ad veram totius Epistolae intelligentiam consequendam.

Nunc tenemus, quorsum omnia sint referenda. Ita faciliora omnia nobis fient ad intelligendum.

Primum igitur caput, explicata jam inscriptione & salutatione, aggrediamur.

Capitis primi summa.

Duae sunt primariae propositiones hujus prioris capitis: Una de officio nostro erga Deum: altera de beneficiis Dei erga nos. Prior haec est, *Benedicendus nobis est Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi,* id est, modis omnibus, pura mente & lingua, sanctaque vita est semper laudandus. Proinde ad hanc pertinent, quae tradit in altera Epistolae parte, de vita Christiana. Sed propositionem hanc priorem exprimit exclamatione Apostolus, illi non insolita; quò plus permoveat Lectores, dicendo: *Benedictus* (sit) *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi.* Rationem subdit, dicendo: *Qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in supercoelestibus* (scilicet locis) *in Christo.* Quasi dicat, Meritò benedicendus, id est, laudandus est Deus in terris, quia ipse prior benedixit, id est, benefecit nobis *omni benedictione spirituali in coelis,* in ipsa Christi persona. Ratio haec Apostoli constituit alteram propositionem, in qua status totius hujus prioris partis, atque adeò totius Epistolae consistit. Haec igitur est altera principalis propositio: *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi,*

 bene-

benedixit nobis omni benedictione spirituali in coelis, seu ἐν τοῖς ἐπουρανίοις in Christo.

Hanc postea propositionem, & singulas ejus partes, explicat versibus insequentibus (nihil ut jam de duobus aliis capitibus dicam) explicatis iis spiritualibus multis benedictionibus, quas à Patre consecuti sumus in coelis, in Christo & propter Christum. Concludit autem omnes has benedictiones spirituales nobis communicari à Patre in Christo, & propter Christum gratis, citra ullum respectum operum nostrorum, ut hinc intelligamus, verè nos habere, cur laudemus Dominum, & benedicamus. Nam hic est finis ultimus omnium harum multarum spiritualium, coelestium, & gratuitarum benedictionum: nimirum, *ut tota gloria Deo detur, & laudetur à nobis gloria gratiae ipsius.* Ad hanc enim etiam elegit & praedestinavit nos: nempe ad laudem *gloriae gratiae ipsius*, & ut essemus laudi gloriae gratiae ejus. Atque haec est doctrina Apostolica, in qua ut persistamus, hortatur Apostolus.

Benedictionum consideratio.

Caeterùm hasce spirituales benedictiones, quibus in Christo ait nos benedictos esse, proponit nobis Apostolus considerandas trifariam. *Primùm*, in ipsa aeterna praedestinatione, quatenus nobis fuerant praeparatae ante mundi constitutionem in Christo. *Secundo*, quatenus re ipsa fuerint praestitae, nobisque exhibitae, verùm non in nostris (ut ita loquar) personis, sed in Christo tanquam in capite. In ipsius etiam persona, assumpta carne, perfecta fuit redemptio, expiata peccata, firmata vera justitia, omnes denique thesauri & benedictiones positae, vitaque aeterna, ut ait D. Johan. cap. 5. suae Epistolae. *Tertio,* proponit considerandas, quatenus re ipsa nos simus earum in nobis ipsis participes, donati Spiritu Dei, harum benedictionum cognitione, & fide, qua illas amplectamur. Sed hae etiam benedictiones, & beneficia spiritualia, quatenus nobis realiter communicantur, duplicis sunt generis: aliae sunt, quas percipimus in hoc Mundo, ut remissio peccatorum, sanctificatio, & hujus generis multae; aliae, quas recepturi sumus in alio seculo: uti resurrectio à mortuis, ascensio in coelum, sessio in coelestibus locis, plena denique possessio aeternae vitae: has etiam consecuti sumus, verùm non nisi in persona Christi capitis nostri, quando suscitatus à mortuis fuit, & ascendit in coelum, seditque ad dexteram Patris. Apostolus enim dicit in cap. 2. Nos quoque cum ipso suscitatos esse, ascendisse in coelum, & sedere ad dexteram Patris, nempe in persona Christi, in qua est caro nostra.

Cap. 2 Partes.

Seco igitur totum hoc caput, post inscriptionem in duas partes. Prima continetur vers. 3 & insequentibus, usque ad 15. Secunda, vers. 15 ad finem usque. Quid in unaquaque breviter contineatur, suis dicetur locis.

In prima parte, primò per exclamationem, plenam de bonitate & gratia Dei erga nos in Christo admirationis, dum ipse benedicit & glorificat Deum, docet quid nostri quoque sit officii: nempe Deum Patrem, tam nostri amantem,

eóque

eóque & Filium ac Spiritum ejus, nobis semper & modis omnibus esse benedicendum, laudandum, glorificandum. Deinde, dum adfert rationem, cur sit nobis benedicendus, nempe *quia ipse prior benedixit nobis omni benedictione spirituali in coelis in Christo*, idque non aliis neque aliter, quam electis ab aeterno, & sicut praefinierat ante mundi constitutionem: proponit nobis benedictiones istas sprituales considerandas. Primum, prout fuerant nobis à Deo in Christo electis praeparatae in illa aeterna praedestinatione, v. 3. 4. 5. 6. Deinde, quatenus fuerunt in persona Christi perfectè, vers. 7. Denique, quatenus re ipsa nobis communicantur, vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13 & 14.

In summa autem docet, sicut nos elegit Deus, non in Mose, sed in Christo, & non ex meritis nostris, sed ex mera gratia & caritate liberàque ac gratuita dilectione, sic reliquas benedictiones Spirituales, quibus benedixit benedicítque in Christo, omnes esse gratuitas, eóque totam nostram salutem ex mera Dei gratia pendere, & in solo Christo, non autem in Mose etiam (ut falsi doctores, de quibus praedixerat Ephesiis, contendebant) positam esse ex parte. Ita meritò solum Deum, non autem Mosen, vel ullum alium, aut Angelum aut hominem, benedicendum esse concludit: quia solus etiam Deus benedixit nobis prior, non autem Moses: & quidem omni spirituali benedictione: nullam igitur nos habere benedictionem à Mose, aut in Mose, sed in solo Deo Patre, in Christo Mediatore. Haec est summa prioris partis.

Primùm autem rem totam paucis proponit in vers 4., deinde in reliquis fusius explicat tum benedictiones ipsas, tum causas benedictionum totiúsque salutis nostrae: ex omnibus concludens, totam esse simpliciter gratuitam. Nunc breviter singulos versus expendamus. Omnia enim jam erunt faciliora.

3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi: qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in supercoelestibus in Christo.*

A gratiarum actione incipit Apostolus, cum summa admiratione infinitae erga nos bonitatis divinae conjuncta; sicut etiam exorsus est epistolam posteriorem ad Cor. Sensus autem est perspicuus: *Sit Deo laus & gloria, Deo inquam Patri Domini nostri Jesu Christi.* Quid ait? *quippe qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, &c.*

Interim duo sunt membra (ut quisque videt) hujus versus: unde & duae efficiuntur (ut antè dixi) propositiones: una de benedictione, qua Paulus benedicit suo & Ephesiorum, imo piorum omnium nomine, ipsi Deo Patri: non excluso (ut saepe monui) Filio aut Spiritu sancto: ac proinde, qua docet suo exemplo, nobis quoque benedicendum esse Deum ex animo & affectu, & constantia, qua & Paulus benedicebat. Altera propositio de benedictione est Dei, qua nobis benedixit, & benedicit in Christo. Haec est summa vers. 3.

Observationes.

1. Ubi primò videmus duplicem benedicendi significationem. Unam, qua nos Deo, alteram, qua Deus nobis benedicit. Deus nobis benedicit, cum benefacit,

& bene-

& benedictiones ejus sunt benefacta, ac beneficia, tam corporalia quam spiritualia. Ideò verò vocantur divinae benedictiones, quia Deus dicendo, & verbo suo, seu jussu, omnia facit: *Verbo Domini coeli firmati sunt:* Item, *Ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Et de Christo Heb. 1. *Portat omnia verbo virtutis suae.* Ut ergo significetur Dei omnipotentia, ipsius benefacta & beneficia frequentius Spiritus sanctus in sacris literis vocat benedictiones, quam benefacta aut benificia: volens hac phrasi nos monere, firma fide retinendum nobis esse ejus verbum, quoniam eo efficax est in credentibus, & regenerat, purgat, lavat, servat. Sustinuit Anima mea (dicebat David) in verbo ejus. Hoc igitur est Dei benedicere: nempe benefacere per verbum.

1. Nos verò benedicimus Domino, cum pro illius erga nos beneficiis gratias ei agimus, animo, verbo, & opere, totaque vita & constantia in ejus fide atque obedientia. Ita hac duplici verbi benedicendi significatione docuit nos Apostolus, & quae sit Dei erga nos bonitas ac potentia: & quae nostra debeat esse erga illum gratitudo.

2. Illud, *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi*, non est violenter torquendum, quasi Apostolus significare voluerit duas diversas personas, Deum unam, & Patrem Christi alteram. In Graeco contextu nulla est ambiguitas. Non enim ait εὐλογητὸς ὁ θεὸς, καὶ ὁ πατὴρ, &c. Sed ὁ θεὸς καὶ πατὴρ: id est ille, qui est Deus, & qui Pater etiam est Domini nostri Jesu Christi. Distinctio hîc est duorum praedicatorum, non duorum subjectorum. Sic. 1. Cor. 15. Et quidem personam Patris vocavit hîc etiam simpliciter Deum, nempe κατ' ἐξοχήν. Voluit autem hac phrasi indicare, fontem omnium benedictionum erga nos esse Patrem Domini nostri Jesu Christi, sicut etiam est fons totius Deitatis: eóque etiam ad illum, ut ad primariam nostrae salutis causam, nostras benedictiones & laudes esse dirigendas. Hac eadem phrasi significare voluit duas in Christo naturas, divinam & humanam, adeóque & ejus officium. Divinam, quia verus & aeternus Deus Pater est Christi, & Christus filius ejus naturalis, eóque ejusdem naturae cum Patre: humanam, quia idem Pater est etiam Deus eóque creator & gubernator & servator Christi, qua homo est. Hoc enim significat Deum esse alicujus Deum, id est, esse illius creatorem, benefactorem, servatorem. Officium quoque indicat Christi, quia, quatenus Christus Mediator est, seu respectu officii, habet Deum, à quo missus, & cui subjectus est. Is Deus est ipse Pater. Christus declarat hunc locum Apostolo, cùm ait ad Apostolos, *Joh.* 20. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Ubi etiam non dixit, τὸν πατέρα καὶ τὸν θεὸν ne duas personas significare videretur, sed τὸν πατέρα καὶ θεὸν. Pater igitur ille aeternus, non solum Pater est naturalis ipsius Christi, sed etiam ejus Deus, respectu humanae naturae & officii illi injuncti.

3. Notandum praeterea, Christum non solùm qua Deus est, sed etiam qua homo, filium esse Dei: non quod substantiam carnis & animae habeat ex substantia Dei Patris; sed partim quia, ut homo, conceptus est è Spiritu sancto, id est, illius virtute: hanc rationem adfert Angelus, *Luc.* 1. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideòque & quod nascetur

nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: partim, & quidem maximè, quia humana natura in Christo unita est ὑποστατικῶς personae Filii Dei. Ideò non simpliciter dixit Apostolus, Pater Christi, aut Pater Filii; sed Pater Jesu Christi. Quo nomine naturam ejus humanam indicavit, sed cum divina conjunctam in eadem persona. Nomen enim personae fuit & est, ex Maria virgine natae, eóque veri hominis. Sic enim Angelus ad Mariam dixit *Matth. 1.* Ecce concipies & paries Filiūm & vocabis nomen ejus Jesum. Jesus igitur nomen est personae, quae est homo: sicut Christus nomen officii.

4. Quae cùm ita se habeant, sequitur, si benedicendus est Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, benedicendum quoque esse Jesum Christum. Quid ita? Quia, Filius cum sit Patris, ejusdem quoque naturae est cum Patre, verus Deus: & quidem totum Christum esse benedicendum, & (ut loquuntur Patres) úna adoratione adorandum: quia humana etiam natura cum divina in eadem persona ὑποςατικῶς unita est: & totus est Filius Dei natus.

5. Denique observanda est tota haec gratiarum actio, & causa cur Apostoli ita locuti sint, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesi Christi. In Psalmis saepe reperies, Benedictus Jehova Deus Israël: Imò enim Zacharias Luc. 1. nato Johanne Baptista, sic laudavit Deum dicendo, Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suae. Servavit veterem formam Gratiarum actionis: quia nondum natus erat ipse, neque peractum mysterium redemptionis. At Apostoli mutarunt, & loco Dei Israëlis, vocarunt eum Patrem Christi, dicendo: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi. Quae causa? Praedicare & patefacere voluerunt mysterium Christi, & quisnam esset ille Jesus, nempe Filius Dei. Judaei omnes agnoscebant Christum Messiam futurum Filium Dei: sed negabant hunc Jesum esse illum Christum, qui futurus esset Filius Dei. Apostoli igitur, quorum officium erat praedicare hunc Jesum esse verum Christum, eóque verum Dei Filium: in suis etiam gratiarum actionibus, non fuerunt contenti dicere, Benedictus Dominus Deus Israël, *aut* Benedictus Deus, Pater Christi; sed expresserunt nomen Jesu, dicentes, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi. Si dicas Judaeo, Deus est Pater Christi, id est, Messiae: non negabit. Si dicas, Pater est hujus nostri Jesu Christi: non feret. Haec causa est, cur semper conjungant cum nomine Christi nomen Jesu, & hunc Jesum vocent Filium Dei. Atque haec de primo membro hujus tertii versus.

Sed alterum membrum plura continet consideranda, diligentèrque observanda. Nam praeterquam quòd continet rationem, cur sit Deus & Pater Christi benedicendus, quia *scilicet benedixit* &c., continet etiam brevitèrque complectitur praecipua capita salutis nostrae, quae postea versibus insequentibus fusiùs explicantur. Sunt autem sex.

Sex praecipua salutis nostrae capita.

1 Primum, quae sit primaria & princeps salutis nostrae, quae nomine *benedictionis* significatur, efficiens causa: Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi. Hoc significat cum ait, *Qui* (scilicet Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi) *bene-*

benedixit, &c. Sic etiam Christus ipse docuit Joh. 3. Sic Deus (nempe *Pater)* dilexit Mundum, ut filium suum unigenitum dederit, &c. Deus igitur, Pater Christi, prima causa est efficiens salutis nostrae. Non sine causa verò Apostolus non dixit simpliciter: Benedictus Deus, qui benedixit nobis, sed Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi. Significare voluit, Deum non simpliciter & in genere ac confuse consideratum ut Deum nobis benedixisse: sed ut Patrem Domini nostri Jesu Christi. Ratio, quia neminem servat aut servare vult, nisi in Christo Filio suo (ut post sequitur) cujus Filii gratia, quos servare vult, eos etiam adoptat sibi primùm in filios, & fit eorum Pater. Haereditas enim coelestis non datur nec debetur nisi filiis. Filii Dei esse non possumus, nisi in Christo Filio Dei unigenito & primogenito. Deus igitur neminem servat, nisi quatenus Pater est Jesu Christi, & in gratiam hujus Jesu Christi. Hoc significat Apostolus dicendo: Qui (nempe Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi) benedixit nobis. Ac proinde hinc sequitur, qui nolunt agnoscere Christum Jesum pro filio Dei vero, illos non posse fieri participes harum benedictionum, de quibus Apostolus hîc loquitur.

Nunc tenemus, causam efficientem salutis nostrae primam ac principem esse Deum, non confusè consideratum, sed quatenus Pater est Domini nostri Jesu Christi: eóque non servari, nisi quos sibi adoptat in filios propter Christum.

Atque hoc primum caput confirmat scopum Apostoli, salutem nostram totam esse gratuitam, eóque in hac doctrina esse persistendum, quia certa. Deus enim non servat nos, nisi ut *Pater Christi,* & in ejus gratiam. Non igitur propter opera & in gratiam Mosis.

2. Alterum caput considerandum est verbum *Benedicendi.* Dubium certè non est, quin verbo *Benedicendi* complectatur omnia, quae ad salutem nostram faciunt, totàmque salutem, ut postea explicat, dicendo, *Omni benedictione spirituali.* Et certum est, allusisse ad promissionem de Messia, factam Abrahae, In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Nam postea sequitur, in Christo Deum Patrem nos benedixisse. Atque ita locus iste declarat & explicat promissionem Abrahae factam, quomodo sit intelligenda: nempe non de carnalibus & temporariis benedictionibus, sed de spirituali & coelesti, ut postea clarius explicat Apostolus.

Verbum etiam hoc, cum explicatione quae sequitur, facit ad scopum Apostoli. Docet enim, quid sit nostra salus; nihil nisi benedictio paterna, qua nobis benedixit, tanquam filiis in Christo adoptatis. Si benedictio est, eàque paterna, non est igitur retributio, quae meritis debeatur. Nam primúm quòd simus filii Dei, hoc ex gratia est, ut postea sequitur in versibus insequentibus, & mera est benedictio. Ergo, quòd etiam postea detur haereditas coelestis patriae, totum est gratuitum. Datur enim ut filiis, non ut mercenariis; & ex gratia paterna, non ex meritis nostris.

Confirmat hoc argumentum Christus apud Math. cùm ait, In die judicii se dicturum Electis, qui erunt ad dexteram, *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum vobis paratum à constitutione Mundi.* Causam veram docet, cur recepturus sit nos in coelum: quia scilicet benedicti fuimus à Patre, hoc est, ex gratia paterna recepti in gratiam, factìque filii in Christo unigenito & primo-

primogenito. Nam quod postea subdit de operibus, *Esurivi enim & dedistis mihi ad manducandum,* non propriè ut causam salutis, sed ut testimonia fidei veraeque benedictionis proferet in medium. Tota igitur nostra salus nil aliud est, quàm paterna eòque gratuita benedictio.

3. Tertium caput de illis est quibus benedixisse dicitur Pater: *Nobis* (inquit) scilicet omnibus *benedixit.* Quibus nòbis? Nobis sanctis & fidelibus, tam ex Judaeis, quàm ex Gentibus. Ad sanctos enim & fideles scribit eòsque alloquitur. Hoc igitur genere benedictionis, de quo hîc loquitur, non omnibus benedixit Deus: sed de illis tantum possumus hoc dicere, qui jam sancti sunt & fideles: seu in quibus jam videmus testimonia & signa illius benedictionis. Quae sunt haec signa? Sanctitas & fides in Christum. A posteriori enim, ut loquuntur, pronunciat Apostolus, quibusnam benedixerit Deus Pater Jesu Christi.

At cùm multi etiam inter Ephesios, & inter Judaeos, qui nomen dederunt Christo, fuerunt hypocritae: quomodo de omnibus istis pronunciavit & dixit, *Benedixit nobis*, nempe omnibus? Resp. Apostolus, ut dixi, à posteriori pronunciat de omnibus illis, in quibus signa aliqua extent verae benedictionis: hoc est, de omnibus, qui ita profitentur fidem in Christum, ut nullam manifestae impietatis & perfidiae significationem adhuc dederint. Atque hoc est judicium caritatis. Caritas enim postulat, ut ita de illis sentiamus & loquamur: quanquam hoc judicium potest falli, & saepè fallitur. Sicut etiam de fidelium infantibus non possumus aliter pronunciare, quam esse sanctos, ac mundos, & inter benedictos à Patre contineri: cùm tamen fieri possit, ut ex corum numero non sint revera, quibus Deus Pater verè benedixit: id quod tùm demum declarant, cùm manifesta dant testimonia impietatis, & in ea moriuntur.

Discamus ergo ab Apostolo non aliter sentire & loqui de illis, qui dederunt nomen Christo, & qui constanter in pura vivaque fide perseverant, & in caritate erga sanctos: quam eos esse ex numero horum benedictorum à Patre Jesu Christi, idque tantisper, dum aut manifesta apostasia, aut pertinacia in apertis sceleribus, luculenter declarant, se non esse membra Christi & filios Dei.

Caeterùm certissima est propositio haec de electis, ut postea sequitur. Prima enim benedictio, qua nobis benedixit, ut fundamentum & fons aliarum benedictionum est gratuita Electio, ut mox explicabit Apostolus. Nemo igitur verè benedictus esse & dici potest, nisi ex numero sit Electorum.

4. Sequitur quartum caput, quo explicatur, de quo genere benedictionis loquatur Apostolus, cùm ait, *Deum Patrem nobis benedixisse,* nempe de spirituali, eàque perfecta, omnia spiritualia bona ad salutem necessaria continente. Utramque conditionem hujus benedictionis explicat dicendo, *Omni benedictione spirituali.* Nomine spiritualis significat Apostolus, se de carnalibus, & ad vitam hanc pertinentibus non loqui. Nam etiamsi Deus nobis communicet multas hujus generis benedictiones, pro quibus certè benedicendus est Deus, gratiaeque illi agendae, cum non repugnent pietati Christianae, promissionem habent non solùm futurae, sed etiam praesentis vitae: quia tamen hae communes sunt etiam impiis, hîc vero peculiares gratias agit Deo, & fidelibus pro longe majoribus beneficiis, quae propria sunt Christianorum, agendas esse docet: idcircò differentiae causa, quae est inter benedictiones corporales & spirituales, adjecit

adjecit nomen specificum, dicendo, *Benedictione spirituali,* id est, ad spiritum & salutem spiritualem pertinente.

Sed rursus spiritualis benedictio etiam duplex est, una imperfecta, & manca, altera perfecta, & plena, omniaque spiritualia bona complectens. Illa priori multi etiam reprobi donantur. Talis enim benedictio est fides temporaria, aliqua vera Dei cognitio, gustus aliquis spiritus sancti, aliquod initium honestae vitae, & id genus alia Dei dona, de quibus Apostolus scripsit ad Hebr. 6. Sed neque de hac loquitur hìc Apostolus, verùm de perfecta, quam vocat πᾶσαν εὐλογίαν: id est, plenam & perfectam, sicut & de perfecta fide miraculorum, 1. Cor. 13. *si habuero omnem,* id est, *perfectam fidem.* Ita hìc πάσῃ εὐλογίᾳ, id est, perfecta, benedixit nobis. Quaenam est illa? Ea, cujus fundamentum & principium est Electio aeterna. Hanc enim electionem consequuntur omnes aliae spirituales benedictiones, vera Dei cognitio, viva & constans fides, efficax vocatio, justificatio, sanctificatio, vita Christiana, caritas in Sanctos, denique glorificatio. Proinde meritò appellatur ab Apostolo πᾶσα εὐλογία, id est, plena & perfecta, omnia spiritualia bonorum genera in se continens.

Huc etiam referunt omnes fermè interpretes particulam, quae sequitur, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ut significet Apostolus se loqui de illis spiritualibus bonis, quae ad coelestem beatitudinem pertinent, non ad vitam terrenam. Nam hoc sensu, fides etiam, caritas, vita Christiana, benedictiones sunt rerum coelestium. Quò pertinet & illud *Philipp.* 3. πολίτευμα nostrum in coelis est, id est, coeleste & spirituale. Item illud *Coloss.* 3. Nolite quaerere quae sunt super terram: sed quae in coelis, id est, coelestia bona, qualia sunt virtutes omnes, quibus colitur Deus. Sed absurdum non est, si accipiamus coelum pro loco supercoelesti, ubi Christus est suo corpore: & distinguamus ipsam spiritualem benedictionem à carnali, ex circumstantia etiam loci, ubi incepit, & ubi consummabitur, perfectùmque habitura est complementum. Carnales initium habent in terra, & ibi etiam finem accipiunt. At spirituales in coelo ortum habent, & ibidem habiturae sunt consummationem.

5. Hoc igitur esto caput quintum de nostra salute ac felicitate nobis considerandum: nempe, ubinam Deus nos benedixerit, hoc est, *omni spirituali benedictione*, bonorùmque omnium spiritialium copia cumularit; nimirum in coelo, quo ascendit Christus, omni honore & gloria ornatus, & ubi sedet ad dexteram Patris, plenàque fruitur felicitate, non suo tantum, sed nostro etiam omniùmque Electorum nomine: ibi nobis benedixit Deus pater Domini nostri Jesu Christi: nempe, ut postea sequitur, in Christo, hoc est, in ipsa Christi persona, tanquam in capite nostro; dum illum à mortuis excitatum, immortalitate donatum, perfecta gloria & honore coronatum, subduxit in Coelum, & fecit illum sedere ad dexteram suam, supra omnes Angelos, principatus & potestates exaltatum, factùmque regem regum, & dominum dominantium, accepta omni potestate in coelo & in terra: qua porro potestate nos in terris existentes regit, tuetur, replet suo Spiritu, donat sua justitia, & sanctitate, fide, caritate, patientia, regenerat, vivificat, variisque spiritualibus benedictionibus largiter indies cumulare non cessat: tandem nostra quoque corpora à mortuis reapse excitaturus, immortalitate donaturus, gloria & honore excitaturus, in idem coelum erecturus, ibíque glorificaturus. In

In his igitur supercoelestibus locis aio Deum Patrem nobis in persona Christi jam benedixisse *omni spirituali benedictione,* eo, quo explicavi, modo: cujus benedictionis, quam jam in Christo habemus in coelo, fructus eòque certa testimonia sunt spirituales benedictiones: quibus nos in terris existentes, virtute sui Spiritus, quotidie replet, quales sunt, ut supra dixi, Christianae virtutes, primitiaeque Spiritus Christi, de cujus plenitudine nos omnes accepimus, & quotidie accipimus. Hic est verus (meo judicio) sensus hujus loci Paulini, de benedictione nostra in coelestibus in Christo: ac proinde non dubito, Apostolum locutum esse de supercoelestibus locis, in quibus habitat Christus suo corpore. Alium nolo Interpretem, quàm ipsùm Apostolum. Hunc igitur audiamus.

Apostolus sub finem primi capitis hujus Epistolae dixit, *Deum suam potentiam exercuisse in Christo, cùm illum suscitavit à mortuis, & collocavit ad dexteram suam* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *longè supra omnem principatum & potestatem, & dominationem, & supra omne nomen, quod nominatur in hoc, & in altero seculo: & subjecit omnia sub pedibus ejus, & constituit caput super omnia ipsi Ecclesiae, quae est corpus ipsius, &* πλήρωμα *ejus, quia omnia in omnibus implet.*

His certè verbis copiosè descripsit *gloriosam spiritualèmque benedictionem,* ad quam evectus est Christus in locis supercoelestibus, neque hac de re ulla est dubitatio. Cùm verò haec de Christo capite dixisset Apostolus, posteà capite sequenti subjecit de spirituali benedictione, qua Deus Ecclesiae, id est, *nobis omnibus fidelibus in Christo benedixit*: in iisdem scilicet supercoelestibus locis, dicendo: *Etiam nos, cùm essemus mortui per peccata, una vivificavit per Christum, cujus gratia estis servati: & una excitavit* (scilicet è mortuis) *unaque collocavit* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *in Christo Jesu, &c.* Audis interpretem Pauli Paulum? Quod cap. 1. vers. 3. dixerat *Deum Patrem nobis benedixisse omni benedictione spirituali* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *in Christo:* hîc cap. 2. ait, *Deum nos convivificasse, conresuscitasse, & consedere fecisse in Christo Jesu.* Atqui Christus sedet ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, nempe locis. Ascendit enim verè supra omnes hosce spectabiles coelos. Ergo nos quoque in eisdem locis benedixit. Cur verò dixit Apostolus *cap. 2.* Deum nos resuscitasse & sedere fecisse in coelis in Christo? quia re ipsa nondum resurreximus a mortuis, nondùmque escendimus in coelum, neque sedemus ἐν τοῖς ἐπουρανίοις corporibus nostris, sed tantum in persona Christi capitis nostri, cujus tamen Spiritu, ex illis ἐπουρανίοις, ubi Christus sedet, ad nos in terris existentes misso vivificati vivimus Deo: ne quis putet nos hîc separatos esse à Christo in coelis existente: eòque *reali illa spirituali benedictione destitui.*

Caeterùm, tribus illis dictionibus in 2. cap. nimirum *convivificatione, conresuscitatione, & consessione* in coelestibus in Christo Jesu, explicavit Apostolus omnem illam benedictionem spiritualem, qua praedixerat nos fuisse benedictos in supercoelestibus in Christo. Ac primum nomine vivificationis complexus est συνεκδοχικῶς totam justificationem & sanctificationem, & regenerationem, eóque fidem, spem, caritatem, & harum effecta: quae omnia nobis hîc existentibus realiter quidem communicantur: sed quia ex parte tantum & imperfectè, ideo nostram perfectam justitiam & sanctitatem, quae nomine spiritualis benedictionis significantur, juxta illud, *In semine tuo benedicentur* (id est, justificabuntur & servabuntur) *omnes Gentes;* ideò, inquam, nostram justitiam, & sanctitatem,

& sapien-

& sapientiam, dicimus esse in Christo sedente in coelis, quia in nobis ipsis nondum sumus perfectè justi & sancti, & sapientes. Atque haec est pars spiritualis benedictionis, quâ sumus in coelo benedicti, sed in Christo.

Deinde nomine *excitationis à mortuis,* & nomine *collocationis seu sessionis in coelestibus* apertè significavit gloriosam nostrorum corporum à mortuis resurrectionem, immortalitatem, aeternàmque & plenam in coelo glorificationem, & beatitudinem, quam habemus quidem jam in Christo in coelis regnante, coelùmque non tam suo, quam nostro jam nomine obtinente: sed tam certum est, nos quoque in coelis ipsis eam percepturos beatósque in coelo futuros, quam certum est ibi jam esse Christum in gloria coelesti. Locus igitur iste Pauli in 2. capite diligenter retinendus est, & adhibendus ad explicationem hujus secundae propositionis, quam habemus in 3. versu primi cap. *Deus benedixit nobis omni benedictione spirituali in supercoelestibus in Christo.*

Duo autem manifestè explicat Apostolus in eo 2 cap. *Primùm*, quae sit ista πᾶσα id est, *perfecta benedictio,* qua dixit nos jam esse *benedictos in Christo:* tota scilicet salus nostra. *Deinde*, quae sint illa ἐπουράνια, in quibus jam sumus *verè & perfectè benedicti*, sedes nimirum coelestes, in quas conscendit Christus: id quod manifestè evincitur ex verbis Apostoli in 2 cap., ubi scribit nos in coelestibus jam sedere, in quibus & Christus. De Christo enim ita scribit cap. 1 vers. 20. καὶ ἐκαθισέν (Christum) ἐν δεξιᾷ αὐτὸυ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. De nobis autem cap. 2 vers. 6 καὶ σύνεκαθίσεν (ἥμας) ἐν τοῖσ ἐπουρανίοις ἐν Χριςτῷ ᾿Ιησοῦ. Quid clarius? Atqui Christus ascendit in verum coelum supra omnes hos Coelos, & ibi sedet ad dexteram Patris supra omnes exaltatus, id est, omnia regit cum Patre. Ergo & nos in iisdem locis sumus in Christo benedicti. Quare nomine *supercoelestium* in 3. etiam versu non intelliguntur res supercoelestes, sed loca *supercoelestia.* Ideò rectè Syriacus habet, *Baschemajah*, id est, *in coelo.*

Accedit, quod supervacanea esset haec particula, idque in hoc parvo versiculo. Quid enim discriminis est inter res spirituales & coelestes? Cum igitur dixerit nos esse benedictos πάσῃ εὐλογιᾷ, quid opus fuit addere in coelestibus rebus?

Adde, quód in aliis quoque locis, ubi de Christo in coelum evecto, & sedente ad dexteram Patris, *vox coelorum & supercoelestium & excelsorum,* eodem sensu capitur, pro locis sedibùsque coelestibus: quemadmodum fusiùs dicemus, Deo favente, in cap. 4. ubi antithesin facit inter infimas partes terrae & inter supremum coelum. Frequens est antithesis in sacris Literis inter coelum & terram: *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Psal. 115. *Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Jes. 66 *Fiat voluntas tua sicut in coelo, sic in terra* Mat. 6. Sic Hebr. 1. *Sedet in dextera Dei* εν ὑψίςοις id est, *in locis altissimis.* Opponuntur enim terrae & infimis locis, sicut Lucae 1. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, &c.* Cùm igitur Apostolus loquatur hìc de illa *perfecta spirituali benedictione, justitia, sanctitate, gloria, beatitudine, felicitate, quam habemus in Christo jam glorificato sedentéque in locis supercoelestibus ad dexteram Patris, exaltatus super omnes principatus & potestates, & excelsior coelis factus,* ut loquitur Apostolus ad Hebr. 4. illud ἐν τοῖς ἐπουρανίοις intelligi aliter non potest, quàm de locis supercoelestibus, in quibus jam est Dominus noster Jesus Christus.

Proinde

Proinde non sine causa conjunxit τὰ ἐπουράνια cum Christo, dicendo *in supercoelestibus in Christo:* sicut & ad Coloss. : 3. *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* Sursum ait esse Christum, & proinde quaerenda esse quae sursum sunt, id est, *coelestes benedictiones ac virtutes, non terrenas voluptates. In coelis enim sursum est omnis nostra spiritualis benedictio, qua sumus benedicti in Christo.*

Et certè usus magnus est, quem vult Spiritus sanctus à nobis percipi ex hac doctrina, qua docet, *Christum in locis coelestibus, & etiam esse perfectas nostras benedictiones in ipso Christo.* Vult enim eò attolli corda nostra, cogitationes nostras, desideria nostra; ut licet corpore simus in terris, animo tamen versemur in coelis, ubì nostrum habemus caput, & in eo thesauros nostros, benedictiones nostras omnes, vitam & felicitatem aeternam. *Quae sursum sunt quaerite*, ait Apostolus, *ubi Christus est.* Et ad Philip. 3. πολίτευμα *nostrum* (inquit Apostolus) *in coelis est.* Salutarem hunc usum nobis eripiunt illi, qui coelum ubique extendunt, miscentque coelum cum terra. Non sine causa igitur volui locum hunc pluribus explicare & demonstrare, illud ἐν τοῖς ἐπουρανίοις non aliter esse intelligendum, quàm in locis supercoelestibus, ubi Christus noster sedet ad dexteram Patris, hoc est, regnat, & omnia regit cum Patre.

Non praeteribo & hoc, quod mihi in mentem venit, Apostolum voluisse nobis demonstrare, hanc nostram spiritualem εὐλογίαν esse firmam & stabilem, nec eripi nobis posse. Quid ita? Quia in coelis est, non in terra: sicut & Christus loquebatur. *Nolite thesaurizare vobis in terra, ubi tinea & erosio corrumpit, & ubi fures perfodiunt & furantur: sed thesaurizate in coelo, ubi neque tinea, neque erosio corrumpit, neque fures furantur. Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Utilissima igitur est haec doctrina nos cum Christo, in coelo ingresso, fuisse à Patre *omni spirituali benedictione* benedictos. Ac haec de hoc quinto capite satis.

6. Hinc facile expeditur sextum & ultimum: nempe, quod ait Apostolus nos esse benedictos in Christo. Communis & recepta est sententia, hîc assignari à Paulo materialem nostrae salutis, omnísque spiritualis benedictionis, causam: hanc nimirum esse Christum, nempe ut Mediatorem & Pontificem, qui se ipsum obtulit in sacrificium pro salute nostra. Sententia haec verissima est: quia certè tota materia salutis nostrae in Christo est Mediatore, in ejus obedientia, morte, sanguine. In eo enim est tota legis impletio, peccatorum expiatio, sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio, tota denique salus.

Caeterum, de intelligentia verborum Apostoli non est eadem omnium sententia: neque ego omnibus subscribo. Sunt qui sic interpretentur, *Benedixit nos in Christo*, id est, in gratiam Christi, & in complementum ipsius tanquam capitis nostri, nos replevit omni benedictione. Alii, *benedixit nos in Christo*, id est, in fide Christi constitutos, Christóque incorporatos. Alii, *benedixit nos in Christo,* id est, per & propter Christum. Prior interpretatio videtur referre causam finalem: nempe ideò Patrem nobis benedixisse, ut Christus haberet totum suum corpus, quod est Ecclesia ex Electis constans, benedictum, sanctum,

tum, justum, sicut & caput sanctum est. Secunda respicit nos, qui sunt benedicti. Restringit enim benedictionem ad fideles in Christum: quasi dicat, benedixit nos, qui sumus in Christo fideles, & ei incorporati: quasi verò nomen benedictionis non complectatur etiam fidem & in Christo incorporationem. Tertia respicit merita Christi & officium Mediatoris: ut sit sensus, *benedixit nos in Christo,* id est, per Christum, tanquam Mediatorem, & propter Christum, seu propter ejus merita, obedientiam, passionem, mortem. Omnes verae sunt: sed aliud sensisse Apostolum his verbis, mihi dubium non est: nempe voluisse demonstrare, ubinam sit posita & firmata nostra benedictio & salus in *Christo,* videlicet tanquam in capite nostro, unde in nos fluit quicquid habemus spiritualium benedictionum, tam in intellectu, quam in voluntate & affectibus: & tam in corpore, quàm in anima. Hoc ita se habere, hancque esse veram horum verborum interpretationem, liquet ex loco Apostoli in cap. 2. hujusce Epistolae: ut alia omittam loca, brevitatis causa. Certè quod dixit Jeremias cap. 23. de Christo, quem vocat Jehovam *Jehova Zedechenu*, & quod Paulus confirmat ad 1. Cor. 1. *Ipse Christus factus est nobis sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio,* non potest intelligi, quod in ipsius tantùm gratiam simus justi, ut habet prima interpretatio: neque quòd illi tantum sint justi, qui sunt fideles, quod tamen verisissimum est, ut habet secunda: nec denique quod tantum per & propter Christum simus justi, ut habet tertia: sed aliud significat haec phrasis, nempe, *ipse justitia nostra, ipse est benedictio nostra, vitaque nostra.* Idem significat illa locutio, quod etiam haec praesens, *In Christo benedixit nos*, id est, in ipsius persona, nos, quos voluit ejus membra esse, agnoscit Pater *pro benedictis, pro justis, pro sanctis,* & in eo firmata est nostra salus, aeternaque felicitas. An non dicit Apostolus cap. 2. hujus Epistolae, *nos resurrexisse cum Christo, & cum illo ascendisse in coelum, sederéque in coelestibus?* Intelligésne (ut habet prima interpretatio) nos re ipsa resurrexisse, sederéque in coelis, sed in gratiam Christi? Aut nos, quia fide insiti sumus Christo, verè & reapse resurrexisse, ut habet secunda? Aut denique nos verè resurrexisse, sederéque in coelis, sed per & propter Christum? Nequaquam: sed quia Christus caput nostrum resurrexit, & sedet in Coelestibus locis, ideo nos quoque à Patre haberi & reputari pro resuscitatis, & jam sedentibus viventibúsque in coelo: sicut etiam pro justis habet in eodem Christo, id est, in persona Christi. Atque hic locus & alii similes faciunt manifestè adversus Pontificios, negantes justitiam Christi imputatam, & statuentes duntaxat inhaerentem in nobis justitiam.

Pertinet huc quod subdit, nos esse coram ipso sanctos & inculpatos. Ubinam tales sumus? Non certe in nobis, sed in persona Christi capitis nostri. Item quod ait, Deum fecisse nos sibi gratos ἐν τῷ ἠγαπημενῷ id est, quatenus nos in Christo dilectissimo atque carissimo considerat ut ejus membra, eatenus nos habere pro dilectis & gratis.

Haec est vera benedictio, vera justitia, vera sanctitas, vera denique vita & felicitas, quam scilicet habemus in Christo. Atque haec interpretatio facit ad scopum Apostoli, qui fuit hortatus (ut supra ostendimus) fideles ad retinendam Apostolicam doctrinam, cùm universam, tùm in primis hanc, Hominem servari,

non

non per Mosen, seu per opera legis, vel in totum, vel ex parte, sed per *solam fidem in Christum, justitiam nostram, fide apprehensum.*

Quid enim magis doctrinam hanc confirmat, quàm si dicamus, nos verè benedictos esse, non in nobis ipsis, sed in sola Christi persona, tanquam membra in capite? Hac igitur propositione, quae est fundamentum totius Epistolae, revocat in memoriam Ephesiis, summam Evangelii, quod ante ex ipso audierant, nempe totam salutem nostram, ab initio usque ad finem, esse gratuitam: & non ex operibus legis, aut ullius justitiae, quae fecerimus nos, sed tantùm ex gratia Dei in Christo, pendere: atque ut in hac perseveremus, hortatur, rogat, exstimulat, obsecrat.

Singulis autem verbis eandem confirmari demonstrabimus.

1. *Deus* (non Angelus, non Moses, non lex, non ullus homo sanctus) *benedixit nobis:* neque nos nobis ipsis, sed solus Deus: neque id simpliciter, ut Deus justus judex, qui unicuique reddet secundùm opera sua, sed ut Pater Domini nostri Jesu Christi, eòque amans Christi, & eorum qui ad Christum pertinent, *benedixit nobis.* Ergo benedictio haec tota gratuita est; quia paterna est benedictio.

2. *Benedixit nobis.* Ergo nostrapte natura maledicti eramus, ac proinde nihil in nobis erat, quo potuissemus promereri hanc benedictionem. Quare tota gratuita est.

3. *Omni spirituali benedictione.* Ergo quicquid ad salutem Spiritus attinet, sive cognitio Dei, aut peccatorum nostrorum, sive poenitentia, sive fides, sive ulla bona opera: omnia à divina pendent benedictione, & in ea continentur. Quare gratuita.

4. *Benedictus in supercoelestibus.* Ergo hanc non commeruimus operibus nostris in terra.

5. *In Christo.* Non igitur in Mose, vel lege, operibúsue legis: imo ab ea maledicimur omnes: sed in *Christo* scilicet *solo benedixit.* In illo igitur *solo* est nostra perfecta benedictio, non in nobis: gratuita igitur, quia imputabatur nobis quod in nobis non est, sed in alio. Totum hoc confirmat versus sequens, & tota ferè Epistola. Haec est doctrina, in qua potissimùm vult nos constanter perseverare Apostolus: & cujus rei causa hanc scripsit Epistolam: & pro quâ statim initio Epistolae, gratias agens Deo, exclamavit, dicendo: *Benedictus Deus &c.* Quid ita? *qui* (inquit) *benedixit nobis.*

4. *Sicut elegit nos in ipso* (Christo) *ante Mundi constitutionem, &c.*

Quod de gratuita nostri salute ac felicitate in Christo, deque ejus causis, una brevi propositione proposuit antè Apostolus: illud nunc incipit explicare per partes: idque juxta ordinem illum triplicem, quò initio diximus considerari à nobis posse spirituales benedictiones à Deo in Christo Mediatore nobis praestitas.

Partes seu modi benedictionum coelestium tres.

Diximus autem considerari posse, *Primùm* quatenus in ipsa aeterna praedestinatione

tinatione fuerunt nobis in Christo praeparatae: qua de causa Augustinus rectè definivit praedestinationem, dicendo, *Praedestinatio est praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Ita salus nostra omnèsque ejus partes aeternae sunt, illaeque in Christo. *Deinde* considerantur, quatenus certo tempore re ipsa fuerunt in Christi persona peractae, atque perfectae: quanquam nobis aut nondum cognitae, aut nondum reapse communicatae. Christus enim sicut oravit, sic etiam sacrificium obtulit pro illis quoque, qui nondum credebant in eum, imo qui nondum nati erant, Joh. 17. *Tertio*, quatenus nobis reapse per Evangelium vocatis, & fide donatis, per Spiritum sanctum communicantur. Quòd cùm sit, dicimur efficaciter *vocari, sanctificari, justificari, glorificari.*

Miscet quidem Apostolus saepe hos tres modos: de primo tamen propriè agit in iis tribus versibus. 4. 5. 6.

Est autem propositum & scopus Apostoli in his versibus, plenam & perfectam hanc spiritualem benedictionem, quam in Christo capite, ad dextram Patris sedente in locis *supercoelestibus*, perfectè habemus, & cujus primitias atque effecta in nobis etiam ipsis sentimus; hanc, inquam, benedictionem nobis non contigisse aut casu, aut fortuitò aut ex meritis nostris, sed ex aeterna & gratuita Dei electione, seu ex sapientissimo, liberrimo, firmissimo, & gratuito Dei consilio, quo nos & non omnes, in *solo Christo*, & non in alio, decreverat hac *spirituali benedictione benedicere:* idque eo prorsus tempore loco & modo, quô tandem reipsa benedixit. Hoc significat hac dictione, καθὼς ἐξελέξατὸ, quasi dicat, Quod Deus Pater nobis & non omnibus hominibus, in Jesu Christo & non in alio, *omni spirituali benedictione benedixerit,* idque in *coelestibus:* id non fecit temerè, aut propter praecedentia nostra merita, aut ex novo aliquo consilio: sed prout ab aeterno apud se constituerat, & non aliter: ita ut fons & initium totius hujus benedictionis sit ipsa gratuita & aeterna Electio, facta itidem in *Christo.* Revocat igitur nos Apostolus ab ista benedictione facta in tempore, ad primam & aeternam illius causam, quae est aeterna & gratuita Electio, facta itidem non in alio, quàm in *eodem Christo, in quo etiam benedixit nobis Pater in supercoelestibus.* Quorsum verò hoc facit? ut magis ac magis confirmet superiorem propositionem in animis fidelium, adversus adversarios justitiarios, de perfecta & gratuita benedictione, quam in *solo Christo* habere nos dixit: eòque cum Christo non esse, ut falsi doctores ex Judaismo docebant, Mosen miscendum in negotio salutis aeternae. Quid ita? Quia si *Pater benedixit nobis in Christo omni benedictione,* eáque firmissima, quae in coelis: nulla igitur in Mose, seu in lege legisque operibus nobis relinquitur. Nam ita etiam ab aeterno fuerat constitutum & firmatum, ut in *solo Christo* benediceremur, in quo etiam solo ad hanc benedictionem sumus electi. Est igitur hic insignis locus de electione nostri in *Christo*, ad spiritualem aeternàmque benedictionem.

Observationes.

1. Ex causa autem finali, propter quam Apostolus hîc disseruit de Electione, nempe

nempe ut inde magis ac magis confirmaret fidem fidelium, ad quos scribebat de certa & gratuita ipsorum in *solo Christo* benedictione: docemur quandonam fructuose de praedestinatione praedicare possimus. Praeter alia tempora, tùm certè opportunum est, cùm asserenda est gratia Dei adversus praedicatores humanorum meritorum. Confirmandaeque sunt piorum conscientiae in certitudine salutis per *solum Christum* adversus omnem diffidentiam: quemadmodum hìc facit Apostolus. Falluntur ergo, qui doctrinam de praedestinatione nunquam populis proponendam esse docent. Quid enim hoc aliud est, quam dicere fundamentum salutis nostrae, praecipuàmque Evangelii partem supprimendam esse? Paulus certè initio Epistolae de ea ad omnes fideles abundè disserere non dubitavit. Sed Apostoli verba examinanda sunt.

2. Illa dictione καθὼς docet *Deum in nobis benedicendis ac servandis* nihil planè agere & nullo alio modo, quàm quod & quomodo in aeterno suo consîlio praefinierat. Videmus autem nos non omnes benedici. Ergo neque omnes ad hanc benedictionem electos fuisse, manifeste concludimus a posteriori: Ita certus est numerus Electorum. Et contra à priori: Non omnes sunt electi ad hanc: Ergo non omnes possunt hujus benedictionis participes fieri, sed illi duntaxat, qui ad hanc electi sunt. Item, quicunque ad hanc electi sunt tantùm in Christo, ut in capite Ecclesiae, idque gratis secundùm propositum voluntatis Dei, ad laudem *gloriae gratiae ipsius:* Ergo quicunque benedicuntur, in Christo tantùm benedicuntur, idque non ex suis operibus, sed ex gratuito Dei proposito, necesse est. Omnia enim agit Deus, καθὼς praefinivit semel in aeterno & sapientissimo consilio suo. Ita extra Christum nulla est benedictio: & omnis benedictio gratuita est, & non ex operibus.

3. *Elegit:* quis? *Deus Pater.* At etiam Christus elegit. Joh. 13. *Ego scio quos elegerim:* ac de aeterna electione ad aeternam salutem ibi loqui Christum, certo certius est. Est autem hoc proprium Dei: duo ergo consequuntur, *Unum*, Christum igitur verum esse Deum: *Alterum*, Christum non alium esse Deum Patre, quanquam Pater non sit Filius, nec Filius Pater. Idem de Spiritu sancto concludi facilè potest ex loco Actor. 13. *Spiritus sanctus dixit, segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus, ad quod vocavi eos.*

4. Elegit: ex aliorum igitur hominum numero. Omnis enim electio alicujus vel aliquorum, ex reliquorum numero sit oportet: *Et elegit, ut essemus sancti & inculpati in conspectu ejus.* Omnes igitur homines erant in conspectu Dei immundi, impii, maledicti. Cùm autem elegerit ante Mundi constitutionem, eóque anteqùam homines crearentur & peccarent: efficitur Deum omnes sibi homines futuros ante oculos proposuisse, & quatenus futuri erant impii & maledicti, eos etiam ita considerasse: atque ita quosdam pro beneplacito voluntatis suae elegisse, aliis in suo peccato ac maledictione relictis. Electio igitur ad benedictionem & sanctitatem praesupponit totius humani generis peccatum & maledictionem; non quod ab aeterno re ipsa fuerint homines, & tales homines: sed quòd fuerint, talésque fuerint in conspectu Dei. Quare qui de electione ac praedestinatione cogitant vel loquuntur absque consideratione peccati & maledictionis totius humani generis: ii praeposterè de ea cogitant & loquuntur, & contra ordinem, quem servavit Deus in ipsa aeterna elec-

electione: ac proinde in multas absurdas & perniciosas cogitationes incidant necesse est. Quare concludamus, si electi sumus, electos fuisse ex communi omnium hominum impiorum massa atque colluvie: eòque gratis citra respectum personarum & meritorum: quia omnes ex aequo eramus in conspectu Domini impii & maledicti.

Locus de electione.

5. *Nos* (inquit) *elegit* nempe omnes fideles, qui in Christum credimus, tum ex Gentibus, ut vos estis, quàm ex Judaeis, ut ego sum. De iis enim loqui & non de omnibus hominibus, nihil est certius.

Caeterùm, intelligendum hoc non est, quasi quia Deus praevidebat, nos futuros fideles, ideò elegerit; Nam etiam fides in Christum effectum est electionis, *quia donum Dei est:* & Paulus apertè scribit, 1 *Cor.* 7. 25. se misericordiam consecutum esse à Domino, ut fidelis esset: hoc est (ut optimè observavit Augustinus) non quia fidelis erat, sed ut fidelis esset. Non igitur elegit nos, quia futuri eramus fideles: sed potiùs, ut essemus fideles, sicut sequitur, cùm ait, *ut essemus sancti, & inculpati per fidem.* Verùm Apostolus cùm ait, *Nos*, scilicet fideles, à posteriori (ut loquuntur) pronunciat, quinam sint electi: illi nimirum in quibus notae electionis cernuntur. Hae notae sunt multae, quare fons est vera in Christum fides, per charitatem efficax. Qui igitur tali fide praediti, eòque verè insiti Christo, verèque sancti: hos electos fuisse ad aeternam benedictionem, extra controversiam est: & qui se tales esse per gratiam Dei sentiunt: ii certum habent in seipsis aeternae Electionis testimonium. Neque enim tali fide excidere penitùs possunt, & perire.

Caeterum quia non omnes Electi eodem tempore vera donantur fide, sed alii citiùs, alii tardiùs: id- circo etiamsi videamus aliquos fide destitutos esse, de nemine tamen desperandum est, negandùmque eum ex Electorum numero non esse. Certum quidum est, non posse nos de quopiam pronunciare, eum esse electum, in quo non appareat nota electionis, fides in Christum: nam neque Apostolus hoc asserit nisi de fidelibus: sed rursum hoc etiam verum est, non posse à nobis ullum in praesenti infidelem negari ad electionem pertinere. Ratio: quia ignoramus, an sit donandus fide, nec ne. Proinde compescenda est temeritas humana in judicio de reprobatione. De omnibus potiùs, etiam gravissimis peccatoribus & hostibus Ecclesiae, bene sperandum est quàm temerè pronunciandum, hunc vel illum ad electionem non pertinere. Paulus enim hoc docet, qui de fidelibus ita pronunciat, eos esse electos; ut de illis qui adhuc erant infideles, non neget. Sequamur & nos exemplum Apostoli. Non inficior quin in reliquis certa τεκμήρια reprobationis saepe appareant, ut ferè non possimus aliter de illis sentire, quales sunt praeter alios illi, qui veritatem cognitam pertinaciter abnegant: certam tamen ferre sententiam nobis non licet, qui corda hominum non intuemur: sed solus Deus, καρδιογνώστης.

6. *In Christo*: nempe tanquam capite & Mediatore, bifariam hic locus exprimitur. Quidam sic interpretantur: ut per *Christum benediceremur, fieremus sancti*,

sancti, & servaremur. Sic autem sentiunt: Deum ordine quodam naturae priùs elegisse quos vellet servari: & tùm constituisse Christum tanquam Mediatorem, per quem re ipsa suo tempore servarentur. Sicut si quis constituat sibi aliquem in filium adoptare, & curare illum in pietate & bonis literis instituendum: & deinde deligat per quem instituatur. Sic sentiunt de nobis electis, & de Christo, in quo sumus electi. Etsi enim in Deo non sit prius nec posterius: ordine tamen naturae praecedere in mente divina illa quae serviunt fini. Sic igitur intelligendum esse Paulum: *Elegit nos in Christo*, id est, ut nos jam praedestinati ad aeternam benedictionem, *per Christum benediceremur fieremùsque sancti.*

Sed mihi magis probatur, si dicamus, nos electos esse in Christo, tanquam in capite, ut essemus illius membra eàque sancta, &c. Sicut enim Pater Cbristum priùs exaltavit in coelum, sederéque fecit eum, postea nos in illo: sic etiam hunc ordinem cogito in illa aeterna electione. Voluit Deus Pater filium fieri caput Ecclesiae: elegit ergo illi membra.

Et Apostoli verba hoc docent: *Benedixit nos in Christo* (ut in capite) *sicut elegit nos in ipso.* Sicut igitur non sumus benedicti, nisi in Christo capite: ita etiam non fuimus electi sine Christo, aut ullo ordine naturae extra Christum, sed in Christo, ut in capite, illoque jam electo capite. Quò spectat quod ait in fine cap. Ecclesiam esse πλήρωμα Christi: id est, Christus non judicat se perfectum sine nobis.

Summa haec est: omnem benedictionem nos accepisse in Christo & habere: Atqui etiam electos nos esse summa est benedictio & fons, &c. Ergo etiam non fuimus electi extra Christum, sed in Christo, ut membra in capite. Gratuita igitur tota salus, ab initio ad finem usque.

7. Duplex est autem electio, aeterna & temporalis. Temporalis duplex, *Una* ad certum officium: de hac *Johan.* 6. Nonne duodecim elegi & unus diabolus est? Ad Apostolum elegit hos. *Altera* è mundo in Ecclesiam & ad salutem percipiendam. De hac, Ego vos elegi de Mundo. Ergo differentiae causa dixit, Ante Mundi constitutionem. Gratuita igitur, quia nihil feceramus boni.

Sed objiciunt Sophistae: Atqui praeviderat fidem. Resp. Sed verbum *elegit* refellit hoc commentum. Elegit ex massa hominum improborum & maledictos: nil ergo in nobis praevidit boni propter quod elegerit; & sequentia, quae dicimus, confirmant: Ut essemus sancti & irreprehensibiles, &c. Non igitur eramus tales: quare nec fideles.

8. *Sancti*, id est primùm consecrati Deo: deinde puri, mundi, è faecibus purificati & irreprehensibiles. His complexus est omnes benedictiones, quas in hoc Mundo accipimus à Christo, vocationem, justificationem, fidem, sanctificationem. Omnia igitur effecta sunt Electionis. Gratuita igitur salus.

9. Sed quâ sanctitate sancti? Resp. Primò duplex est sanctitas, una hypocritica & falsa: altera, vera. Haec iterum duplex, una inhaerens, altera imputata. De vera loquitur: ideò adjecit: *In conspectu* ejus. Primum in conscientia, in corde, eóque vera. Secundo, quia nos comtemplatur in persona Christi, qui est in conspectu Patris; ibi sumus verè sancti.

Hinc solvitur quaestio, quomodo irreprehensibiles simus in conspectu Dei, cùm dicat David, *Psal.* 143. Ne intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur apud te omnis vivens. *Item,* Coeli non sunt mundi in conspectu ejus. Job 15.

Resp. *Primò* in corde, quatenus sanctitas haec conjuncta est cum remissione peccatorum. Ubi nullum est peccatum, ibi nulla reprehensio. *Secundo*, in persona Christi, propter imputationem sanctitatis ejus. *Tertiò*, Ante thronum gratiae ipsius sumus irreprehensibiles.

10. *In caritate*. Potest conjungi cum altero etiam versu insequenti, ut facit Syriacus. Si cum hoc bifariam construitur: primo cum verbo *Elegit*, in caritate nempe suâ erga nos. Ita explicat causam impulsivam in Deo exstitisse. Motum enim fuisse ad nos eligendos, non à nostris praevisis operibus, sed à suâ erga nos caritate: eòque ex mera gratia Dei nos fuisse electos ad hanc benedictionem, de quâ dictum est, hoc est, ad veram sanctitatem & innocentiam in Christo; & sic interpretantur scholia Graeca: εἰς τοῦτο κινηθεὶς ἐξ ἀγάπης μόνης. Ita ἐν τῇ ἀγάπῃ accipiunt pro διὰ τὴν ἀγάπην, sicut habet, cap. 2. v. 4. Idem Apostolus eodem sensu διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην ἀυτοῦ, quâ dilexit nos, etiam mortuos per peccata convivificavit. Hanc multi docti sequuntur. Alii, quia videtur cum verbo nimis remoto conjungi, construunt cum proximo membro. Ut essemus sancti & inculpati in caritate. Volunt enim explicari, in qua potissimùm re consistat sanctitas & irreprehensibilitas, nempe in vera caritate, juxta illud *Rom* 13: Qui diligit proximum, legem implevit. Multo magis, si nomine caritatis accipias dilectionem Dei & proximi. Sic Ambrosius, Elegit (*inquit*) fideles, ut essent incontaminati in caritate, *id est*, ut amor Dei sanctam illis faciat conversationem. Nemo enim melius alicui obtemperat, quàm qui ex caritate obsequitur. Hanc sequitur doctissimus Interpres. Quidam alii conjungunt & ipsi quidem cum proximo membro, sed alio sensu: nempe sic, ut simus sancti, irreprehensibiles in caritate, nimirum Christi, quâ dilexit perfectè & Patrem & nos. Illa enim nobis imputatur, & illa, seu per illam, sumus verè sancti coram Deo. Sed haec videtur coacta. Scholiorum magis recepta est.

Sed si conjungatur cum sequenti verbo προορίσας multò melius fluit, & facilior est constructio: neque ulla vis infertur verbis, cum Apostolus non distinxerit suas Epistolas versibus. Idem verò concluditur hac lectione, quod etiam altera, ut Scholia faciunt: nimirum causam, à quâ motus fuit Deus ad nos diligendos, nullam fuisse extra Deum: sed ipsius caritatem erga nos in Christo. Nihil tamen muto.

Hîc verò apparet, ordine quodam naturae, dilectionem Dei erga nos in Deo ipso ipsam Electionem & praedestinationem praecessisse, si ad nos eligendos & praedestinandos motus fuit à sua erga nos caritate. Quia vero nos amavit in Christo, sicut & elegit: ideo sequitur amatum fuisse prius Christum, & similiter etiam electum: idèo diximus antè, nos esse electos in Christo tanquam in capite, jam à Patre toti Ecclesiae destinato: electos, inquam, in Christo, ut nos essemus illius membra. Idem confirmatur vers. 5.

5.

5. προορίσας ἡμᾶς *in adoptionem filiorum per Jesum Christum in sese juxta beneplacitum voluntatis suae.*

Duplex potest esse hujus versus cum superiore continuatio, eòque & sensus. Primùm ut sit ceu explicatio superioris versus, cur scilicet nos elegerit in Christo ad sanctitatem & innocentiam: quia nimirum praedestinavit nos ad hoc, ut essemus filii Dei, eòque fratres Christi, & ex consequenti cohaeredes aeternae vitae. Non decebat autem, si futuri eramus filii Dei, & fratres Christi, ut essemus immundi & inculpabiles, quando & Pater noster sanctus est, & primogenitus caputque nostrum sanctum & inculpatum. Cum igitur nos praedestinarit εἰς υἱοθεσίαν, elegit etiam ad hoc, ut simus sancti, &c.

Scholia sic construunt: Elegit nos, ut simus sancti, ἵνα τὶ γίγνεται; ἵνα ὑιοθετήσῃ ἡμᾶς διὰ τοῦ (ὑιοῦ) Χριστοῦ, quasi dicerent: quorsum elegit ad sanctitatem & innocentiam? ut fieremus filii Dei, eòque haeredes regni. Sed mihi magis placet, si dicamus in hoc versu esse αὔξησιν, quasi dicat, Non solùm elegit nos ad sanctitatem & innocentiam: sed etiam praefinivit seu praedestinavit nos εἰς ὑιοθεσιαν, eóque ad haereditatem coelestis regni. Plus enim est esse filium Dei, quam esse sanctum & sine peccato. At enim huic sententiae videtur astipulari Syriacus, qui addita particula conjuncta καὶ seu Et, sic legit, *Et in caritate praedestinavit nos sibi, & posuit nos in filios per Jesum.* Videtur etiam favere huic interpretationi versus sextus, ubi finem ultimum ponit hujus praedestinationis, dicendo, *Ad laudem gloriae gratiae suae:* id est, ut non solum gratia Dei illustraretur, sed etiam gloria ipsius gratiae divinae. Gratia enim est, quòd elegerit ad sanctitatem: sed gloria gratiae est, seu gloriosa illustrissimaque gratia, quod praedestinarit ad hoc, ut simus filii Dei. Est igitur αὔξησις in hoc versu. Quidam volunt hoc verbo προορίσας ἡμᾶς εἰς ὑιοθεσίαν explicari verbum superioris versus, ἐξελέξατο ἡμᾶς elegit nos; quasi dicat, quid est, Elegit nos? Praefinivit seu praedestinavit εἰς ὑιοθεσίαν: seu quomodo Elegit, & ad quid? Ait προορίσας ἡμᾶς εἰς ὑιοθεσίαν, eòque ad aeternam vitam. Ita vertendum esset istud participium in gerundium, hoc modo, *Elegit nos praedestinando* nos εἰς ὑιοθεσίαν.

Caeterum, ut ad rem veniamus, quatuor hujus sunt versus particulae. *Prima* docet nos esse praedestinatos ad ὑιοθεσίαν, ut essemus, seu ut simus filii Dei, & ex consequenti, ad haereditatem regni coelestis. *Secunda* docet, per quem fiamus filii Dei: ait per Jesum Christum, nempe naturalem filium Dei. *Tertia*, cuinam per Christum adoptemur à Deo Patre in filios, ipsi Patri. Ideò ait, εἰς αὐτὸν *in sese,* seu, ut habet Syriacus, *sibi ipsi. Quarta* continet causam impulsivam, Deum Patrem nos adoptasse sibi in filios per Christum, non aliunde motum quam à benevolo affectu, seu à beneplacito voluntatis suae. Singula igitur expendamus.

1. ὑιοθεσία est adoptio: & magnum est discrimen inter ὑιοθεσίαν & ὑιοθεκυίαν. Solus Christus est verè natus ex Patre Deo: sed nos per adoptionem facti sumus filii Dei. Ergo, licet saepè in scripturis dicamur *nati ex Deo,* ut. *1. Joh. 5.* Qui natus est ex Deo, non peccat; impropriè tamen sic vocamur, & talia loca exponenda sunt per hunc locum Pauli, & alios similes: id est, nos esse adoptatos in filios Dei: & factos, sicut ait Johannes cap. 1, non autem propriè geni-

genitos: sicut contra ὁ λόγος est genitus, non factus. Complectitur autem συνεκδοχικῶς omnia, quae hanc filiationem consequuntur: praesentem haereditatem coelestem. *Si enim filii, & haeredes.*

Praedestinatio quid.

Verbum προορίζειν significat non simpliciter praedestinare ad aliquid: sed ita praedestinare ad aliquam rem, ut etiam omnes fines & terminos constituas, quibus ad eam rem consequendam certo deducatur is quem praedestinasti: puta media omnia, tempus, loca, & alia id genus. Apostolus igitur hoc verbo significat, Deum, nos praedestinando ad υἱοθεσίαν eòque & ad haereditatem vitae aeternae, simul etiam praefinivisse & praeparasse omnia media, quae ad hanc rem consequendam necessaria erant. *Fimus autem filii Dei per fidem in Christum*, Joh. 1. & Galat 5. Fides autem est per verbum Dei praedicatum, & auditum, & intellectum. Significat ergo fidem, cognitionem verbi, Dei ipsius, peccatorum nostrorum, poenitentiam, bona opera, denique omnia ad salutem necessaria, fuisse à Deo praefinita, eòque omnia esse dona Dei & effecta gratuitae praedestinationis. Hoc est, quod ait Augustinus: *Praedestinatio est praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Praefinivit etiam numerum eorum, quos adoptare decrevit: tempus, quo quisque esset vocandus; cruces & afflictiones, quibus mortificandi essemus, & faciendi similes Christo & cruci ejus, perque hanc in coelum deducendi. Quare hic locus concludit totam salutem, & ommia media, dona esse Dei gratuita. Item necessarium esse, ut omnia haec impleantur, quia praefinita sunt.

2. Per quémnam adoptati, & per quémnam fimus filii Dei? *Per Jesum Christum.* Hic est solus & perfectus Mediator noster, per quem habemus omnia. In ipso electi, per ipsum ad υἱοθεσίαν praefiniti, *per ipsum fimus filii Dei.* Quia enim is est filius naturalis: ideo Pater voluit per eum nos sibi adoptare. Hac de causa Christus suscepit carnem nostram, factus frater noster, secundùm carnem, ut nos, donati ipsius spiritu, fieremus filii Dei, & fratres Christi. Hac de causa dicitur primogenitus inter multos fratres. Si per Christum fimus filii Dei, eóque haeredes aeternae vitae, non igitur per opera legis consequimur salutem.

3. εἰς αὐτὸν. Quidam interpretantur pro ἐν ἑαυτῷ, ut sit sensus, Deum Patrem, cúm nos praedestinavit ad hanc adoptionem, nihil extra se vidisse à quo permoveretur ad nos praedestinandos: in seipsum igitur respexisse, & in se uno reperisse causam: nempe suam caritatem erga nos. Itaque hac particula confirmavit gratuitam electionem. Et certè, si possit defendi haec interpretatio εἰς αὐτὸν pro ἐν ἑαυτῷ, sensum hunc libenter retineo. Sed vereor ut possit defendi. Ideo placet sensus & versio Syriaci, *posuit sibi filios* εἰς αὐτὸν id est, *in sese:* pro, *sibi ipsi adoptare decrevit.* Voluit enim hunc sibi ipsi honorem, ut cum non haberet nisi unum filium, eùmque naturalem, multos alios adoptaret, & ipse fieret pater omnium sanctorum, à quibus invocaretur ut pater. Hac de causa dat etiam suum nobis Spiritum, ut per eum possimus clamare, *Abba Pater.* Quidam intelligunt εἰς αὐτὸν, id est, ad ipsius gloriam & honorem: sed hoc sequitur in vers. 6.

vers. 6. Deinde haec est gloria Patris, quod multos habeat filios. Ego magnifacio Syriaci textum, & vice optimi commentarii mihi est. Itaque placet vertere in *sese*, pro *sibi ipsi*.

4. Sequitur causa impulsiva, secundum beneplacitum voluntatis suae. Hac particula tolluntur omnia merita nostra.

Εὐδοκία est bonum placitum, id est, benevolum. Addit, *voluntatis*, ut intelligas, excludi omnes alias causas, & soli Dei bonae voluntati adscribas. Non ait simpliciter, *juxta voluntatem*. Nam etiam reprobos reprobavit pro sua justa voluntate: sed nos elegit juxta εὐδοκίαν voluntatis.

6. *In laudem gloriae gratiae &c.*

Duo hîc notanda: 1. finis gratuitae electionis & praedestinationis, ut laudetur (a nobis) & praedicetur *gloria gratiae Dei*, 2. explicatio hujus magnae & gloriosae gratiae. *Ideo non ex operibus, ne quis glorietur.* Ephes. 2 & ideo cap. 1. *Benedictus Deus, &c.*

Tollunt hanc, qui salutem dant suis operibus: obscurant, qui dant ex parte. Si hic finis est, ergo qui sunt electi laudabunt gloriam gratiae Dei: contra, qui non faciunt, dant testimonium se non esse electos.

Pars Secunda.

7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius: remissionem* (nimirum) *peccatorum, juxta illam opulentiam* (vel juxta illas divitias) *gratiae ipsius.*

Alii, *ex divite gratia sua: vel ex divite gratia ipsius. Syriacus, per quem est nobis redemtio: & per sanguinem ipsius remissio peccatorum, juxta opulentiam gratiae suae.*

8. *Qua* (gratia, vel per quam, ἧς pro δι' ἧς) *exundavit in nos in omni sapientia & intelligentia* (vel prudentia, Bucerus).

Syriac. Qua exuberavit in nos omni sapientia & intelligentia Spiritus: hoc est περίσσευθῆναι ἐποίησεν, id est, qua exundare fecit. Sic Erasmus, *de qua ubertim nobis impertivit, in omni sapientia & prudentia.* Cum. ἧς pro δι' ἧς vel ᾗ ἐπερίσσευσεν Θεος δηλονότι, id est, *qua copiosus & exundans fuit in nos.* Illud ἐν πάσῃ σοφίᾳ Scholia conjungunt cum Aoristo γνωρισας & sic interpretantur, σοφῶς καὶ φρονιμῶς εγνώρισεν ἡμῖν, ἢ σοφοὺς καὶ φρονίμους ποιήσας οὕτως ἐγνώρισεν ἡμῖν τὸ μυστήριον. Sequitur 9. versus.

9. *Patefacto nobis mysterio voluntatis suae secundùm beneplacitum suum quod proposuerat in ipso.*

Beza, *Secundum gratuitam benevolentiam suam.*

Syriac. *Et manifestavit nobis arcanum voluntatis suae, quod antea proposuerat se facturum esse in sese.* Scholia ἐν αὐτῷ intelligunt Christo: & sic exponunt τήν εὐδοκίαν τῆς βουλῆς προέθετο ἐν αυτῷ τουτέςι τῷ Χριςῷ πληρῶσαι.

Camer. vellet legi ὃ (mysterium) προέθετο: vel ait esse ἀσυνδέτως positum hoc verbum,

verbum, & sic legi posse, ut conjungatur cum sequenti versu, καὶ προέθετο ἀνακεφαλαιώσασθαι.

10. *Ad* (id est, usque ad) dispensationem (εἰς οἰκονομίαν) *plenitudinis temporum* (id est, impleti temporis) *ut* (tùm) *recolligeret omnia in Christo, tàm quae in coelis sunt, quam quae in terra, in ipso.*

Illud, *In ipso*, redundat, Hebraismus est.

Syriac. *In dispensatione plenitudinis temporum, ut cuncta de integro revocarentur in Christo, quae sunt in coelis & in terra.* Posteà subdit: *Et in ipso electi sumus.* Scholia habent, sicut nos vertimus, Deum scilicet suum illud consilium & beneplacitum proposuisse in sese, usque dum tempus impleretur, quo Christus, in carne manifestatus, omnia summatim recolligeret. Beza, *Nempe proposuerat in sese illud beneplacitum seu* εὐδοκίαν, *ut in pleni temporis dispensatione, recolligeret omnia, tum quae in coelis sunt, tum quae in terra, in ipso.*

11. *In quo & haereditatem consecuti sumus* (sorte) *praedestinati secundum consilium* (vel decretum) *voluntatis suae.*

Alii illud ἐκληρώθημεν vertunt, in sortem asciti sumus. Alii, lecti sumus. Certum est alludi ad sortes, quibus inter Israelitas fuit divisa haereditas terrae Chanaan. Et solebant ferè haeredidates dividi sortibus. Ideò etiam bene dicitur, in sortem (scilicet haereditatis aeternae) asciti sumus: id est, electi & vocati.

Syriac. *Et in ipso nos electi sumus, quemadmodum praedestinavit nos.* De electione igitur non aeterna sed temporali loquitur ad Ecclesiam haereditatèmque coelestem. Ambrosius tamen de vocatione peculiari Apostolorum ad Apostolatum interpretatus est.

12. *Ut nos simus ad laudem gloriae ipsius, qui priores speravimus in Christo.*

13. *In quo & vos* (scilicet in eandem sortem asciti estis) *postquam audivistis sermonem veritatis* (seu audito sermone veritatis) *Evangelium salutis vestrae: in quo etiam, posteaquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto.*

14. *Qui est arrhabo haereditatis nostrae in redemtionem acquisitionis, vel assertionis* (ad verbum), *ad laudem gloriae ipsius* (seu ut Beza vertit) *dùm in libertatem vindicemur: libertatem* scil. *& redemtionem perfectam, quae fiet in die judicii.* Hoc significat εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως.

Syriac. τὴν περιποίησιν *pro Ecclesia accipit acquisita à Christo, qui est arrhabo haereditatis nostrae in redemptionem eorum, qui servantur, & in laudem gloriae ipsius.*

Sic Scholia Graeca, περιποίησιν ἡμᾶς καλεῖ διὰ τὸ περιποιήσασθαι ἡμᾶς τὸν θεόν. Phrasis haec usitata est & in Scripturis, & apud Hebraeos. Apostolus certè ἀκροβυστίαν praeputium pro praeputiatis, i. gentibus, accepit saepe: & περιτομήν pro circumcisis, i. Judaeis. Fideles igitur, totàque Ecclesia vocatur περιποίησις, quod sit ceu quaedam acquisita possessio, peculiumque Dei. Sed prior magis probatur, Nam etiam 1. Pet. 2. v. 9. Vos est λαὸς εἰς περιποίησιν, i. quem Deus sibi ut proprium vindicat & asserit, nempe ad perfectam redemtionem, ut virtutes praedicetis ejus, qui vocavit vos, hoc est, ad laudem gloriae ipsius.

Expli-

Explicatio.

Absolvimus priorem hujus primi capitis particulam, cujus summa haec est. Nos benedictos esse omni benedictione spirituali in supercoelestibus locis in Christo: idque non aliter quam sicut ante Mundi constitutionem ad hanc electi fueramus. Deus enim omnia agit juxta consilium suum aeternum & immutabile. Atqui Deus elegit nos ad hanc plenam benedictionem spiritualem, ad sanctitatem & innocentiam, in solo Christo tanquam in capite nostro, ex mera sua caritate, nos, inquam, quos praefinierat sibi in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum beneplacitum voluntatis suae, idque ad laudem gloriosae suae gratiae, i. ut sola ipsius gloriosa gratia laudari à nobis possit: & ne quis unquam nostrum in se suisve operibus, sed in sola amplissima gratia Dei gloriari possit: qua sola etiam fit, ut simus illi grati & delecti in Christo illo dilecto. Ergò quicquid benedictionis spiritualis habemus & salutis, illud totum habemus in solo Christo & ex mera ac gratuita Dei benevolentia, non ex operibus nostris. Quare meritò solus Deus nobis benedicendus & laudandus est semper & sincerè, inque ejus fide perseverandum. Haec est summa prioris particulae. Ita videmus beneficia Dei, quae nunc habemus in Christo, proposita nobis fuisse & explicata ab Apostolo, quatenus prius in aeterna illa praedestinatione nobis praeparata fuerunt; & singulis ferè verbis gratuitam salutem in solo Christo contra Pseudoapostolos concludi.

Scopus Apostoli, seu II Locus, de Redemptione per Christum facta.

Sequitur jam secunda particula, quae continetur illis 8 versibus, quos modò legimus. Scopus autem Apostoli in hac altera particula idem est, qui & in priore: nempe confirmare fidelium animos in doctrina de gratuita salute per solum Christum.

1. Facit autem hoc primum proponendo hanc salutem seu spiritualem illam benedictionem, quatenus in persona Christi peracta & perfecta fuit: atque sub nomine redemtionis. Docet enim Christum nos suo sanguine redemisse à servitute peccati, eòque & mortis, & a manu Satanae, ex mera & immensa sua gratia, atque favore gratuita; & hoc vers 7.

2. Deinde idem confirmat proponendo eandem salutem, quatenus nobis in Evangelio offertur, exhibetur, ejusque nos in nobis ipsis participes fimus. Docet enim totum etiam hoc ex mera gratia proficisci, eòque & vocationem, & justificationem, adeòque totam salutem, gratuitam esse. Id quod magis ac magis comprobat & demonstrat, mentione subinde facta aeternae & gratuitae praedestinationis & propositi divini. Item, quòd sorte quadam divina vocati simus ad Christum, ut haereditatem consequamur. Item, quòd certa sit salus, non ex operibus nostris, sed ex Spiritu Dei nobis dato, quo sumus obsignati ad haereditatem consequendam. Hunc enim solum, non autem opera legis, vel legem ipsam, esse *arrhabonem nostrae haereditatis.* Et totum hoc ad laudem spectare gloriae & gratiae ipsius.

Eandem igitur doctrinam confirmat, quam & supra de gratuita nostra salute in solo Christo. Nunc singula videamus. Dixerat

Dixerat ad calcem versus sexti, Deum Patrem, sicut nos pro spontaneo proposito voluntatis suae praedestinaverat sibi in adoptionem filiorum per Jesum Christum, ídque ad laudem gloriosae gratiae suae; sic eadem gratia nos, in eodem dilecto Jesu Christo, gratos, caros & dilectos sibi fecisse: id quod non ad tempus refero, sed ad illam aeternam praedestinationem. Ad hunc enim usque versum de illa egit. Itaque sensus est Deum, in suo illo aeterno consilio, praevidisse nos & contemplatum fuisse in massa illa totius humani generis, ut hostes, ut ingratos, odioque dignos: sed quia elegerat nos ut essemus filii ejus, & fratres Christi dilectissimi: ideò in Christo dilecto nos quoque agnovisse pro gratis & dilectis. Nunc igitur transiens à praedestinatione salutis nostrae ad eandem, quatenus in Christo perfecta est, ait, In quo (Christo) habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ipsius.

Apostolum hîc non loqui de redemtione, quatenus nobis est communicata per fidem, sed tantum quatenus in Christo perfecta fuit, constat, quia versu insequenti de communicatione illius per Evangelium agere incipit. Nondum igitur de dispensatione redemptionis & salutis, sed tantùm de redemtione facta in persona Christi per oblationem corporis sui, & effusionem sanguinis sui, Apostolum hîc verba facere certum est. Est autem mirabilis Synecdoche, qua complectimur incarnationem Filii Dei, vitam, obedientiam, passionem, mortem, imo omnia etiam, quae hanc praecesserunt jam à condito orbe, & in primis peccata omnium Patrum, mortem, stipendium peccati, & legis omniùmque sacrificiorum praeteritorum impotentiam. Si enim nos in solo Christo habemus redemtionem per sanguinem ejus: omnes igitur eramus captivi Satanae & mortis, propter peccata nostra. Item, lex igitur & sacrificia nullam habuerunt aut habent vim ad nostri redemtionem peccatorùmque remissionem obtinendam.

Caeterùm, quatuor praecipua habet membra hic versiculus.

Primum docet, in quo habemus redemtionem: in solo Christo: idèo ait, *In quo Christo*, nempe solo. Nam sicut in ipso solo fuimus electi & praedestinati, & dilecti à Patre, & agniti pro filiis, & benedicti: sic etiam per solum Christum fuimus redemti, & in solo Christo habemus redemtionem.

Secundo, explicat de quanam redemtione loquatur, nempe de redemtione à peccatis, eòque à morte stipendio peccati, & à Satana autore peccati. Ideò ait, *Remissionem peccatorum*, scilicet habemus in ipso.

Tertiò, quomodo redempti: per sacrificium Christi, quod carnis oblatione & sanguinis effusione constat; ideò ait *Per sanguinem ipsius*, Christi scilicet, Dei & hominis. Deus enim redemit Ecclesiam sanguine suo, Synecdoche est.

Quartò docet, quaenam fuerit causa impulsiva, à qua & Pater ad dandam hanc redemtionem, & hic redemtor ad redimendum nos permoti fuerint: mera fuit, eaque incredibilis & opulentissima gratia. Ideo ait, *Juxta divitias gratiae ipsius.*

Sed singula etiam haec quatuor membra continent in se varia doctrinae Christianae capita, ut videbimus. De tempore, quo facta fuit haec redemtio, agit V. 10.

Sed primo videndum est quid sit redimere. Hebraea vox גאל aliquando latè patet,

patet, & significat liberare aliquem captivum, aut oppressum, è manibus hostium; sive id fiat pretio dato, sive manu potenti, ut cùm Deus per Mosen, in manu potenti, redemit populum ex Ægypto. Aliquando restringitur ad liberationem, quae fit dato pretio. Et sic Levit. 25. de redimendo fratre, qui se vendidit, dato pretio. Item cap. 27. de votis redimendis.

Graeca vox clarior est ἀπολύτρωσις. Est enim illa liberatio, quae fit dato λύτρῳ. Sic vox latina significat, quod vel venditum vel captum in alterius venerat potestatem, dato pretio, liberare tibique vindicare, aut in libertatem asserere. Atque hanc habet significationem hoc in loco, ut explicat Apostolus voce sanguinis, & 1. Timot. 2. ait Christum dedisse λύτρον. Nunc singula membra fusius explicanda sunt.

De primo.

In quo (inquit) habemus redemtionem. Nos habemus. Qui nos? Nos qui fuimus electi & praedestinati in Christo, & qui nunc fideles sumus, nos, inquam, soli habemus redemtionem. Excluduntur ergò reprobi & infideles. Qui enim non fuerunt electi in Christo ad hujus redemtionis participationem, ii non habent redemtionem in Christo.

Objicitur contra: *At an non Christus mortuus est pro omnibus, & redemtor est ac servator totius Mundi?*

Respondemus distinctione: Sufficienter pro omnibus (aiunt Scholae), sed efficaciter tantum pro electis & fidelibus. Explico: Si vim Sanguinis Christi respicias ad redemtionem omnium sufficit. Ita pro omnibus dicitur mortuus, & redemisse omnes. Item etiam quoad praedicationem, quia omnibus offertur haec redemtio. Si vero propositum, consiliùmque Dei aeternum, voluntatemque redemtoris intuearis: pro solis electis mortuus est, & pro omnibus illis electis, *Joh.* 17. Non rogo pro Mundo: Ergò neque sacrificium obtulit pro illo: eòque non redemit.

Notandum etiam est, quod ait, *Habemus*, nempe jam postquam scilicet fuimus redemti.

Objectio, Sed nunquid Patres in veteri Testamento non habuerunt hanc redemtionem in Christo nondum nato?

Resp. Habuerunt. *Primo* in praedestinatione: quia ad hanc electi: *Secundo*, habuerunt vim, & efficacitem senserunt futurae redemtionis: quia fide illam perceperunt. Hujus rei causa atque respectu dicitur agnus occisus fuisse ab origine Mundi, Apoc. 13. Ita Apostolus ait ad Heb. 9. Redemtionem hanc esse aeternam. *Primo* respectu aeternae praedestinationis: *Secundo*, quia ab initio mundi in finem usque sese extendit hujus redemtionis virtus, & nulla alia est exspectanda.

Est igitur magna benedictio haec, & privilegium, quo nos donavit, sicut & de visu dicebat Apostolis, *Multi Reges & Prophetae cupiverunt videre, quod vos videtis, & non viderunt Luc.* 10.

In quónam veró habemus? &c. In Christo, in sola Christi persona. Notandum discrimen inter habere redemtionem per Christum, & habere in Christo. Illa

Illa locutio significat per Mediatorem: sicut etiam per Mosen populus Israeliticus. Sed haec significat in Christo, ut in capite, nos salutem habere: ita ut nisi hujus sis membrum, non possis fieri particeps. Fimus autem membra, cum illi inserimur fide, & per Spiritum sanctum.

In quo solo. Christus igitur solus noster redemtor est, & in eo solo redemtio. Cùm dico *Solus:* non excludo Patrem, *Luc.* 1. 68. Benedictus Dominus Deus Israel, quòd inviserit & redemerit populum suum. Sed in eo simpliciter solo est nostra redemtio, & materia Salutis nostrae.

Dicitur tamen solus redemtor κατ᾽ ἐξοχήν. *Primo*, quia solus Deus & homo est. Utrùmque autem erat necessarium. Act. 20. *Secundo*, quia solus ad hanc deputatus. *Tertio*, quia solus jus habuit propinquitatis. Ut enim aliquis alium redimat, requiritur potentia & jus. Jus duplex est, proprietatis & propinquitatis. Potentia & jus proprietatis tam erat in Patre, & spiritu S. quam in Christo: at propinquitatis solus Christus habuit jus: ideò vocatur in scripturis frater & primogenitus noster. De hoc jure Lev. 25. Jure igitur solus redemtor.

Nunc tenemus, quinam redemti sint, quis redemtor, & in quo posita sit nostra redemtio.

De Secundo.

Ad secundum quod attinet, de quonam redemtionis genere loquatur Apostolus, explicatur cùm ait, *Remissionem peccatorum. Habemus*, inquit, redemtionem, nimirum, *remissionem peccatorum.* Non loquitur ergo Apostolus de quavis redemtione, sed de illa qua liberati sumus à peccatis, & per consequens à morte aeterna, quae stipendium peccati est, & è manibus imperióque Satanae autoris peccati, & qui captivos nos tenebat sub peccato. Hujus redemtionis vaticinia infinita praecesserunt, & typi multi fuerunt in veteri Testamento: praecipua vero fuit redemtio populi Israëlitici per Mosen ex Ægypto, quam solet Deus subinde inculcare: Ego sùm Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti & de domo servitutis. Certè Christus ille ipse est, qui misit Mosen in Ægyptum, & qui populum de domo servitutis liberavit. Filius enim Dei semper apparebat Patribus, & is vocabatur *Angelus Jehovae, Jehova.*

Tandem verò, quod figuris adumbraverat, illud reipsa praestitit: cùm scilicet eos è servitute peccati liberavit, eóque è manibus Pharaonis, i. diaboli: de qua liberatione, *Coloss.* 1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suae, in quo habemus redemtionem.

Hic igitur locus duo docet: *Unum*, totum humanum genus peccasse, & propter peccatum captivum fuisse diaboli, qui nos omnes in servitutem redegerat: *Alterum*, sed per Christum, Electos omnes fuisse inde liberatos.

Servitus triplex.

Triplex autem servitutis genus est, in quod astu Satanae inducti fuerunt omnes homines: & è quo per solum Christum liberari possunt, & revera liberantur electi omnes, peracta jam redemtione in corpore Christi.

Primùm, fuit coecitatis, erroris, & ignorantiae rerum divinarum. Quia enim

Eva

Eva credidit mendacio serpentis, *Non moriemini,* inde factum est, ut omnes posteri facti sint servi erroris, & non possint non nisi errare, & in tenebris ambulare, nisi per Christum lucem coelestem inde liberarentur. De hac Ephes. 4. ubi ait, *Gentes: i. omnes qui sunt extra Christum, ambulare in vanitate mentis suae, exccaecatos in intelligentia, alienatos à vita Dei propter ignorantiam, quae in illis est, propter caecitatem cordis ipsorum. Tit. 3. Eramus & nos aliquando insipientes, & increduli, errantes, ac servientes desideriis & voluptatibus variis.*

Alterum est, quo sub peccato totum humanum genus detinetur, de quo Christus, *Joan. 8.* Qui facit peccatum, servus est peccati. *Rom.* 6. An nescitis, quod cui vos exhibetis servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis?

Tertiùm servitutis genus per serpentem inductum est servitus corruptionis corporum etiam nostrorum, et servitus mortis. De qua Rom. 8. Et creatura ipsa liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.

Liberatio.

Omnium harum servitutum liberationem Christus impetravit à Patre omnibus electis in cruce, cùm obtulit suum sacrificium: de qua ait Apostolus hîc, *In quo habemus redemtionem.* Et Christus dicebat Johan. 8. Judaeis, *Verè liberi eritis, si vos Filius hominis liberaverit.* Sed participes reipsa fimus prioris liberationis, 1. à servitute scilicet caecitatis & erroris, cum per Evangelium vocat, Spiritu suo illuminans mentes nostras. *2.* Participes fimus alterius liberationis scilicet à peccato, cùm nos donat fide, qua credentes Evangelio remissionem peccatorum amplectimur: Et simul etiam nos regenerat, vim peccato inhabitanti adimens ne dominetur in nobis. 3. Tertiae verè participes fiemus, cùm excitabit corpora nostra ad gloriam, à servitute corruptionis: & in perfectam libertatem asseremur: de qua Rom. 8. Et de hac loquitur Apostolus hîc cum ait. V. 14. Qui est arrhabo haereditatis nostrae, dum in libertatem vindicamur.

Cùm igitur Apostolus ait, Nos habere redemtionem in Christo, & explicat dicendo, *Remissionem peccatorum:* intellige Christum suo sanguine in cruce nobis perfectam redemtionem, i. omnes istos liberationis ab hoc triplici genere servitutis & captivitatis modos impetrasse, eòque & liberationem e manibus Satanae ipsius, mortéque aeterna. Sed *remissionem* tantùm *peccatorum* posuit, quia hinc pendent reliquae omnes redemtiones.

Remissio enim *peccatorum* complectitur liberationem ab omnibus poenis & malis, quae peccatum consecuta sunt. Quantum igitur est hoc beneficium, quod habemus in Christo, habentes in eo *remissionem peccatorum,* eóque totam perfectamque nostri redemtionem & salutem? Mundus haec non percipit: sed nos agnoscamus beneficium.

Si verò in solo Christo *remissionem habemus peccatorum*, eóque veram justitiam, salutem, vitàmque aeternam: non igitur per opera legis. Atque haec de secundo.

De Tertio.

Ad tertium quod attinet, quomodo redemti simus, ait Apostolus: *Per sanguinem,* id est per sacrificium ipsius, quod corporis in mortem traditi, & sanguinis pro nobis effusi, oblatione constabat.

Hic fuit proprius modus, quo oportebat nos redimi e captivitate peccati & mortis. Quator enim modi cùm sint redimendi captivos, hic solus congruus erat & conveniens huic redemtioni.

Qui sunt ii modi? *Unus* est, cum quis gratuito manumittitur. Hic modus habere locum hîc non potuit: quia neque Satan hostis capitalissimus nos unquam dimisisset sponte & gratis; neque peccatum, carni nostrae pertinacissimè inhaerens, deseruisset nos. Quòd si in renatis ipsis & liberatis per Christum manet tenacissimè Rom. 7. quantò magis in non liberatis?

Alter, cùm quis captivus permutatione alterius captivi liberatur, uti saepe fit in bello. Neque hoc altero redimendi modo redemit vel redimere debuit Christus suos electos, qui captivi erant Satanae. Quorumnam enim permutatione fieri poterat omnium electorum redemtio? Num restitutione reprobatorum? At hos nunquam Satanae Christus eripuit suosque fecit captivos. Fuit praeterea gravius peccatum, quam ut ulla permutatione purae alicujus creaturae tolli, & ita captivi redimi potuerint.

Tertius est violenta ablatio: ut cùm Abraham vi & armis eripuit Lothum & aliòs suos consanguineos e manibus hostium. Sed neque haec sola decuit talem redemtionem; opus enim fuit satisfactione, quia Satan jure captivos detinebat omnes propter peccatum.

Restabat igitur modus & ratio quarta redimendi: nempe quae fit dato pretio; sed quonam pretio? non auro vel argento, sed carnis & sanguinis: pretio immensi valoris, quia sanguis fuit illius qui Deus erat, & qui etiam homo justus & immaculatus. De hoc. 1. Pet. 1. 18. Non corruptilibus auro vel argento redemti estis de vana vestra conversatione: sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Jesu Christi. 1. *Cor.* 6. Emti estis pretio magno. Et 7. Pretio emti estis: nolite fieri servi hominum. Proinde verè Christus vocatur redemtor, quia, ut frater noster primogenitus, dato pretio redemit fratres suos.

Sed oritur hîc dubitatio. Scriptura etiam ait Christum nos redemisse e manibus hostium, & a peccato, expugnatis hostibus suis Heb. 2. de Christo ait Apostolus, *quod destruxerit eum, qui habet mortis imperium.* Et Coloss. 2. dicitur, Christus exspoliasse principatus & potestates, & eos traduxisse palam triumphans de illo. Et Christus Luc. II. comparat Diabolum viro forti, armato custodienti atrium suum & omnia in pace possidenti: se vero viro fortiori alteri qui veniens vincit priorem, & universa ejus arma aufert. Quomodo igitur dato pretio nos redemisse dicitur, cum redemerit eripueritque manu Diaboli sua manu potenti, prostrato & victo Diabolo?

Resp. Diversis respectibus utrumque bene dicitur, & verum est. Si respicias Deum: Christus mediator pretium illi pro nobis dedit, pretioque sanguinis sui nos redemit, & peccatorum remissionem, eoque veram justitiam vitamque aeternam impetravit. Sacrificium enim corporis sui obtulit Patri, non Diabolo.

Hoc

Hoc autem sacrificium, quod nomine etiam solius sanguinis saepe significatur, pretium illud est, de quo ante Prophetae, & de quo Apostoli dicunt nos esse redemptos. Apostolus explicat ad *Heb.* 9. Si sanguis taurorum &c. sanctificat ad carnis purificationem, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientias ab operibus mortuis, ad serviendum Deo vivo? Habes cui dederit hoc pretium sanguinis sui.

Ergo respectu Dei Patris, cui obtulit se ipsum Christus, dicitur nos redemisse dato pretio. *Non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine agni immaculati Jesu Christi redemti estis,* inquit Petrus.

Si vero respiciamus Diabolum, principem Mundi, qui captivos nos tenebat omnes, dicitur Christus redemisse nos manu potenti. Illius enim potentiam fregit, regnumque destruxit. Et huc referuntur dicta Apostolica de expugnato Diabolo.

At inquies, *Quomodo redemti sumus pretio dato Patri, si captivi eramus Satanae non autem Dei? neque enim Deus captivos nos tenebat, sed Satan. Liberatio autem captivorum fit, cum datur pretium illi, qui captivos tenet & in sua habet potestate.*

Resp. Etsi Satan tenebat nos captivos, ipse tamen non habebat jus nos condemnandi: sed solus Deus jus in nos habebat condemnationis, quia in illum peccaveramus. Pretium igitur datum est Deo, ut is absolveret nos a condemnatione propter pretium hoc immensi valoris, quo satisfactum fuit divinae justitiae. Absolutos autem & Deo reconciliatos coactus fuit tyrannus nos reddere Christo. Ita fracta fuit ejus potestas & regnum destructum, simulac, dato pretio redemtionis nostrae Deo Patri, erepti fuimus e manu tyranni. Una igitur & eadem re, *sacrificio* scilicet *corporis Christi,* nos fuimus emti à Patre: & erepti e manu Satanae, ejúsque regnum fuit eversum.

Observationes duae.

I. Si sanguis filii Dei fuit necessarius ad redimendos nos, & remittenda peccata: cogita quanta fuerit gravitas peccati, quod expiari non potuit nisi sanguine Dei. An non haec cognitio deberet nobis esse frenum, quo arceamur ab omni peccato? Huc pertinet adhortatio Apostoli. 1 *Cor.* 6. cum dissuadet scortationes: Emti estis pretio, glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quae sunt Dei. Si enim emti sumus, non sumus igitur nostri, sed ejus qui nos emit. Ex hac igitur redemtione facta per sanguinem Christi colligimus tres consequentias Apostolicas.

Prima est, non sumus igitur nostri juris, ut possimus, vel debeamus vivere nobis ipsis, & nostra contaminare corpora vel spiritus voluptatibus, aliisque peccatis, &c. Sed vivere tenemur ipsi qui nos emit.

Deinde, neque licet nobis servire alii ab illo qui nos redemit; hoc est, obsequium & servitùtem, quam debemus Christo, non possumus aliis praestare. Huc illud Pauli, 1. *Cor.* 7. Pretio emti estis: nolite fieri servi hominum.

Tertia est, si omnes nos sumus Christi & non nostri, quia per illum redemti:

non

non convenit igitur nobis, ut judicemus fratres: huc illud Apostoli, *Rom.* 14. Tu quis es, qui judicas alienum fratrem? Domino suo stat, aut cadit.

2. Si sumus redemti, *& remissionem peccatorum habemus* in Christo, per solum ejus sanguinem, non igitur per legem, justitia.

DE QUARTO.

Quaenam causa fuit, qua impulsus Deus ad dandum redemtorem hunc, & qua impulsus Christus ad nos redimendos?

Immensa utriusque erga nos caritas, amorque gratuitus.

Secundum divitias gratiae ipsius, inquit Apostolus. Quod supra gloriam gratiae appellaverat, hîc vocat *divitias gratiae.* Sic *Rom.* 2. divitias bonitatis. Divitiae sunt non solum necessaria sufficientia, sed superabundans bonorum copia. Quod ergo nos redemit, gratia est: sed quod per sanguinem, hoc demum fuerunt divitiae gratiae. Divitiae omnes Dei sunt: tam terrenae, quam coelestes; Divitiae gratiae & bonitatis. Dei sunt: erogat tamen eas in suos, *Rom.* 11. Dives in omnes, qui invocant eum: neque unquam exhauriuntur, &c.

8. *Qua redundavit in nos, in omni sapientia & intelligentia.*

His versibus septem, qui sequuntur, agit Apostolus de dispensatione illius opulentissimae gratiae Dei, & salutis nostrae per Christum redemtorem nobis partae; quae cum fuerit nobis praeparata ab aeterno à Deo nos in Christo amante, eligente, & *εἰς υἱοθεσίαν* praedestinante, postea fuit posita & collocata in persona Christi Mediatoris, & omnium electorum capitis; ut inde in nos omnes tanquam in ipsius membra derivaretur. Sicut etiam à capite in quovis animali fluit in membra vita & motus. Ita hîc habemus tertium modum, quò considerandae sunt benedictiones divinae & spirituales, quibus in Christo sumus benedicti à Patre, ut supra docuimus. Primum enim in Deo, i. in sola Dei praedestinatione praeparatae: póstea in Christo Mediatore positae: demum in nos derivantur, ut a capite in membra. Quare hîc locum habemus tertium Theologicum: Primus enim fuit de Electione aeterna, in priore parte. Secundus, de Redemtione per Christum Mediatorem facta, initio secundae partis, versu scil. septimo. Tertius jam sequitur, qui est *de dispensatione gratiae Dei* (ut loquitur etiam Apostolus in hac Epistola) & salutis per Christum partae. & in Christo positae; eóque de efficaci vocatione ad participationem salutis in Christo & coelestis haereditatis.

III. Locus de dispensatione Gratiae Dei.

Tractat autem Apostolus breviter quidem, sed summa tamen cum majestate & gravitate sermonis haec septem, quae sequuntur, capita.

Primum, quid nobis dispensetur.

Secundum, per quem dispensetur.

Tertium, causa à qua impulsus dispensator dispenset. v. 9.

Quartum, quomodo dispensetur. v. 8. 9. Ad quod caput refertur, tum Evangelii prae-

praedicatio, quaeve ejus sit summa, tum vis Spiritus Sancti, quibus mediis salus proponitur, & efficaciter eommunicatur. v. 9. 10.

Quintum, quibus communicetur. vers. 11. 13.

Sextum, in quem finem communicetur. v. 12. 14.

Septimum, vis & efficacitas hujus communicationis. v. 13. 14.

Scopus verò Apostoli est idem qui supra: demonstrare scilicet doctrinam, quam tradiderat de gratuita & certa salute fidelium in Christo, esse verissimam; & ideo ab illa non esse recedendum.

Qua redundavit in nos. Quis redundavit, seu exundavit in nos, & quanam exundavit? Exundavit Christus, & exundavit divitiis gratiae suae, seu opulentissima sua gratia: de hac enim & de illo antè dixit, *ver.* 7. In quo *(scilicet Christo)* habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae suae. Qua gratia exundavit ipse (Christus) in nos. Posset tamen referri ad Patrem, de quo v. 6. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν ἠγαπημενῷ: ita ut etiam illud v. 7. κατὰ τόν πλοῦτον τῆς χάριτος ἀυτοῦ de gratia Patris intelligatur: de qua mox subdit ἧς ἐπερίσσευσεν. Sed malo immediate de Christo intelligere, de quo v. 6. Quanquam non excluditur Pater. Perinde autem est, atque si dixissit (ut Graeca Scholia interpretantur) *Quam exundare fecit in nos:* id est, quam nobis liberalissime & largissime communicavit, & diffudit in animos cordaque nostra: Sicut de charitate Dei etiam ad *Rom*, 5. ait. Diffusa est caritas in cordibus nostris. Hìc dicit, gratia exundasse: ibi caritatem diffusam esse. Habet tamen plus energiae, quòd ait, Christum ipsum sua gratia opulentissima in nos exundasse, quam si dixisset, *quam exundare fecit.* Significat enim Dominum à sua gratia, & thesauro salutis nobis partae non separari: sed se totum omnibus thesauris suis nobis communicare: quemadmodum & caput non est separatum à sensu & motu, quem communicat membris; eòque nec à membris separatur, quibus motum impertit. Et huc pertinent loca sacrae literae, quae docent, Christum in nobis esse, inque nobis habitare: nempe cum omnibus suis thesauris, & divitiis gratiae suae, ac salutis, & vitae. Nomine, n. *gratiae*, intelligitur hìc non nudus favor Dei, sed favor cum toto redemptionis & salutis thesauro, qui a gratia erga nos ortum habet.

Cum verò ait Christum exundare in nos suâ gratiâ, meminerimus Patrem non excludi; ubi enim Christus, ibi Pater. Et gratia Christi gratia est Patris. Idèo apud *Joh.* 14. Christus ait, Si quis servat sermones meos, Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et ideo etiam Apostolus in his quoque versibus, ut ostendat unam & eandem esse Patris sicut & Filii essentiam, ita & voluntatem, & gratiam, & actionem; ita attemperat sermonem, ut tum de uno quàm de altero multa intelligi possint. Et modo de Patre seorsim, modò de Christo seorsim loquitur; ita tamen, ut in eo actionis genere, de quo loquitur, alter ab altero non sejungatur. Id quod obiter observatum volo.

Cum igitur ait, *Qua gratia*, scilicet opulentissima, *exundavit* in nos: immediatè intellige Christum, sed non excluso Deo Patre: Et quidem Christum, Mediatorem ac redemptorem; juxta illud antè ex Joan. citatum, *Ego & Pater ad eum veniemus, &c.*

Hacte-

Hactenus duo habemus. *Primùm*, quid nobis dispensetur, seu communicetur. *Deinde,* quibus communicetur. Dispensantur divitiae gratiae Dei, quae omnes sunt in Christo: eoque beneficium redemptionis, totiùsque salutis per Christum nobis partae, remissio peccatorum, justificatio, sanctificatio, vita aeterna: & dispensantur non parce, sed largiter, ideò usus est verbo *Exundandi.* Unde colligimus, cum dispensetur nobis remissio peccatorum, plenariam omnium peccatorum remissionem, eòque non tam culpae, quam etiam totius poenae, dispensari.

Per quem verò dispensantur ii thesauri, istaeque divitiae gratiae Dei & salutis per Christum partae? per Christum à Patre. Unde colligimus duplex officium Christi Redemptoris: unum fuit redimere nos, & reconciliare Patrem in sua persona: Alterum est, ipsum redemptionis beneficium & gratiam Dei nobis communicare. Redemptoris enim est utrumque praestare: quia utrumque est illi à Patre injunctum. Proinde qui redemptionis & gratiae Dei particeps esse vult: is ad Christum accedat oportet: quia, sicut in hoc solo est fons omnis gratiae, ita ex hoc solo gratia haec in omnes fluit. Ideo dicebat, *Venite ad me omnes & ego reficiam vos. Matth. 11.* Item, *Qui sitit, veniat ad me & bibat. Joan 7.*

Sed quomodo Christus dispensat hanc gratiam? Docet Apostolus, dicendo, *In omni sapientia & prudentia:* id est, perfectam sapientiam & prudentiam. Scio φρόνησιν significare etiam intelligentiam: sed cum hac voce significetur etiam prudentia, libenter hanc retineo: quia facit non parum ad rem. Apostolus enim hîc descripsit fidem, qua fit ut Christum cùm toto thesauro gratiae & salutis recipiamus. Nam per hanc sese nobis communicat, juxta illud, *Christum habitare per fidem in cordibus nostris.*

Fidei autem duplex est virtus, una quâ cognoscimus Deum & Christum, salutemque in Christo positam. Et haec significatur nomine *Sapientiae.* Est enim sapientia cognitio rerum praestantissimarum, coelestium ac divinarum, ut etiam profani scriptores definierunt. Altera fidei Christianae virtus est, qua fidelis Dei rerumque divinarum cognitione non abutitur ad suam perniciem, sed totam ad verum salutaremque usum prudenter convertit, sibi applicans Christum, ejusque gratiam. Et ad gloriam Dei, salutem proximi, carnisque mortificationem vera Dei utitur cognitione. Hoc autem est opus *prudentiae.* Prudentia enim (ut definiunt etiam Philosòphi) virtus est, quâ consulimus & omnia ad debitos fines & usus referimus.

Sapientia igitur in vera Dei & Christi cognitione consistit: prudentia autem in vero hujus sapientiae & cognitionis Dei & Christi usu. Cùm autem utrumque sit officium verae Christianaeque fidei, prudentissimè Apostolus his duabus vocibus virtutem verae fidei descripsit.

Cùm ergo ait, Christum, in quo *habemus redemtionem*, exundare in nos sua gratia, in vera perfectàque sapientia, & prudentia, id est per fidem veram: docuit Chrîstum, *cùm vult sese, suàmque gratiam, remissionem peccatorum salutèmque aeternam communicare*, priùs largire fidem: Et per eam se suaeque gratiae thesauros copiosè & largiter communicare. Sic intelligo hunc locum.

Placet autem Scholiorum Graecorum interpretatio: ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει id est σόφους καὶ φρονίμους ἡμᾶς ποιῆσαι. Tales autem facit dono fidei.

Obser-

Observationes.

1. Ita hîc videmus, *Primùm*, Christum redemtorem, sicut prior amavit nos, sic etiam priorem ad nos venire, id est, ad suos electos, cum sua gratia: ait enim Apostolus, illum exundare in nos sua opulenta gratia.

2. *Deinde* videmus, ipsum quoque autorem esse fidei nostrae. Venit enim ad nos, & exundat sua gratia per fidem: non quam invenit in nobis, sed quam excitat in nobis. Unde Apostolus Heb. 12. *Respicientes in autorem fidei & consummatorem Jesum Christum.*

3. *Tertiò*, habemus ordinem quem servat in sua gratia dispensanda: quia primum excitat in nobis veram fidem, deinde efficit, ut oblatam opulentissimam gratiam Dei, amorem ejus, redemtionem, remissionem peccatorum, & quae cum iis conjuncta sunt bona coelestia, intelligamus, per donum sapientiae. Et amplectamur, nobisque applicemus, per donum Christianae prudentiae; quae partes sunt verae fidei. Nam etiam fides à gratia Dei proficiscitur, & fructus est illius opulentissimae gratiae. Ita initium salutis communicatae est fides: quia per hanc in cordibus nostris excitatam Christus efficit, ut reliquas salutis partes intelligamus & accipiamus. Sequitur versus 9.

9. Γνωρίσας ἡμῖν &c. id est, *Christus, seu Pater per Christum exundat in nos sua gratia,* in omni sapientia, & prudentia: patefaciendo nobis mysterium voluntatis suae, secundum beneplacitum ipsius, quod proposuerat in sese κατὰ τὴν εὐδοκίαν quam proposuerat in sese. Id est, ideò gratis, & pro sua tantum benevolentia patefecit nobis arcanum voluntatis suae: quia proposuerat etiam gratis hoc facere. Unde colligimus, Deum nihil jam facere, quod non decreverit ab aeterno: Et non alio modo facere, quam quomodo proposuerat facere.

Quatuor habemus in hoc versu: *Primùm*, explicationem, quomodo Deus per Christum, seu Christus ipse gignat in nobis illam σοφίαν cum prudentia conjunctam, id est, veram fidem, per quam sese nobis communicat. Γνωρίσας (inquit) ἡμῖν voluntatem Dei de nobis salvandis: voluntatem inquam, quae fuerat secreta ab aeterno in pectore Dei: ac proinde quam nemo hominum aut angelorum cognoscere unquam potuisset aut posset, nisi reveletur per Christum.

Sed si interroges, quomodo Christus patefacit illam secretam voluntatem? responsio in promptu est: per Evangelii praedicationem & per Spiritum Sanctum intus corda illuminantem, ut notum est. Ideò tacité hîc habemus sub verbo Γνωρίσας undénam fides, qua Deum ejusque voluntatem cognoscimus, in nobis gignatur: nempe ex Evangelii praedicatione, & Spiritus sancti illuminatione. Christus enim Evangelium ipse annunciavit, & nunc etiam annunciat per ministros, ac doctores. Et idem ille aperit & illuminat corda per Spiritum sanctum. Proinde dixit initio ad caput de modo, quo dispensatur nobis salus, referendam esse praedicationem Evangelii, & Spiritus sancti illuminationem.

Deinde, habemus hîc quae sit summa Evangelii, seu in quo potissimùm constat illa sapientia, per quam sese nobis totamque salutem communicat Christus: in cognitione voluntatis divinae de nobis servandis per Christum:

id quod posteà clariùs explicat vers. 10. cùm ait, voluntatem hanc Dei fuisse, ut omnia per Christum instauraret. In hac cognitione sita est nostra sapientia, & haec est fides.

Tertiò, tradit causam impulsivam, à qua motus fuit Pater, & Christus ad patefaciendum illud arcanum voluntatis Dei de nobis hac ratione salvandis: A sua mera benevolentia erga nos, γνωρίσας (inquit) ἡμῖν κατὰ τὴν ευδοκίαν ἀυτοῦ. Ita docet fidem quoque ipsam donum esse Dei gratuitum: ac proinde totam salutem gratuitam.

Quòd si interroges, cur gratis dat nobis fidem & secundum suam tantùm benevolentiam, & non aliis? Respondet Apostolus, quia sic ab aeterno proposuerat in sese. Quam (inquit) εὐδοκίαν *proposuerat in sese.* Ita *quartum* habemus Fontem scilicet etiam fidei gratuitae esse gratuitam Dei praedestinationem, seu propositum aeternum. Et cur aliis revelet mysterium hoc Evangelii donetque fidem aliis, & aliis non item, nullam aliam afferri posse causam, quam quia sic placuit Deo ab aeterno. Sicut & Christus dixit Patri *Gratias tibi ago quod absconderis haec à sapientibus hujus saeculi, & revelaveris parvulis: Ita Pater, quia sic placuit tibi.* Nunc singula percurro.

De Primo.

Quibus detur fides: a quo: & quomodo.

Γνωρίσας (inquit) ἡμῖν. Quibus ἡμῖν? Electis: neque enim vera & solida cognitione Dei veraque fide donantur reprobi. *Mat.* II. Gratias ago Pater, quia abscondisti, &c. Et Paulus, *Non omnium est fides.* 2. Thess. 3. Et vocat fidem Electorum. Item Christus: *Vobis datum est nosse mysteria.* Matth. 13. Hinc sequitur, quibus igitur revelat hos esse electos. Quis revelat? Deus Pater: de hoc *Mat.* 16. Beatus es Simon, Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus. Item *Mat.* 11. Gratias ago, Pater, quia revelasti parvulis. Christus quoque Mediator revelat & patefacit. *Joh.* 17. Patefeci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Non ergo omnibus. Quare Christus patefacit, & Pater patefacit, sed per Christum.

Ita Christus sese communicat, & Pater sese communicat, sed in Christo. Gratiam dispensat Pater per Christum: Et Christus dispensat per Patrem.

Sed quomodo? Ad veram & efficacem cognitionem Dei duo requiruntur, Evangelii praedicatio, & Spiritus sancti actio, qui corda aperiat. De praedicatione Evangelii ait *Rom.* 11. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

De illuminatione Spiritus, 1. *Cor.* 1. Nemo novit quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei. Nos autem Spiritum Dei habemus. Act. 16. Exemplum Lydiae: Paulus praedicabat, ipsa audiebat, Spiritus sanctus aperuit illi cor ad intelligendum. Ita fides donatur à Deo & à Christo Mediatore: sed per Evangelii praedicationem, & per actionem internam Spiritus sancti. Itaque etiam dispensatio gratiae & salutis, quae recipitur per fidem, ex iisdem nascitur fontibus. Ergo nostra salus gratuita.

De

De Secundo.

Hujus revelationis nomen.

Quid revelat? mysterium inquit voluntatis ejus: de servandis scilicet nobis per Christum crucifixum.

Verè mysterium est, & sic Scriptura passim vocat pietatem religionémque Christianam. 1. *Tim.* 3. Et certè magnum est pietatis mysterium. 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit quae sunt Spiritus. *Item*, praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.

Hoc etiam facit ad confirmandum scopum simpliciter, de gratuita salute per solum Christum. Quare? Quia voluntas Dei arcana est: Et pro stultitia habetur doctrina de sola fide. Servari per opera, Mundus intelligit, esse honestum & aequum. At Paulus ait, voluntatem Dei de salute nostra esse arcanum quiddam, &c. Non est igitur voluntas Dei ut servemur per opera legis: Sed per Jesum crucifixum. Ita etiam habemus summam Evangelii, quae postea melius explicatur versu sequenti.

De Tertio.

Ratio hujus revelationis.

Cur revelat nobis arcanum? num quia digni eramus? num quia hoc promeriti fuerimus? num propter observantiam legis? Non, sed κατ᾽ εὐδοκίαν ἀυτοῦ. Quia amavit nos: igitur quod etiam praedicetur nobis Evangelium, quòd patefiat nobis voluntas Dei. Totum est ex gratia. Ita apparet, qui sentiunt servari hominem ex operibus legis, illos esse extra hanc gratiam.

De Quarto.

Fons ejusdem & causa princeps, nempe Dei beneplacitum.

Ut verò confirmet hanc doctrinam, venit ad fontem primum primàmque causam, ad propositum scilicet aeternum. *Quam* (inquit) *proposuerat in sese &c.* quasi dicat: Ne putetis hanc εὐδοκίαν Dei, secundum quam revelat nobis mysterium voluntatis suae, ullo modo excitatam esse in Deo, aut excitari posse ullis operibus nostris. Nam ab aeterno sic proposuerat facere: hoc est, pro sua tantum benevolentia revelare. Ergo quod nunc revelet gratis, & pro sua εὐδοκίᾳ, hoc ideò fit, quia sic facere, id est gratis revelare decreverat. Hanc enim εὐδοκίαν proposuerat in sese, &c.

Εἰς οἰκονομίαν, &c. Explicat hîc Apostolus, quaenam fuerat illa arcana voluntas, quam dixit per Christum patefactam nobis fuisse: idque gratis propter suam erga nos benevolentiam, sicut jam inde ab omni aeternitate decreverat facere. Tres autem partes illius divinae & aeternae voluntatis, de qua loquitur, in hoc versu explicantur ab Apostolo: quarum *Una* est de

de re, hoc est inprimis de servandis Electis omnibus, tam gentibus, quam Judaeis, eisque alioquin dispersis, & tum à Deo, tum à se invicem alienatis, in unum colligendis. *Altera* pars ejus voluntatis fuit de Mediatore, per quem hoc esset facturus: nempe per Christum; subintellige crucifixum, mortuum, sepultum, &c. Ita ad hoc caput refertur Christi incarnatio, obedientia, passio, mors, sepultura, resurrectio, ascensio in coelum, sessio ad dextram Patris, missio Spiritus sancti, divulgatio Evangelii per totum terrarum orbem. *Tertia* de tempore etiam, quo reapse haec facturus esset: nempe toto illo temporis spatio completo, quo constituerat, tum gentes permittere ambulare in viis suis, tum Judaeos sub lege, tanquam sub disciplina, exercere. Sic enim explicatur ad Galat. 4. prioribus versibus.

De temporis plenitudine.

Tempore enim plenitudinem vocat tempus illud, quo revolutis praeteritis seculis omnibus, venit Christus tam diu exspectatus. Has tres divinae voluntatis partes explicat Apostolus: quas recto ordine recensuimus. De temporis tamen priùs loquitur Paulus: quo usque scilicet illa Dei voluntas & beneplacitum, juxta quod decreverat nos per Christum servare, debuerit esse in Deo absconditum: ait εἰς οἰκονομίαν πληρώματος: Id est, usque dum complerentur omnia illa tempora, post quae dispensatio illarum rerum fieret à Filio, quas Deus Pater in seipso proposuerat ab aeterno.

De hac temporis plenitudine ait ad Gal. 4. Hoc autem dico, quamdiu heres parvulus est nihil differt à servo: sed sub tutoribus & curatoribus est, usque ad tempus praefinitum a patre. Ita & nos, cùm essemus infantes, sub elementis Mundi eramus in servitutem redacti. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum acciperemus.

En explicationem praesentis loci. Priùs dixit de Judaeis, omnes ante Christum fuisse seu infantes sub elementis hujus mundi, id est, sub lege, legalibùsque ceremoniis in servitutem redactos: & post statim subjicit, *At ubi venit plenitudo temporis, &c.* Docet igitur Deum constituisse Judaeos in illa legis servitute retinere, donec tandem, certo praefinito tempore, liberarentur per Christum: id quod tempus novissimum vocatur.

Itaque tempora, ante quae non poterant Judaei à servitute legis liberari, fuerunt illa, quae à data per Mosen lege durarunt usque ad Christi adventum, et oblatum sacrificium.

De gentibus scribit Apostolus, in *Actor.* 14 & 17. Deum praeteritis aetatibus, id est, ante Christi mortem & resurrectionem, Evangeliique per Apostolos ubique terrarum praedicationem, *permisisse eos ambulare in viis suis:* 1. in infidelitate, idolatriis, sceleribus variis, quae tempora *tempora vocat ignorantiae. At verò* (inquit Apostolus Act. 17.) *nunc omnibus ubique hominibus annuntiat poenitentiam.* Tempora igitur, quibus permittendi erant gentiles in suis tenebris ambulare, fuerant à collectione electionéque seminis Abrahae e reliquis Gentibus, usque ad Christi (ut supra dictum est) adventum & Evangelii per totum orbem

orbem terrarum praedicationem. Tum etiam ipsi, jam sacrificio Mediatoris Deo reconciliati, instaurati fuerunt, & in unum populum cum Judaeis sub uno capite collecti: ut explicat Apostolus Cap. 2. Haec igitur sunt illa tempora, quae oportuit impleri, antequam per Christum ex decreto Patris omnia instaurarentur.

Imò haec temporum plenitudo complectitur omnia tempora in genere, quae fluxerunt à condito orbe, & post peccatum, usque ad Christi adventum.

Proinde si quis quaerat, cur Christus non citiùs venit, & omnia instauravit? Responsio hîc est in promptu, eaque Apostolica; quia scilicet haec fuit voluntas Dei, ut differreretur haec instauratio usque dum tempora, quae praecesserunt Christum, implerentur. Deus enim ab aeterno praefinivit non solum omnia, quae fieri debebant, sed etiam tempora & momenta praefixit, quibus fieri debebant. Huc pertinet, quod ait *Actor.* 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, &c. Item de sua morte subinde dicebat, *Nondum venit hora mea.* Imò & de miraculo convertendae aquae in vinum dixit matri, *Nondum venit hora mea.*

Hinc etiam intelligimus, tempora haec, quae post Christum secuta sunt usque ad finem Mundi, esse novissima tempora: quia vocantur plenitudo temporum. Et Heb. 1. ait novissimis diebus Deum locutum esse in Filio, &c. Et ad *Cor.* 1. *c.* 10. In quos fines saeculorum devenerunt Falluntur ergo miseri Judaei, qui adhuc exspectant Messiam, qui instauret regnum Israel. Habebant certa testimonia à Prophetis de temporum plenitudine, id est, de certis temporibus, post quorum complementum venturus erat Messias, & regnum instauraturus: ut fuerunt septimanae Danielis: quo vaticinio nihil certius, nihil clarius. Sed de hac temporum plenitudine satis.

De oeconomia, seu dispensatione salutis.

Observanda porro illa vox est οἰκονομίας. Propriè significat rei domesticae administrationem & dispensationem: cùm quis ita curam suscipit domus alicujus, rémque domesticam ita administrat, ut quod opus cuique est illud ei distribuat. Est enim ἀπὸ τοῦ οἴκου, καί νέμειν.

Ecclesia Dei domus quaedam est, ut saepè in Scripturis vocatur; omnes electi tam ex gentibus, quam ex Judaeis, ad domum hanc pertinebant, quanquam non omnes essent domi, sed multi ab aliis separati, & à se invicem divulsi.

Omnium parens est Deus Pater Domini nostri Jesu Christi. Bona hujus domus filiis Dei necessaria, cum primis spiritualia sunt, tam visibilia, ut verbum & Sacramenta, quam invisibilia, ut remissio peccatorum, justitia, sanctitas, cognitio Dei, fides, & denique tota salus, vitàque aeterna.

Qui erant ex Gentibus Electi & filii Dei, ab Ecclesia sejuncti erant, & rebus ad salutem necessariis destituebantur prorsus. *Erant enim* (ut Ephes 2.) *sine promissionibus, & sine Deo.* Judaei Sacramenta habebant, verbum & sacrificia: sed talibus sacrificiis non poterant expiari peccata. At licet Electi, propter fidem in futurum Mediatorem, *participes essent salutis, in statu tamen erant servitutis,* ut Paulus docet *Gal.* 4. ad Rom. alibique saepius. Moses qui-

quidem fuit prior constitutus oeconomus illius Ecclesiae, & Aaron, & deinceps alii sacerdotes: sed nemo poterat remittere peccata, donare justitiam, aliaque hujus generis spiritualia bona dispensare. Constituit igitur Pater ab aeterno optimum oeconomum praeficere huic domui, & familiae; qui & colligeret qui dispersi erant, & singulis omnia ad salutem necessaria liberaliter suppeditaret ac dispensaret. Hic fuit filius unigenitus, designatus destinatùsque ad hanc oeconomiam: sed ud prius fieret homo, quo posset sacrificium offerre pro peccatis omnium Electorum, eòsque ab omni servitute peccati, Satanae, legis liberare; & qui procul erant recolligere in unum: omnésque fouere, alere & potare sua carne & sanguine in vitam aeternam.

Haec igitur Ecclesiae totius redemtio & administratio Christo à Patre commissa, & qua Christus jam regit Ecclesiam, oeconomia vocatur ab Apostolo. Christus vocavit judicium: *Joh.* 5. Pater omne judicium dedit filio, id est, totam mundi administrationem, & inprimis Ecclesiae.

Sed praefinitum erat tempus certum, quo deberet homo factus hanc suscipere oeconomiam. Inde factum est, ut Patres Graeci & Latini ipsam etiam solam incarnationem, aut vitam, passionem, mortem, vocent oeconomiam: ut Hieronymus quoque testatur, ad Pammachium & Oceanum: & Damascenus, & alii. Sed propiè oeconomia est illa provincia, quam Pater injunxit Filio, ut factus homo curam susciperet Ecclesiae, redimeret, servaret, omniàque ad se recolligeret.

Cum igitur ait, Deum suum illud beneplacitum juxta quod decreverat & voluerat nos per Christum servare, proposuisse in sese, eóque secretum in se ipso retinuisse, *εἰς οἰκονομίαν* plenitudinis temporum, non est intelligendum de oeconomia seu dispensatione temporum, quasi tum foret dispensaturus tempora Christus: sed de oeconomia, quam Pater injunxerat exercendam & perficiendam: verum non prius quam implerentur illa tempora, quae fuerunt huic oeconomiae praefinita ac destinata. Ut sensus sit, *quod beneplacitum voluntatis suae proposuerat in sese, usque ad tempus oeconomiae, quod futurum erat post impleta verò omnia secula.*

Observemus ergo Christum, id est, filium Dei in carne manifestatum nunc praeesse toti Ecclesiae: Et ut optimum oeconomum cuique nostrum, id est, electis omnibus suppeditare, quae ad ipsorum salutem necessaria sunt, donàque distribuere varia, prout expedit Ecclesiae: imo & de bonis temporalibus tantum cuique dispensare, quantum expediat: ut ipse dixit, *Matth.* 6. Quaerite primùm regnum Dei, & haec omnia adjicientur vobis. Ac de tempore, & de voce oeconomia satis.

De salutis nostrae mysterio.

Venio nunc ad primum & ad secundum caput simul: nempe quid facere, & per quem, constituerit Deus: seu quodnam fuerit illud mysterium voluntatis ipsius, quod postea per filium revelavit, non tam verbis, quàm reipsa, & effectis: idque ubi venit plenitudo temporis, ut explicat Apostolus Gal. 4. Ait fuisse, *ut in Christo omnia instaurarentur, & quae in coelis, & quae in terris.* *ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ παντα ἐν τῷ* Χριςῷ. Cum audis nomen Christi, intellige filium Dei

Dei jam hominem factum, duabus constantem naturis. Non enim instaurare voluit omnia per filium sine nostra carne: sed hoc honore voluit nostram naturam afficere, ut ipsa quoque concurreret ad instaurationem rerum omnium, etiam coelestium. Jam enim est in coelestibus locis, & regit omnia, angelique illi sunt subjecti.

Pro explicatione hujus loci Apostolici, qui variè ab interpretibus explicatus fuit tam Graecis, quam Latinis: videndum est prius de voce ἀνακεφαλαιώσασθαι Et simul de voce πάντα tam quae in coelis, quàm quae in terris.

Ανακεφαλαιώσασθαι *quid.*

1°. Primùm, notandum est quod scribit Chrysostomus, duplicem esse significationem hujus verbi: *Unam*, τὰ διὰ μακρῶν λεγόμενα συντομῶς εἰπειν: hoc est, quae prolixè dicta fuerunt, breviter complecti, & ad certa pauca capita redigere, sicut solent Rhetores: id quod vocare solemus *recapitulationem*, quae fit in Epilogo. Juxta hanc significationem quidam interpretantur hunc locum hoc modo: Omnia quae jam inde ab initio Mundi cum humano genere gesta sunt per umbras & figuras, in Christo summatim esse recapitulata, & impleta. Verbi gratia, omnia sacrificia in uno sacrificio Christi fuisse breviter collecta, & impleta: omnes promissiones habuisse in Christo complementum suum & Amen: omnia mundi peccata in unum Christum fuisse posita, & in eo expiata: omnes maledictiones cecidisse super Christum, & deinde omnes etiam benedictiones, ut Deuter. 30. Legem denique totam finem accepisse in Christo: quia is eam implevit pro omnibus membris suis.

Et hanc fuisse voluntatem Dei, cùm permisit Adamum peccare, & in eo omnes: ut scilicet posteà omnia expiaret unico sacrificio. Et sicut dixit Apostolus, *Rom*: II. Ideo conclusisse omnia sub peccato, ut omnium posteà in Christo misereretur.

2. Photius sequitur eandem verbi significationem, sed aliter exponit, nempe omnia in Christo esse, tanquam in quadam summa, renovata & instaurata. *Primùm* humanam naturam, quae corruerat, corruptáque fuerat peccato, & morte obnoxia facta, esse liberatam à peccato, renovatam, excitatam à morte, gloriae coelestis participem effectam. *Deinde*, in coelis Angelos omnes confirmatos in sua felicitate. *Tertio*, omnem etiam creaturam, quae nunc ingemiscit, per Christum liberatum iri à servitute corruptionis.

3. Augustinus quoque accepit hoc verbum pro instaurare; ita autem interpretatur in Enchirid. ad *Laurent. cap.* 62. Nempe quae in coelis sunt esse per Christum instaurata, quia quòd inde in Angelis lapsum est, ex hominibus qui in coelum ascendent redditur: quae in terris etiam sunt, instaurari, quia ipsi homines praedestinati ad vitam, à corruptionis vetustate renovantur. Et omnia haec per Christum.

II. Alia vocis hujus interpretatio, quam adfert Chrysostomus est, ὑπὸ μίαν πάντα κεφαλήν αγείν, id est, *omnia ad unum caput adducere, & adjungere, seu colligere omnia sub uno capite.* Quae significatio optimè convenit huic loco: ut mox videbimus. Significat enim Apostolus, cùm omnia defecissent à Deo propter

propter peccatum Adae, et à se invicem divulsa Deum constituisse per Christum instaurare, & ad Christum tanquam caput, omnia revocare, & simul unire. Sed non omnes consentiunt in nomine eorum, quae in coelis, & quae in terris.

Quidam, ut Origenistae, omnia simpliciter tandem servatum iri, etiam daemones, & homines omnes, per Christum: Et sub capite Christo victuros feliciter in sempiternum. Sed haec haeresis est.

2. Alii ad Electos tantùm tam Angelos quàm homines referunt. Quomodo homines, qui anteà defecerant à Deo, ex dissipatione collecti & in ordinem redacti sint, omnes intelligimus.

Angeli, quomodo recollecti per Christum.

Sed de Angelis, qui nunquam defecerunt, nec inter se dissipati, aut à Deo, aut à se invicem avulsi: quomodo dici possit recollectos esse per Christum? 1. Respondent, bifariam hoc intelligendum esse: *tùm* quia hoc acceperunt à Christo, ut solidius & perfectius adhaereant Deo, quàm anteà. *Deinde* quod etiam acceperant, ut perpetuum suum statum retineant. Adde & *tertio*, quia aucti sunt pleniore cognitione voluntatis divinae, quae post adventum Christi est patefacta, ut de salute Gentium affirmat Apostolus, Eph. 3. Adde *Quartò*, quia aucti sunt laetitia, dum vident nos quoque servari, & futuros cum illis beatos in coelis, *Luc.* 15. Gaudent super uno peccatore poenitentiam agente. Adde *quintò* quòd reconciliati sunt nobis, qui ante aversabantur nos ut injustos. Erant avulsi à nobis & nos ab illis. Christus conjunxit in seipso, & sub seipso capite nostro.

3. Quidam restringunt ad homines electos, & per ea, quae in coelis, intelligunt animas eorum Electorum, qui mortui erant ante adventum Christi. Per ea, quae in terris, reliquos. Ratio, qua adducuntur ut ita interpretentur, ducitur à Mediatoris officio. Est Mediator tantum Dei & hominum, non autem Angelorum. Loquitur autem hîc Paulus de Christo ut Mediatore. Ergo, &c. Est tamen ad hoc argumentum facilis reponsio.

III. Quidam igitur accipiunt verbum hoc pro *revocare omnia ad suum primum principium,* κεφαλὴ enim significat & caput, & principium, praesertim apud Hebraeos.

Omnium nomine quid velit Apostolus.

Nomine autem *omnium* accipiunt non solum homines & Angelos, sed alias etiam creaturas, coelùmque & terram, his adducti rationibus: *Primò,* quia Apostolus antè semper dixerat, *Nos benedixit, nos elegit, nos praedestinavit, nos sibi gratos fecit, nos redemit;* hîc mutat, & ait omnia. Et quidem tam quae in coelis quàm quae in terris. Alia igitur etiam intellexit.

Secundo, quia Scripturae tradunt omnia innovatum iri: futurum coelum novum, & terram novam. Et, *Ecce nova facio omnia.* Et *Rom. 8.* Omnis creatura exspectat redemtionem filiorum Dei: ut scilicet liberetur à servitute corruptionis. Omnis autem mundi renovatio per Christum fit. *Tertiò*

Tertiò, quia expresse Apostolus hoc tradere videtur Colos. 1. qui locus hujus est aperta explicatio. Ibi concludit, *per quem cuncta creata sunt, consistùntque visibilia & invisibilia, & angeli, & principatus, per eundem etiam illa omnia, pace per sanguinem Christi facta, reconciliata esse Deo, tùm quae in coelo, túm quae in terris.* Sic autem explicant suam sententiam.

Ab integritate (inquiunt) sui principii omnis creatura, tàm coelestis quam terrena, inde ab initio deliquium passa est. Restaurationem illius proposuit in seipso suis temporibus eam in Christo praefiniens. Sic illi.

Quod hîc aiunt de deliquio omnis creaturae, coelestis & terrestris, manifestum est in humano genere propter peccatum. In Angelis quoque non est obscurum, si non singulos consideres, sed in genere totum illum statum coelestium spirituum. Nam illud quoque genus creaturarum deliquium passum est, propter peccatum quam plurimorum, qui contra Deum rebellarunt, & ideò è coelo in tartara dejecti sunt. Ita sedes ibi multae (ut loquitur Augustinus) vacuae manserunt.

De reliquis creaturis Apostolus ait, *Rom.* 8. Omnis creatura vanitati subjecta est, non volens. Hoc dictum Pauli quidam sic intelligunt: dum homo (cujus causa condita sunt omnia) serviebat Deo, ante peccatum, ex corde puro, & conscientia bona: servitium etiam, quod reliquae creaturae praestabant homini, vanum non erat, & suo quodam modo omnis creatura libenter ac volens serviebat homini, quia & ipse ex animo puro, & voluntate recta serviebat Deo. At verò simulac homo desit servire Deo, ut debebat: nulla amplius creatura lubens serviebat homini aut etiamnunc servit. Est enim quodammodo servitus haec inanis, cùm serviat inimico Dei. Sed ideo servit, quia Deus pro sua φιλανθρωπίᾳ jubet & cogit eam homini, licet iniquo, servire: Ideo ait Apostolus, *vanitati*, id est, vano obsequio subjecta est, non volens. Quia tamen spem fecit omni creaturae, quae homini impio servit, fore ut homines liberentur per Christum à peccato, & ab ejus servitute, redeàntque ad serviendum Deo, sicut initio serviebant, atque ex filiis diaboli fiant filii Dei: ideò Apostolus ait, eam propter Deum, qui fecit illam spem, solicite exspectare hanc revelationem filiorum Dei, sperantem tandem & seipsam liberatum iri. Sic quidam interpretantur illam vanitatem omnis creaturae, vanum scilicet obsequium quod praestet hominibus impiis. Et ab hac vanitate eam liberari, cùm homo liberatur à peccato.

Plerique tamen omnes de corruptione, cui propter peccatum hominis facta est obnoxia, interpretantur: ut integritati naturae opponatur vanitas. Certè legimus *Genes.* 3. Maledictam fuisse terram propter hominem. Sive ergò de vano obsequio & servitute, sive de corruptione naturae interpretemur: constat creaturas etiam rationis expertes deliquium passas esse, nec in integritate sui principii perstitisse, ita ut etiam coeli opus habeant renovatione, ut omnis creatura suae integritati, in qua fuit creata, restituatur. Id quod futurum est, cùm scilicet perfectè redemptis filiis Dei fiet coelum novum, & terra nova, beneficio Christi.

Hoc igitur est (inquiunt isti interpretes) quod hîc Apostolus docet Deum apud se constituisse per Christum facere: omnia scilicet tam coelestia, quam ter-

restria

restria ἀνακεφαλαιώσασθαι *ad primum suum principium*, hoc est, ad pristinum statum, primàmque suam integritatem revocare, colligere, instaurare.

Et sic Tertullianus, *De monogamia*, hunc locum Apostoli interpretatus est, per Christum revocari omnia ad pristinum primùmque statum, ac ceu principium; Christum enim hoc & coepisse facere & docuisse, cùm dixit Judaeis, *Mosen quidem permisisse illis dimittere priorem uxorem, & alteram ducere quavis de causa: sed ab initio non fuisse sic.* Revocavit igitur Christus ad suum primum initium ipsam matrimonii individuitatem. Verba Tertulliani haec sunt. Dicit & Apostolus scribens ad Ephesios, *Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem plenitudinis temporum, ad caput, id est, ad initium revocare universa in Christo, quae sunt super coelos, & super terram in ipso. Sic & duas Graecas literas, summam & ultimam, sibi induit Dominus* (in Apocalypsi enim vocatur α & ω) *initii & finis concurrentium in se figuras uti: quemadmodum autem α ad ω usque volvitur, & rursus α ad ω replicatur, ita ostenderet in se esse & initii decursum ad finem, & finis recursum ad initium: ut omnis dispositio in eum desinens per quem coepta est, per sermonem* scilicet *Dei, qui caro factus est, proinde desinat quemadmodum & coepit: Et adeò in Christo omnia revocantur ad initium, ut & fides reversa sit a circumcisione ad integritatem carnis illius sicut ab initio fuit: Et libertas ciborum & sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit: Et matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit. Et repudii cohibitio, quod ab initio non fuit. Et postremo totus homo in paradisum revocatur, ubi ab initio fuit.* Haec omnia Tertulliani sunt.

Cyrillus in Joh. lib. 9. c. 47. eodem sensu verbum hoc accipit: nempe pro ad caput, & principium, pristinùmque statum restituere. Et tribus potissimùm in rebus hanc nostri ad pristinum statum restitutionem collocat: in ablutione peccati, in destructione mortis, & in υἱοθεσίᾳ. Creatus enim fuit homo immediatè à Deo & filius Dei fuit. Creatus enim sine peccato, in vera justitia: creatus denique talis, qui potuisset semper vivere, si voluisset. Per Christum autem restituta sunt haec omnia: Per Christum igitur in pristinum statum restituimur. Aliquid isti Patres dicunt: sed non totum. Nam de homine tantùm, qui super terram est: non autem vel de aliis rebus, vel étiam de coelestibus, locum hunc interpretantur. Ex omnibus tamen interpretationibus non parum disco, & quis sit verus sensus Apostoli colligo. Dicam igitur quod sentio.

Omnes has tres verbi ἀνακεφαλαιώσασθαι significationes admitto: duas Chrysostomi, & tertiam Tertulliani atque Cyrilli, quia accommodari optimè possunt ad locum Pauli. Posterior tamen Chrysostomi magis convenit. Hujus enim contrarium est ἀποκεφαλαιώσασθαι *caput detruncare & à capite avellere.* Ergo ἀνακεφαλαιώσασθαι *est ad caput redigere & capiti denuo unire & adglutinare.*

Caeterum Apostolus mihi videtur in primis & immediate loqui, non de singulis rebus coelestibus & terrestribus; neque etiam de singulis rerum generibus, quae sint in coelo & in terrá: sed de Electis omnibus, qui praedestinati fuerunt εἰς υἱοθεσίαν & ut essent membra Christi: hoc est de Ecclesia, quae est corpus ipsius, & cujus Christus caput est: à qua Ecclesia non excludo Angelos: nam etiam ipsi ad Ecclesiam pertinent, ut liquet ex Epistola ad *Hebr.* 12. Et pars sunt Ecclesiae triumphantis.

Ita

Ita verò sermonem instituit Apostolus de iis, quae in coelis, & quae in terris, nempe ad Christum pertinentibus. Hoc in primis est retinendum. Deinde de Christo loquitur, tanquam de capite totius hujus Ecclesiae, & in quo, tanquam in capite, omnes electi praedestinati & amati fuerunt à Patre.

Quòd verò aliae quoque res praeter Ecclesiam, ex Electis tam coelestibus spiritibus quam terrenis hominibus constantem, in his Pauli verbis comprehendantur: hoc est ex consequenti, & per accidens, non autem per se. Quia enim Pater constituerat apud se, omnes, quos elegerat efficere membra Christi, & Christum dare ipsi Ecclesiae caput super omnia, ut est ad finem capitis: eòque omnes hos, alioqui partim à Deo & partim à se invicem avulsos, ad unum caput Christum recolligere, eique adglutinare, ut secunda habet significatio verbi ἀνακεφαλαιώσασθαι. Ideò ex consequenti necesse erat, tùm ut quae multis & typis & umbris gesta fuerunt à condito orbe cum humano genere, omnia summatim implerentur & recolligerentur in Christo, ut habet prima interpretatio, juxta priorem verbi ανακεφαλαιώσασθαι significationem: tum ut omnia, quae à suo primo initio declinarant, juxta interpretationem Tertulliani, ad suum primum initium pristinùmque statum revocarentur. Et ita fieret novum etiam coelum, & nova terra: ut habet postrema interpretatio. Quo etiam refertur Augustini interpretatio de instauratis locis sedibùsque coelestibus, unde lapsi sunt mali angeli, per homines in terris regeneratos, qui ad coelestes illas sedes beneficio Christi evehuntur. Omnia enim haec consequuntur necessario illud primum, de colligendis redigendisque & uniendis sub uno capite Christo Electis omnibus, ut omnes sub uno capite essent unum corpus, illùdque sanum, integrum, perfectum: qui alioqui erant ceu membra laxata, & partim à Deo, ut homines qui peccarunt, partim à se invicem avulsi, ut erant Angeli ab hominibus, & Judaei à gentibus gentèsque à Judaeis.

Genuinus igitur sensus Apostoli, meo quidem judicio, est iste. Deum, qui in Christo tùm Angelos coelestes Spiritus, tum nos homines terrenos, sibi in filios, & fratres Christi elegerat, sicut eos qui peccarunt, redimere & sanctificare in Christo jam inde ab aeterno constituit: sic etiam omnes, tam qui non peccarunt, uti sunt Angeli, quam qui peccarunt, ut nos, cum omnes essemus aliquo modo dissipati, ut suprà declaravimus, in unum recolligere & sub uno capite conjungere, unùmque ex iis omnibus membris corpus constituere, quod est Ecclesia, decrevisse: idque, ut omnes ab hoc uno capite perpetuam vitam, motum & sensum spiritualem hauriremus in sempiternum. Hoc verò contigit, postquam Christus, resuscitatus à mortuis, ascendit in coelum, accepta à Patre omni potestate in coelo & in terra, subjectis illi primùm Angelis & potestatibus omnibus in coelo. Et deinde praedicatione Evangelii collectis gentibus in unum cum Judaeis, & omnibus simul unitis per Spiritum S. ipsi capiti Christo. Non enim sine causa Apostolus primò nominat ea quae in coelo, & deinde quae in terra. Et Christus itidem primum dixit *data est mihi potestas omnis in coelo*, & deinde in *terra:* quia Christo glorificato in coelis, tanquam omnium Electorum capiti, primùm Angeli coelestes, & deinde gentiles una cùm Judaeis, per praedicationem Evangelii subjecti fuerunt, ut modo dictum est. Ita omnes Electi, tam Angeli quam homines, huic capiti adglutinati sunt, & quotidie

quotidiè adglutinantur. Reliqua, ut homines impii & diaboli infernales, subjecta sunt pedibus Christi. Ita ut etiam κακοδαίμονες Christum pro suo Domino agnoscere & adorare cogantur. Sed Christo tanquam capiti non adglutinantur nisi Electi Angeli & homines: ex quibus solis constat Ecclesia, quae est verum Corpus Christi.

Hoc est illud beneficium, ab aliis supra dictis diversum, & longè praestantissimum, quod hîc praedicat Paulus, cùm ait, Deum ab aeterno constituisse omnia in Christo ἀνακεφαλαιώσασθαι, tum quae in coelis, tum quae in terra.

Ergo Apostolus propiè & per se hîc non loquitur nisi de electis, è quibus constat Ecclesia, à qua, ut diximus, non separantur Angeli: neque de Christo loquitur tanquam de redemtore simpliciter à peccatis (sic enim Mediator non est, nisi Dei & hominum) sed tanquam de capite Ecclesiae, sub quo recollecti sunt, & quotidiè colliguntur electi omnes tanquam ejus membra. Nam hoc modo etiam Angeli sub hoc eòdem capite, unà cum omnibus piis hominibus, conjuncti sunt. Ita facilis est intelligentia horum verborum Pauli: ut nulla fiat vis verbis. Et consentanea etiam est cum ἀναλογίᾳ fidei; nam res ita se habet.

Accedit etiam consensus piorum patrum; praeter alios sic interpretatus est Œcumenius, cujus haec sunt verba Ανακεφαλαιωσασθαι τὰ πάντα: id est συνάψαι, ἐνωσαι, μίαν κεφαλην παρασχεὶν Αγγέλοις και ἀνθρωποις τὸν Χριϛὸν. απεσχίσμενοι γαρ ἦσαν οἱ ἀγγελοί και οἱ ἀνθρωποί. Sed quid opus est aliis interpretibus, cùm habeamus ipsum Apostolum sese in hac eadem Epistola explicantem? Sub finem hujus capitis dicit primùm de Angelis, *Christum à mortuis resuscitatum sedere ad dextram Patris in coelis longè supra omnes principatus & potestates*, &c. nempe exaltatum. Sicut & ad Heb. c. 1. legimus: quid hoc autem est, nisi Christum non solum ut Deum, sed etiam ut talem hominem, caput esse constitutum etiam Angelorum, ita ut nostra caro in Christo praestantior sit Angelis, & ei sint subjecti? Deinde complectens etiam homines subdit *ipsum Christum constitutum esse à Patre super omnia caput ipsi Ecclesiae.* Et interpretem optimum: *quomodo Pater voluerit in Christo, tanquam capite, omnia uniri, quae in coelis & quae in terra.*

Capite verò secundo specialiter de conjunctione duorum populorum in unum corpus, sub uno capite Christo, disserens ait Christum esse pacem nostram, qui fecit ex utrisque unum, & diruisse maceriam intermediam, ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem. Item, omnes jam habere adductionem in uno Spiritu ad Patrem. Et in cap. 3. idem confirmat de hac gentium vocatione ad Christum & cum Judaeis in unum corpus conjunctione. Et subdit hoc factum esse secundum praefinitionem seculorum, quam fecit in Christo Jesu. Haec particula explicatio est illius in primo capite: quam proposuerat in sese, ad oeconomiam plenitudinis temporum.

Dubium igitur non est, quin Apostolus in primo capite loquatur propriè & per se de collectione conjunctionéque omnium Electorum, tam qui in coelis, quam qui in terris erant & sunt, sub uno capite Christo in unum corpus, quod est Ecclesia, & communio sanctorum. O, ingens beneficium.

Unio haec fit per unum eundèmque spiritum Christi. De qua infrà fusius dicemus.

dicemus. Hoc tantum in praesentia retineamus. Nos, qui sumus hîc in terris, vera & reali unione conjunctos & conglutinatos esse cum Christo capite, cúmque illius carne & sanguine, cum omnibus item Angelis Dei, beatisque spiritibus, qui in coelis sunt: cum omnibus item piis, qui in toto terrarum orbe dispersi, eundem Christum invocant, quem & nos: ac proinde colendam esse caritatem cum sanctis omnibus: & caput nostrum honore esse afficiendum: *ab ipso enim fluit in nos spiritualis motus, sensus, vita*; atque hinc apparet clarius, quid Christus nobis dispenset: nempe id quod caput suis membris. Sed pergamus.

11. *In quo etiam* (sortiti sumus) *haereditatem consequuti sumus: vel in hanc sortem asciti sumus:* (id est, vocati ad haereditatem coelestem) *praedestinati secundum propositum ipsius, qui efficit universa secundùm consilium voluntatis ipsius.*

Explicatio.

Versibus insequentibus, praeter alia capita de Dispensatione gratiae Dei, hoc unum explicatur: *ad quósnam pertineat haec opulentissima gratiae dispensatio: seu quibúsnam dispensetur.* Electis omnibus, Judaeis primùm, deinde Gentibus. De Judaeis his duobus versibus proprie loquitur: postea de Gentibus dicet vers. 13.

Sunt autem duo praecipua membra hujus versus undecimi. Unum, de efficaci vocatione ad participationem hujus coelestis thesauri & haereditatis. Alterum, etsi contingit nobis, non ex operibus sed sorte: non tamen sine aeterno Dei consilio. Ad hanc enim nos fuisse praedestinatos.

Sic autem suum componit sermonem Apostolus, ut singula verba faciant ad scopum. Demonstrat enim, salutem nobis communicari gratis, sine operibus nostris. Ait ergò,

In quo (Christo) καὶ ἐκληρώθημεν. Ad verbum, *sortiti sumus* (passivè) id est, *facti sumus sortem seu haereditatem accipere.* Nam sic etiam Actor. 26. v. 18. *Et accipiant sortem inter sanctos, per fidem.* Κλῆρος haereditas est: Est etiam sors: item pars, participatio seu communio: ut Act. 8.

Sensus est, per eundem Christum, in quo decreverat Pater omnia instaurare, nos ad sortem & participationem coelestis gratiae & haereditatis efficaciter vocari. De hac enim loquitur: quia scilicet propria est Electorum, de quibus solis in toto hoc capite sermo est: & de qua Rom. 8. Non autem de communi illa, de qua Christus: *Multi vocati, pauci electi.*

Utitur autem voce, quae sua prima significatione significat sortem, ut ostendat excludi merita. Quae enim sorte obveniunt, ex industria humana certè non contingunt. Sive ergo legamus: In quo consequuti sumus haereditatem, sive: vocati sumus ad hanc sortem & communionem gratiae & haereditatis, docet Apostolus, utrumque fieri gratis: quia per Christum, & item sorte.

Sed quia, quae sorte contingunt, fortuitò contingere putantur, & (ut Chrysostomus ait) *sors incerti est eventus*: idcircò, ne crederemus hoc de nostra quoque vocatione ad hanc haereditatem, subjecit alterum membrum, dicendo, *Praedestinati* nimirum *ad hanc,* &c.

Si

Si praedestinati fuimus etiam ad vocationem in possessionem haereditatis coelestis: Non igitur ex operibus nostris contingit. Atque ut magis confirmet hanc doctrinam, subdit:

Secundum propositum ejus, qui omnia in omnibus efficit, id est, Dei; ἐνεργεῖν est efficaciter operari.

A duobus attributis Deum describit, ab omnipotentia qua operatur omnia: et à libera, sed sapientissima, eàque justissima voluntate, juxta quam omnia operatur, quae operatur. Quorsum haec descriptio? Plurimum ad rem, de qua loquitur, facit. Habet enim duplex argumentum ad doctrinam Apostoli confirmandam. *Primum* est hoc: Deus operatur omnia nempe bona: Ergò quod etiam vocati simus ad hanc sortem & consortium haereditatis divinae, à Deo est, non ex nobis. *Alterum:* Quae Deus operatur, operatur juxta consilium voluntatis suae, id est, liberè quidem: quia ex voluntate, sed tamen etiam sapienter & justè, quia ex consilio voluntatis: quasi dicat pro sapientissima justissimâque voluntate sua. Ergo quòd in hanc sortem asciti simus, seu quòd ad participationem hujus haereditatis vocati simus, id est ex sapientissima liberàque Dei voluntate. Quare non dispensatur, seu (ut loqui solet Augustinus) *non datur gratia secundum debita, sed secundùm gratiam.*

Ita hîc duo corruunt: merita & vires liberi arbitrii ad bonum sine gratia.

Quaestio: An omnia Deus operetur.

Quaerunt nonnulli, propter illa verba, *Qui efficit omnia*, an Deus operetur omnia, etiam mala? Respondeo, *Primum*, Apostolus propriè hîc non loquitur de malis operibus, hoc est, de peccatis, sed de bonis, & ad Electorum salutem pertinentibus: ut liquet ex praecedentibus & subsequentibus. Et sic *Jes.* 26. *v.* 12. dispones nobis pacem: quia omnia opera nostra operatus es nobis. *Secundo*, verba Apostoli non debent, nec jure possunt, disjungi, ita ut disjunctio pariat errorem aliquem pugnantem cum aliis sacris literis. Atqui Apostoli verba ita habent, *Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suae.* Si quid ergo fiat, quod non possis probare fieri secundum consilium voluntatis divinae, illud etiam dicere non poteris fieri a Deo. Peccatum autem Deo probari, ejusque voluntati placere, nunquam legis in sacris literis. *Tertio*, sed ut de operibus etiam malis aliquid dicamus: in ipsis duo sunt, actio & actionis malitia, seu actionis irrectitudo, & declinatio à rectitudine voluntatis Dei in lege revelatae. Est enim peccatum ἀνομία *1. Johan 3.* Omnis actio, ut actio, bona est. Et hac ratione dicimus, *Deum operari omnia, quia in ipso* (ut loquitur, Actor. 17. Apostolus) *vivimus, morimur & sumus.* Actionis irrectitudo à Deo esse nullo modo potest: quia est canon omnis rectitudinis. Ergo peccatum, quatenus peccatum est, Deus non operatur. Si igitur verba Apostoli generaliter de omnibus operibus, quatenus sunt opera, interpretentur: argumentum est à minori ad majus. Deus operatur omnia etiam in vilissimis creaturis, idque pro consilio voluntatis suae. Ergò multò magis opera ad salutem aeternam pertinentia. Ac de quaestiuncula hac satis.

Observandum verò, *licet Deus omnia bona in nobis efficiat*, nos tamen non

esse

esse truncos, Philip. 2. Operatur in nobis velle & perficere: sed ita ut velimus & faciamus.

Observandum etiam, ut initio dixi, quam prudenter locutus sit Spiritus Sanctus per Apostolum, & cum scopo Epistolae congruenter. Singulis enim verbis concluditur, in negotio salutis aeternae nihil cum Christo gratiàque Dei esse miscendum: cum tota salus sit gratuita. Quomodo hoc concludit Apostolus? Per Christum (scilicet solum) asciti sumus ad hanc sortem, partémque haereditatis coelestis. Item sors est nostra haec vocatio ad hanc haereditatem: non humana tamen sors, sed divina, in qua nihil planè esse potest nostrae industriae. Ideò tertio loco, sumus ad hanc praedestinati. Quartò, Et quidem secundum propositum ipsius. Quinto, & cujusnam ipsius? Ejus qui omnia operatur. Et sexto, *qui operatur omnia, quae operatur, ex consilio voluntatis suae.* Ergo vocatio nostra ad participationem salutis haereditatisque aeternae tota gratuita est, & ex gratia Dei, non ex meritis nostris. Quare ab hac discedendum non est, sed incrementum potius in ea faciendum.

Sunt omnia in hoc versu perspicua, quocumque sensu illud verbum ἐκληρώθημεν accipies, ut supra explicatum est. Habemus autem causam efficientem salutis duplicem: *Deum praedestinantem, vocantem, operantem in nobis omnia bona. Et Christum, omnia nobis promerentem, per quem omnia efficit Pater.*

Causa finalis nostrae salutis.

Sequitur causa finalis, cur homines e tam misero statu vocentur ad talem sortem, ut fiant participes tantae gratiae, & haereditatis coelestis.

Ut simus (inquit) *nos in laudem gloriae ipsius, qui priores speravimus in Christo, v.* 12.

Apostolum de se aliisque electis ex Judaismo loqui, dubium non est; tùm quia ait, *Nos qui priores speravimus in Christo;* tum propter ea quae sequuntur, ubi ait, *In quo & vos* (scilicet o Gentiles, &c). Caeterùm ad finem quod attinet electionis & vocationis in hanc sortem, & ad participationem hujus haeredidatis: ille omnium, tam Gentilium quam Judaeorum, est communis.

Est quidem duplex finis Electionis vocationisque nostrae, nempe proximus atque immediatus, salus nostra, & ultimus eòque primus ac principalis, gloria Dei; sed hîc non adfert nisi ultimum ac principalem. Ratio, quia ille prior judicatur nomine τοῦ κληροῦ, id est haereditatis, ad quam vocamur per Christum.

Sunt autem duo membra hujus versus: Primo docetur, quis sit finis ultimus & praecipuus vocationis nostrae ad participationem gratiae & haereditatis coelestis. Altero, quinam priores ad hanc sunt vocati. De fine ait, *Ut simus in laudem gloriae ipsius:* Intellige, passivè, & activè.

Passivè, hoc sensu: quia gloria & magnificentia immensa Dei in hoc apparet & illustrissima fit, quod nos vilissimas creaturas, imo peccatis obrutos, & rebelles hostèsque ipsius, pro sua tamen immensa bonitate, non solùm condonatis peccatis, ìdque per sanguinem filii sui, sibi reconciliat: verùm etiam hac gratia dignatur, *ut suos faciat filios, ut suo Spiritu donet, regeneret, justos sanctòsque efficiat, coelesti, sapientia, prudentia, fortitudine, modestia, caritate aliis-*

aliisque immensis donis exornet, quibus illustres nos reddat coram Angelis, imò etiam in hoc mundo, & denique haeredes regni coelestis efficiat. Quò pertinet quod Paulus noster dicit infrà *cap. 5.* Eratis aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino. Et infra c. 2. ostendit Ephesiis e quàm misero statu, & ad quam felicem & gloriosum vocati sint. *Haec est gloria Dei.*

Magnae gloriae & laudi sibi ducit aliquis princeps, si in sua aula ac principatu habeat fortissimos duces, sapientissimos consiliarios, doctissimos viros, ditissimòsque nobiles, etiamsi ipse eos non fecerit tales: quantò major est Dei gloria, quòd nos tales efficiat, quales antè diximus, & in nobis velit glorificari: quos tamen poterat pro justissimo suo judicio perdere. Ergò ut appareat *gloria gratiae ipsius,* omnibúsque & Angelis & hominibus illustris fiat, nos homines despicabiles ad tantam evexit dignitatem, nempe *ut simus filii Dei, facti haeredes regni coelestis,* & ut Paulus etiam loquitur, *haeredes mundi.* Hoc modo *sumus in laudem gloriae Dei,* passívè.

Activè etiam, si nos sancta vita, bonis operibus, lingua quoque & animo, immensam ejus φιλανθρωπίαν ditissimámque erga nos gratiam praedicemus. Vult enim non solum in nobis, sed etiam a nobis glorificari. Huc pertinet quod ait Christus, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.* Matth. 5. Nunc tenemus, quomodo *Deus velit nos esse in laudem gloriae ipsius:* & quis sit ultimus finis nostrae ad Christum & per Christum in sortem hanc vocationis. Est enim hic finis omnium qui ita vocantur, tam gentilium quàm Judaeorum, communis. Interim Apostolus hoc inprimis ad Judaeos pertinere docet: quia etiam priores sperarunt in futurum Messiam. Ait ergo speciatim de suis: *Ut simus in laudem gloriae ejus.* Quinam? *Nos* (inquit) *qui priores speravimus in Christo,* id est, in Messia. Illud προηλπικότες potest habere comparationem ad Gentes, & ad Messiae adventum: ad Gentes hoc sensu: qui priores Gentibus speravimus in Christo: ideò priores etiam vocati & asciti fuimus in hanc sortem, ut nos etiam priores *essemus in laudem gloriae ipsius.* Illa igitur particula προηλπικότες declarat non excludi Gentiles: sed tantùm praerogativam hanc & dignitatem concessam fuisse Judaeis, ut ipsi priores sperarent in Christo, nempe venturo (spes enim futura respicit) & ita priores etiam essent *in laudem gloriae divinae.*

In hunc finem ipsis factae sunt promissiones, concredita sunt eloquia Dei, institutus cultus, & tandem missus Christus. De qua praerogativa passim sacrae literae loquuntur. Et Paulus, praesertim ad Rom. cap. 3 & cap. 9. Et cap. 1. ait, *Evangelium esse virtutem Dei in salutem credenti, Judaeo primùm, deinde etiam Graeco.*

Posset tamen illa vox προηλπικότες, ita verti, *Nos, qui antè speravimus in Christo,* (nempe futuro, quam scilicet in eum praesentem credidimus:) *Sic priùs speravimus in futuro, quàm in hanc praesentem sortem asciti fuimus.*

Certum est illam exspectationem, quae ex fide erga promissiones oriebatur, illam inquam exspectationem, qua exspectabant fideles futurum Messiam, vocari ab Apostolo spem Israelis: ut liquet Actor. 28. 20. Propter spem Israelis vinctus sum hac catena. Et c. 26. Ob spem promissionis factae patribus sto in judicium vocatus.

Ut

Utut verò legamus, manifestum est hîc doceri, Judaeos priùs in sortem regni Dei coelestísque haereditatis vocatos fuisse quam Gentiles, de quibus post dicet: atque hîc indicari praerogativam Judaeorum in regno Dei.

1. *At quomodo Paulus sese connumerat inter eos, qui in Christo venturo sperabant, cùm eum praesentem persecutus sit?* Respondeo, sperabat & ipse in venturo Christo, sed praesentem non agnovit eum esse Christum, in quo sperabat. Fatetur hoc ipse, 1. Timoth. 1. Imò ideo hunc prosequebatur praesentem, quia putabat Jesum falso sibi usurpasse nomen veri Christi, in quo sperabat. Ita nulla est contradictio in dictis Pauli.

2. *At videtur aliquid dare operibus suis, tanquam iis propter quae vocati sint Judaei in hanc sortem, ut haereditatem possiderent coeli, quia ait: Ideo nos fuimus asciti in hanc sortem, quia priores speravimus in Christo.* Respondeo, Nil dat: sed tantùm praedicat gratiam, qua prae gentibus affecti sunt Judaei; quasi dicat: sicut Deus praestitit nobis hanc gratiam, ut priores speraremus in Christo venturo, quam alii: sic etiam priores ascivit in hanc sortem, ut scilicet in praesentem credamus, & fiamus haeredes coelestis haereditatis, quàm Gentes. Confert igitur gratiam cum gratia; non autem praedicat ullum meritum, propter quod detur gratia.

13. *In quo* (id est, per quem Christum) *& vos (scilicet* ἐκληρώθητε, sicut et nos ἐκληρώθημεν), *postquam audivistis sermonem veritatis, Evangelium salutis vestrae: In quo etiam, postquam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto.*

Explicatio.

Postquam docuit, gratiam Dei salutémque, quae in Christo est, dispensari Electis ex Judaismo primùm, quibus etiam Deus praestiterat hanc gratiam, ut priores caeteris gentibus agnoscerent futurum Messiam, in eóque sperarent: nunc transit ad Electos ex Gentibus, & in summa docet, ad ejusdem gratiae & haereditatis coelestis in Christo participationem vocari Gentes, ad quam vocati fuerunt etiam Judaei: hoc tantum excepto, quòd juxta quandam temporis dispensationem posterius vocantur Gentes, cùm priùs vocati fuerint Israëlitae.

Imò aliquid amplius de Gentibus dicit, quod tacuit de Judaeis: nempè quod *obsignati sint Spiritu promissionis sancto.* Quanquam enim neque Judaei expertes fuerint hujus beneficii, non sine causa tamen tacuit hoc, cùm loqueretur de se aliisque Judaeis: & expressit, cùm sermo fuit de Gentibus. Ad confirmandos illos in fide retinendaque doctrina jam recepta hoc adjecit.

Quatuor porrò sunt membra hujus versus. *Primùm*, continet vocationem Gentium ad Christum: perinde Electos ex Gentibus vocari ad communionem participationèmque opulentae gratiae in Christo salutisque aeternae & coelestis haereditatis: atque etiam vocati fuerunt electi ex Judaeis. *In quo* (inquit Christo) *& vos scilicet* ἐκληρώθητε.

Secundùm, continet medium, quo vocamur, & recipimus gratiam; praedicatione Evangelii, & auditu nostro.

Tertiò, describitur aliud beneficium, nempe *donum Spiritus sancti: quo obsignamur, & obsignantur in nobis promissiones de aeterna haereditate per & propter Christum. In quo* (inquit Christo) *etiam obsignati estis Spiritu.*

Quartò, explicatur, quando contingat haec obsignatio: non ante fidem, sed postquam donati sumus vera fide, & credidimus Evangelio. *Postquam* (inquit) *credidistis* &c. Ita efficacitas dispensationis gratiae significatur; ait ergo, *In quo & vos, &c.*

1. Certum est, hîc verbum aliquod subintelligendum esse ex iis quae praecesserunt in praecedentibus versibus.

Omnes subintelligunt proximum, nempe, in quo priores speravimus: Et ita legunt, *In quo & vos speratis.* Ac nomine *spei* intelligunt fidem.

Sed cùm Apostoli locus sit de spe, qua Judaei ante Christi adventum in eo venturo sperabant: quomodo eadem spes attribui gentibus potest? nisi dicas aequivocè accipi, & alio sensu attribui hoc verbum Gentibus, quam praedicatum fuerit de Israelitis. Deinde illud, *Speravimus*, non est verbum principale in illa oratione Apostoli, sed illud, ἐν ᾧ ἐκληρώθημεν. Ergo ἀπὸ τοῦ κοινοῦ idem verbum est hîc subintelligendum, praesertim cùm sensus Apostoli sit manifestus, nimirum ad ejusdem gratiae participationem vocari etiam Gentes, ad cujus sortem & consortium vocati fuerunt etiam Judaei. Omninò igitur sic legendum est, In quo (Christo) καὶ ὑμεῖς ἐκληρώθητε.

Quia hoc explicatum fuit suprà, ideò non immorabor. Hoc tantùm observandum, quod ait, *In quo & vos*, nempe perinde atque nos, asciti estis in hanc sortem & haereditatis participationem: Ergo ad salutem quod attinet, ea ex aequo omnibus Electis, sive Gentibus sive Judaeis, communicatur. Et in Christo non est Judaeus neque Graecus: non est Scytha neque Barbarus: denique nulla est apud Deum acceptio personarum.

2. Venio igitur ad secundum Membrum.

De vocationis medio.

Et vos (inquit) ἐκληρώθητε: *Postquam audivistis sermonem veritatis, Evangelium* (nimirum) *salutis vestrae.*

Cùm ait, audivistis, intellige non auribus tantùm corporis, sed etiam mentis, hominique interioris, sicut Christus à nobis requirit, cùm dicit, *Matth.* 13. Qui habet aures (mentis scilicet) ad audiendum, audiat. Ille enim prior auditus communis est omnibus, etiam reprobis: at iste proprius est Electorum, & à Spiritu sancto est. *Quia animalis homo non percipit quae sunt Dei, spiritualis autem judicat omnia.* 1. Cor. 2.14.

2. Et ille prior solus tantus talisve non est, ut propterea possit quis in hanc sortem, de qua loquitur, asciscі, seu in communionem coelestis haereditatis admitti: nisi accedat & interioris hominis auditus. Cùm igitùr dicat Ephesios, *audito Evangelio*, admissos fuisse in hanc sortem: Efficitur, illos non auribus tantùm corporis, sed etiam animi illud audivisse, id est, intellexisse, approbasse, admisisse, & in suas mentes recepisse. Cùm verò hoc non fiat, nisi opera Spiritus sancti qui intus animis nostris persuadet, quod foris proponitur

&

& praedicatur: manifestè Apostolus hîc docet, duplex esse medium, quo Christus Electos suos efficaciter ad se vocat, suàmque gratiam & salutem dispensat. Externum unum, nempe Evangelii praedicationem, internum alterum, operam scilicet Spiritus sancti. Interim ordinariè auditus exterior praecedit interiorem: Et exterior praedicatio interiorem persuasionem. Apostolus enim ait ad *Rom.* 10. Fidem esse ex auditu, auditum autem per verbum Dei, id est, Christi, nempe praedicantis. Quo modo enim (inquit) audient sine praedicante?

Ordinariè igitur *thesaurus opulentae gratiae & salutis, quae est in Christo,* non dispensatur absque Evangelii praedicatione: qua de causa hîc etiam vocatur Evangelium salutis, quia per hoc salus dispensatur credentibus. Et eandem ob causam ipsi quoque Evangelii praedicatores ac ministri dispensatores (salutis nimirum & coelestium thesaurorum) appellantur: ut habemus saepè in sacris literis, praesertim apud Paulum, 1. *Corinth* 4. *vers.* 9. Vae mihi si non evangelizavero. Dispensatio enim mihi concredita est. Sic Ephes. 3.

Item 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei; id est, mysticorum & spiritualium thesaurorum. Quare ut quis particeps fiat salutis, quam Christus dispensat per Evangelium, Evangelium ipsum audiat necesse est.

Sed hoc non sufficere, nisi accedat opera Spiritus sancti corda ad intelligendum & credendum aperientis, manifestum est: *quia animalis homo non potest percipere quae sunt Dei, Spiritualiter enim dijudicantur.* Proinde Christus aperuit Apostolis mentes, ut intelligerent scripturas, communicato illis suo Spiritu. Et in *Actis* 16. Paulus praedicabat, Lydia audiebat, Spiritus sanctus aperiebat illi cor, ad intelligendum & credendum ea, quae dicebantur à Paulo. Hîc conjuncta videmus tria, Evangelii praedicationem, auditum Lydiae, & apertionem cordis per Spiritum sanctum. Ergo ad efficacem gratiae & salutis dispensationem requiritur Evangelii praedicatio, auditus noster, opera Spiritus sancti corda aperientis. Nunc tenemus modum, quo Christus suam dispensat gratiam ac salutem, nòsque in sortem & participationem coelestis haereditatis asciscit & admittit.

Evangelii Epitheta.

Observanda verò sunt duo ἐπιθέτα, quae dat Evangelio: Primùm vocat *sermonem veritatis.* Secundo *Evangelium salutis nostrae.*

De primo, aiunt omnes ferè interpretes esse Hebraismum, ut sermo veritatis pro sermo verus appelletur.

Sed ampliùs aliquid significare voluit Apostolus: praesertim cùm habeat articulum, τῆς ἀληθείας, illius veritatis. Nam etiam lex erat vera: sed nunquam hoc titulo (quod sciam) ornata fuit, quod sit sermo τῆς ἀληθείας: quemadmodum frequentissimè sic appellatur Evangelium, ut Coloss. 1. 2. Timoth. 2. Jacob. 1. Et alibi. Credo Apostolum hoc nomine ornasse Evangelium, ut significaret in eo contineri & illo praedicari excellentem quandam veritatem, *in qua salus mundi posita sit*: quae cum diu latuerit in pectore Dei, tandem post adventum

filii

filii Dei patefacta sit, non tam verbis, quam reipsa. Quaenam haec est veritas? illa de qua Christus *Johan.* 8. Si vos permanseritis in sermone meo, cognoscetis veritatem: Et veritas liberabit vos. Et ad Pilatum, *Joh.* 18. Ego ad hoc natus sum, & in hunc mundum veni, ut testimonium perhibeam veritatis. Ad summam, veritas haec est illud aeternum certùmque & firmum propositum Dei, quo constituerat non Judaeos solùm, sed etiam Gentiles, non per legem & opera, sed per filium suum crucifixum, *sola fide apprehensum, servare omnique spirituali servitute liberare;* quae quidem res summa videtur stultitia in oculis mundi, sed summa est per se sapientia, & ipsissima veritas in oculis Domini.

Est ergò Evangelium sermo veritatis, non solùm quia verum est, nullum continens mendacium: sed ob id maximè, quod illam aeternam salvificámque veritatem annunciat, nempe quod Deus absque operibus legis, per solum Christum sola fide apprehensum, servet, servaréque jam inde ab aeterno decrevit. Et hoc maximè facit ad propositum Apostoli in hac Epistola adversus Pseudoapostolos. Hanc puto veram esse causam, cur vocarit sermonem veritatis.

Fieri etiam potest, ut voluerit ἀντιθέσιν facere inter legem & Evangelium. Legem continuisse & praedicasse umbras & typos salutis nostrae: sed Evangelium annunciare & adferre ipsam rerum praefiguratarum veritatem.

Hinc verò colligimus, etiamsi valde sero perlata sit haec Evangelii doctrina in mundum, & ignota fuerit Patribus nostris, id est, Gentilibus atque adeo etiam Judaeis plerisque omnibus: non tamen consequi non igitur esse veram. Apostolus enim vocat Evangelium *sermonem veritatis.* Si sermo est veritatis, ergò pro re certissima amplectendus est, utut nova videatur doctrina.

Si est sermo veritatis, falsum igitur est quod cùm hac pugnat doctrina. Et falluntur miseri, qui extra Evangelium quaerunt veram de religione doctrinam: cùm nulla sit.

Si denique sermo est veritatis, igitur in eo persistendum & incrementum faciendum est. Haec enim veritas summatim, & ut uno verbo dicam, est Christus: qui dixit, *Ego sum veritas.*

2. Alterum ἐπίθετον est, quod sit *Evangelium salutis*, non simpliciter, sed *nostrae.*

Primò, de salute aeterna & spirituali, eàque gratuita, per solum Christum loquitur Apostolus, cùm ait, Evangelium esse Evangelium salutis, nempe verae salutis. *Haec autem salus est à peccato, morte, satana, eàque aeterna & gratuita.* Neque enim aliam adfert Evangelium.

Secundo, Ideò verò Evangelium salutis vocatur tunc à materia, quia salutem hanc annunciat. Unde & Evangelium vocatur, id est, bonum nuntium: tum à causa efficiente, quia instrumentum est salutis, id est, quo utitur Deus ad salutem dispensandam, ut antè dictum est. Quò pertinet illud. *Rom.* 1. Evangelium δύναμις. Dei est in salutem omni credenti. Quibus duobus respectibus opponitur hoc Evangelium legi. Illa enim, etsi salutem spiritualem & aeternam promittat & annuntiet, non tamen gratuitam: sed si legem illam totam & perfectè servaveris. Quòd cùm fieri à nemine queat: sequitur alterum, nimirum illam non esse ministram mortis, & aeternae damnationis instrumentum: per accidens tamen, id est, nostro vitio & culpa, ut *Rom.* 7.

At

At Evangelium gratuitam salutem annunciat, propter solum Christum, omni credenti: utut exigua vel magna, perfecta vel imperfecta sit fides: modo vera sit & viva: Facit igitur etiam hoc ἐπίθετον ad scopum Apostoli.

Tertiò, non simpliciter dixit, Evangelium esse *Evangelium salutis:* sed *vestrae*, id est, Ephesiorum quoque, & ex consequenti aliarum Gentium. Hac appendice duo significavit Apostolus: *Primùm*, Evangelium non annunciare salutem solis Judaeis, sicut lex non promittebat eam nisi Judaeis, quibus solis fuit data, sed etiam Gentibus salutem annunciari per Evangelium docet Apostolus. Christus enim est servator totius mundi, & non unius tantum Gentis. *Deinde* significat Apostolus, Ephesios jam salvos factos esse, non propter legem, sed per fidem Evangelio praestitam. Est enim δύναμις *in salutem omni credenti, primum quidem Judaeo, sed deinde etiam Graeco.*

Est igitur Evangelium salutis vestrae, quia credidistis, & credendo salutem consequuti estis: etiamsi opera legis non praestitistis. Ita hac etiam particula docet ad salutem non esse necessariam legem: quia solum Evangelium salutis nostrae, nempe jam acquisitae per solam fidem.

Observandum igitur extra Evangelium nullam reperiri posse de religione doctrinam, aut veram, aut salutarem, seu salvificam. Solum enim Evangelium hoc titulo dignum est, quod sit *& sermo veritatis, & Evangelium salutis nostrae.*

Si verò ita se res habet, certum est, quicunque vera fide retinent Evangelium, & juxta illius sermonem instituunt tùm fidem cultùmque divinum, tum vitam: eos neque errare aut haereticos esse, neque perire posse, seu in statu (ut loquuntur Sophistae) non esse damnationis, etiamsi communionem non habeant cum magnis Regibus, principibus, &c.

Imò ideò hos versari in tenebris, & in statu damnationis, quia non contenti Evangelio, alibi quaerunt veram de religione doctrinam, & salutem. Ita habemus explicationem secundi membri, vers 13.

De Tertio & Quarto.

In quo etiam obsignati estis Spiritu promissionis sancto.

Aliud beneficium proponit, quod consequimur à Christo, & per Christum, imò, ut loquitur Apostolus, in Christo, tanquam scilicet capite. Nempe quod *obsignamur Spiritu promissionis sancto.*

Sed quando? Postquam credidimus Evangelio jam audito. Dixit enim antea de auditu Evangelii, nunc subjicit fidem, quia fides ex auditu est.

Quatuor ergo his paucis verbis manifestè docet Apostolus de hac obsignatione.

De obsignatione.

Primùm. Nos obsignari: nempe, sicut diplomata & literae, quae sigillo obsignantur. Hoc enim significat verbo ἐσφραγίσθητε.

Secundo, quónam sigillo? Sigillo Spiritus sancti, qui dicitur *Spiritus promissionis.*

Tertiò,

Tertiò, in quónam obsignemur? *in Christo, in quo* (inquit) *Christo obsignati estis.*

Quartò, quando? postquam scilicet credidimus Evangelio, eóque in Christum.

A quo obsignemur hîc non exprimit manifestè, sed subintelligitur à Patre Deo: cui, tanquam principali agenti, hactenus omnes nostrae salutis actiones attribuit: & confirmat alibi Apostolus. Nam. 2. Cor. 1. de eadem obsignatione loquens ait, *Porrò qui confirmat nos unà vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est.* Deus igitur obsignat in *Christo* sigillo sui Spiritus.

Causa finalis hujus obsignationis est certitudo salutis nostrae. Haec partim indicatur in hoc versu 13., partim in versu sequenti 14. exprimitur.

Ut haec omnia simul rectè intelligantur, primùm expedienda est quaestiuncula, quae oritur ex quarto postremóque membro de tempore, quo obsignamur: ait enim, nos obsignari, postquam credidimus Evangelio: quasi dicat non citiùs, nec antè, sed post fidem in Christum. Constat autem neminem posse credere Evangelio, et in Christum, nisi Spiritus sanctus in ipso excitet fidem, aperiendo illi cor ad intelligendum & credendum, ut antè ostensum est. In quibus verò hoc efficit Spiritus, in eis jam est spiritus efficax. Qui enim credit, jam Christo insitus est, & Spiritum Christi habet. *Nam qui non habet spiritum Christi, hic non est ejus*, ait Apostolus. Rom. 8.

Quomodo igitur ait, postquam credidimus, tùm demum nos accipere Spiritum sanctum à quo obsignemur?

Respondeo. Quidam distinguunt inter donum fidei, & dona alia Spiritus sancti. De quibus 1. Cor. 12. Et in Actis, & apud Evangelistas, quae consequebatur credentes: *ut loqui linguis, edere miracula, & alia id genus.* Certum est, inquiunt, qui credit, illum credere ex gratia & operatione Spiritus sancti jam in ipso habitantis. At licet quis credat, nondum tamen accepit haec alia dona, quibus confirmabatur fides, & obsignabantur fideles. Haec enim fidem subsequebantur. Ita putant solutam esse quaestionem hac donorum Spiritus sancti distinctione.

Sed nullo modo credo Apostolum hîc loqui de hoc genere obsignationis externae, quae fiebat visibilibus hisce donis Spiritus sancti. Neque enim omnibus communicabantur, neque nunc etiam communicantur: sed de tali obsignatione, interna scilicet & spirituali, loquitur, qua omnes veri fideles obsignantur. Aliter ergo respondent alii, & bene: Duplex opus esse Spiritus sancti in donanda fide. Unum consistit in illuminatione mentis, quod est principium fidei, seu fides inchoata: Alterum in confirmatione, qua ita fixa & stabilis fit fides, ut omnem pellat dubitationem. Et de hac loqui hîc Apostolum, cùm ait, *nos obsignatos esse postquam credidimus.*

Quid enim absurdi est, quod inchoatam à Spiritu sancto fidem subsequatur confirmatio per eundem Spiritum? Et certè de duabus diversis rebus loquitur, cum ait, *nos credidisse, & post obsignatos esse Spiritu promissionis sancto.* Hoc ego accommodato simili explico. Neque enim res est de nihilo, quòd Apostolus ait, *obsignati estis, postquam credidistis.* Literae & diplomata & contractus nunquam solent obsignari & sigillo confirmari, nisi posteaquam fuerunt conscripta. Et meritò. In quem enim finem obsignantur, & illis appenditur sigillum? ut

ut nimirum confirmentur, quae ibi conscripta jam sunt. Et sic Christus docuit in negotio religionis: Primò, praedicate: Secundò, credentes baptizate. Idem fit igitur in hoc interno negotio salutis nostrae. Prius scribuntur in animis nostris promissiones divinae, digito certè Spiritus sancti, ut docet scriptura: hoc fit, cùm fide à Spiritu sancto donati *illas admittimus, credimus, ex animo assentimur.* Tum enim quodammodo sinimus eas inscribi à Spiritu sancto in animis nostris. De hac inscriptione ait per *Jerem. c.* 31. Dabo legem meam in medio eorum, & in cordibus eorum inscribam eam. Ideo & Apostolus Corinthios, posteaquam Evangelium amplexi sunt fide, & illud in cordibus scriptum habuerunt, appellavit Epistolam suam. 2. Cor. 3. Scripta Epistola, quid aliud restat, quam ut obsignetur sigillo ejus à quo fuit conscripta? Hoc igitur est, quod ait Apostolus, *Obsignati estis, postquam credidistis:* quasi dicat, postquam recepto per fidem Evangelio salutis vestrae, facti estis Epistola Spiritus sancti: tum demum ab eodem Spiritu, Epistolae hujus autore, obsignati fuistis. En igitur duas illas diversas ejusdem Spiritus sancti actiones in Electis: prior est, qua scribit Evangelium in cordibus nostris, id quod fit, cùm illud, donata fide, persuadet animis nostris divina luce illustratis: posterior est, qua Epistolam ipsam, id est, nos obsignat, majoris confirmationis gratia.

De obsignatione quaestiones.

Quid verò sit ista obsignatio, quídve hoc nomine significetur, paulò post dicam. Explicata igitur quaestione, nunc breviter singula ista sex capita, vel potius septem, percurramus: nempe:

Primò, *quis obsignet.*

Secundò, *qui obsignentur.*

Tertiò, *quando obsignemur.*

Quartò, *quónam sigillo obsignemur: Ac proinde quali obsignatione.*

Quintò, *in quo obsignemur.*

Sextò, *in quem finem obsignemur.*

Septimò, *quid sit haec obsignatio.*

Etsi enim ratio docendi videatur postulare, ut priori loco quid sit haec obsignatio, definiatur: quia tamen haec intelligi rectè non potest, nisi prioribus capitibus explicatis: idcirco ad extremum breviter explicandum suscepi, quid sit haec obsignatio, seu quid ea voce significetur ab Apostolo.

1. *Primum, quis obsignet,* facilè expeditur: Deus, 2. Corinth. 1. *Qui nos* (inquit) *una vobiscum obsignat* (est enim ibi idem verbum) *in Christum, Deus est.* Et in hoc capite perpetuo actiones nostrae salutis, initio facta ab Electione, attribuit Deo Patri, tanquam principali agenti: qui in Christo omnia agit, & per suum Spiritum in nobis operatur. Et in hoc versu atque sequenti distinguitur obsignans à Christo, in quo obsignamur, & à Spiritu sancto, quo tanquam sigillo obsignamur. Et tamen certum est, has actiones communes esse *Patri, Filio, & Spiritui sancto :* juxta regulam, Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Observemus igitur hîc causam, cur, cùm haec opera sint communia, ita tamen distribuantur, *ut unum detur Patri, alterum Filio, tertium Spiritui sancto.*

Pater

Pater est qui obsignat, Christus est, in quo obsignamur; Spiritus sigillum est, quo obsignamur: cùm tamen non minus obsignet Filius & Spiritus sanctus quàm Pater: & alibi, *Gratia Domini nostri Jesu Christi, caritas Dei,* id est Patris, *& communicatio Spiritus sancti sit vobiscum.* 2. *Cor.* 13.

Causa igitur est, ut distinctio personarum inculcetur: quanquam una omnium sit οὐσία. Haec regula retineatur.

2. *Quinam obsignantur?* Electi tantùm, sive Judaei sive Gentiles, ii soli obsignantur, nempe hoc obsignationis genere, de quo hîc loquitur Apostolus. De iis enim loquebatur per *Jerem.* c. 31. Scribam legem meam in cordibus eorum, &c. Et de iis perpetuò locutus est in hoc capite Apostolus.

Hi soli habent notam, qua cognoscantur à Christo.

Cognosco oves meas, Johan. 10. Firmum stat fundamentum habens signaculum hoc τὴν σφραγίδα ταυτήν: novit Dominus qui sint sui. 2. Tim. 2. Hi soli habent signum *Tau*, ut est apud Ezechielem, & signaculum in frontibus suis, ut est in Apocalypsi. Reprobi carent hoc signo; neque enim à nobis obsignantur, quae rejicimus, sed quae eligimus. Sic faciunt etiam mercatores in mercibus emendis. Sic Imperatores, quos elegerunt milites, illos notant & signant. Soli igitur electi obsignantur hoc obsignationis genere, de quo loquimur. Nam externo, qualia sunt Sacramenta, etiam multi hypocritae reprobi obsignantur.

3. *Sed quando obsignantur Electi hac obsignatione? Postquam* (inquit) *credidistis:* quasi dicat, postquam facti estis Epistola Spiritus sancti, recepto per fidem in cordibus vestris Evangelio, adjectum fuit sigillum, & obsignati fuistis. Docet haec particula, etiamsi quis sit ex numero Electorum, non priùs tamen hoc obsignationis genere obsignari, quàm fide amplexus sit Evangelium.

Loquor in genere atque ordinarie & de adultis. Nam infantes etiam electi obsignantur, quanquam nondum actuali fide praediti sint. Habent enim Spiritum fidei, Spiritum sanctificantem & regenerantem. In adultis non fit obsignatio, nisi postquam crediderunt, ut docet Apostolus.

4. *Sed quónam sigillo fit haec obsignatio?* ait, *Spiritu promissionis sancto.*

Hoc differentiae causa adjecit. Quoniam duplex est genus sigillorum Dei in Ecclesia.

Unum externum: haec sunt Sacramenta. Quicunque enim profitetur se credere in Christum, & amplecti Evangelium, etiamsi revera non credat, attàmen obsignari solet, & debet. Alterum est internum, Spiritus sanctus, de quo hîc Apostolus.

Ut igitur significet se loqui non de communi etiam cum hypocritis obsignatione, hoc est, de Baptismo in aqua, sed de propria Electorum, dixit: *Spiritu promissionis.* Quanquam Baptismum non excludit.

Cur ita vocatur *Spiritus promissionis?* quidam volunt: quia per hunc confirmantur promissiones in fidelibus: quasi dicat, *Spiritus est promissionis*, id est, jam obsignatae & confirmatae promissionis aeternae.

Alii, quià promissus fidelibus: *Joel* 2. Effundam de Spiritu meo, &c. Sed utrumque conjungo.

5. *In quo obsignamur?* in Christo, tanquam membra in capite. De Christo enim hîc perpetuò loquitur, tanquam capite nostro. Ideò toties dixit, *In Christo, in ipso,*

in ipso, in quo, &c. Benedixit nos in Christo, elegit in Christo, praedestinavit in Christo, gratos nos sibi fecit in dilecto illo, scil. Christo: habemus redemptionem in Christo, restaurat omnia in Christo, asciti sumus in hanc sortem in Christo: Et nunc ἐν ᾧ: *in quo, Christo, obsignati estis.*

Duo significat, *Primùm*, non esse expectandam quaerendamve salutem nisi in Christo capite: *extra Christum nemo electus, nemo benedictus, nemo redemtus.* Quicquid enim boni habemus, totum illud habemus à Christo.

Hoc est primum.

Alterum est: ut reapse particeps fias salutis, *& obsigneris Spiritu promissionis sancto*, oportet te fieri membrum Christi, & huic capiti conjungi atque adglutinari. Non enim obsignamur, nisi in Christo, id est, quatenus sumus in Christo capite, illius membra effecti. Omnes nunc electi uniti fuerunt Christo capiti. Primùm in praedestinatione: nexu scilicet decreti divini. Secundò, cum vi spiritus sui sese reapse nobis jungit, & nos sibi copulat.

Haec est vera nostri cum Christo capite unio, tanquam membrorum cum capite.

Proinde Pater, sicut in hoc capite nos sibi elegit, gratósque fecit, redemit, vocat, justificat; sic etiam redemptos justosque sibi obsignat, & pro suis agnoscit. Certè extra Christum nihil pro suo agnoscit Pater.

6. *In quem verò finem obsignat?* Non certè in suum, sed in nostrum commodum. Neque enim Deus obsignat nos sui Spiritus sigillo, sicut mercatores suas merces, ut eas à reliquorum mercibus discernere & agnoscere queant: sed potius sicut Pater, qui tibi in filium adoptato aliquam amplam haereditatem testamento legans, scriptum testimonium suo obsignat sigillo. In quem enim finem hoc ille facit? non sua, sed tua causa: ut nimirum certior fias de haereditate: magísque ac magis in fide confirmeris haereditatem hanc tuam esse, eamque in omni judicio tueri possis. Sic Deus testamentum ipsum in cordibus nostris inscribit, ut ait per Jerem. 31. Deinde, hoc non contentus, suum etiam addit sigillum, quo nostra obsignet corda, in quibus testamentum inscriptum est.

In eundem certè finem addit sigillum, in quem etiam scripsit testamentum. In quem verò finem scribit testamentum? ne dubites, quin te sibi adoptarit in filium, eóque & haeredem fecerit: Ergo & sigillo illud obsignat, ut magis ac magis de seria ejus voluntate certior fias.

Finem hunc indicat Apostolus in hoc versu 13.

Primùm cum ait nos obsignatos esse: obsignantur literae & testamenta: vult igitur ut certò credamus in nostris cordibus inscriptam esse suam ultimam (ut loquuntur) voluntatem: haec autem est, quod sumus facti filii Dei, & ejus haeredes.

Secundò, idem facit: cum sigillum, quo simus obsignati, vocat *Spiritum promissionis:* tùm quia promissus omnibus filiis Dei: tùm quia promissiones confirmat. Cum igitur nostris cordibus hoc addiderit sigillum, vult ne dubitemus, & nos esse filios Dei (non enim datur nisi filiis), & haereditatis promissae, imo testamento legatae, nos tandem plenam habituros possessionem.

Tertio, confirmat idem: cum etiam hoc idem sigillum appellat non simpliciter Spiritum,

Spiritum, aut Spiritum promissionis, sed Spiritum illum sanctum: cur sanctum? non solùm sua essentia ac natura, sed etiam effectu: quia nos re ipsa sanctificat, hoc est, è numero filiorum irae, & terrenorum hominum segregat, Deóque consecrat: hac re testificans, nos non esse de hoc mundo, neque haeredes terrae: sed filios Dei, & haeredes coelestium bonorum, vitaeque aeternae. Ergo, ut in hac fide magis ac magis confirmemur, obsignat nos Deus Pater hoc sigillo. Id quod clarius etiam confirmat vers. 14.

Hoc est quod Paulus alibi scribit, Spiritum hunc testimonium dare spiritui nostro, quòd simus filii Dei. Rom. 8.

Observemus verba haec Apostoli. Si Spiritus Dei reddit testimonium Spiritui nostro, quod simus filii Dei, eóque & haeredes: duo igitur sunt in cordibus nostris, hoc idem affirmantia. Spiritus noster, qui dicit nos esse filios Dei: Et Spiritus Dei, qui ejusdem rei testimonium dat spiritui nostro: id est, qui quod ille dicit, ipse confirmat. En igitur testimonium scriptum in nostris cordibus, & sigillum, quo illud obsignatum est: Et utriusque finem, nostram nimirum certitudinem de adoptione, & de coelesti haereditate.

Verbum Dei, in cordibus nostris inscriptum, loquitur, & docet, quid simus: sigillum additum, id est, *Spiritus Dei*, confirmat, testimonium reddens spiritui nostro, revera nos esse filios Dei, & haeredes coelestis regni. Quorsum verò haec testificatio, & persuasio? Ut hac de re certi mundum contemnamus, & ad coelestia aspiremus. Ergo tota haec Spiritus sancti obsignatio in nostram fit salutem.

7. Sed ut ad septimum veniamus: videndum est, quid nomine hujus obsignationis significetur.

Ex iis quae jam dicta sunt facilius intelligi potest. Quidam putant, nil aliud esse, quam internam fidei confirmationem: quam in nobis operatur Spiritus sanctus, cum nimirum sua interna & arcana ἐνεργείᾳ confirmat promissiones *Spiritus promissionis.* Sed haec fidei confirmatio finis est, ut supra ostendimus, ipsius obsignationis. Ideò enim obsignamur, ut fides in nobis de divinis promissionibus confirmetur.

Alii aiunt esse ipsam Spiritus sancti in nobis praesentiam, éamque efficacem: qua nos excitati clamamus *Abba Pater*. Quod enim est sigillum additum Epistolae, vel testamento conscripto, id esse Spiritum sanctum missum in corda nostra, testamentóque in ipsis conscripto additum. Et huc spectare quod ait Paulus, *Galat.* 4. Quia estis filii Dei, ideò misit Deus Spiritum suum in corda vestra.

Quanquam hoc magis accedit ad rem, non plenè tamen satisfacit. Est enim discrimen inter sigillum, quo aliquid obsignatur, & inter ipsam obsignationem. Est enim unum causa, alterum effectus. Ideò etiam Apostolus discrimen facit, cùm ait, *Obsignati estis,* ecce unum: *Spiritu promissionis sancto*, ecce alterum. Admitto certè ipsam efficacem Spiritus sancti praesentiam in cordibus piorum, imo in toto ipso homine pio, quia etiam corpora nostra templum sunt Spiritus sancti, & inhabitantur à Spiritu Dei: Sed distinguo Spiritum ab ipsa efficacitate, & obsignatione, qua sumus obsignati.

Dicam quod sensio sine aliorum praejudicio: persistendo in simili (quo usus est Apostolus) annuli signatorii seu sigilli. Cum

Cum testamentum, vel Epistolam sigillo obsignamus, quid propriè est illa obsignatio? Est imaginis, quae in sigillo, quatenus sigillum est, essentialis est, actione obsignantis, in ipsa re obsignata impressio: qua & eum, ad quem scribimus, de autore certiorem reddimus. Et quod in Epistola vel testamento continetur magis ac magis confirmamus: ut de rei veritate non dubitetur. Ab hoc simili discedendum non est. In hoc autem simili apertè videmus, quid propriè sit ipsa obsignatio. De autore seu obsignante quis sit, dictum est: item quinam obsignentur: item de sigillo, item de causa finali: omniàque juxta hoc simile à nobis allatum.

Obsignationis definitio explicata.

Ex eodem igitur etiam discamus, quid sit ipsa obsignatio. *Est impressio imaginis Spiritus sancti,* id est, *Dei,* actione divina, in ipsa viri fidelis anima, mente atque corde impressa: major vel minor, prout obsignator vult esse efficax.

Qualis autem est imago Spiritus sancti? quae illi certè essentialis est, & ab essentia non differt.

Est in summa *lux perfectissima, sapientia, justitia, sanctitas, veritas, charitas, bonitas,* & (ut uno verbo dicam) natura Spiritus sancti est naturalis imago hujus sigilli. Sic itaque sentio, obsignationem hanc esse ingenii naturaeque; Spiritus sancti imaginem in animis & cordibus nostris actione Dei expressam, atque impressam; qua denuò similes fimus Deo: *participatione divinae illius lucis, puritatis, sanctitatis, justitiae, bonitatis,* & (ut breviter dicam) dico esse ipsam regenerationem, qua fimus novae creaturae divinaeque naturae (ut loquitur Petrus) participes: cum interno Spiritus sancti testimonio, quòd fimus filii Dei. Haec est obsignatio.

Ut ita sentiam, utque ita definiam hanc obsignationem, his adducor rationibus.

1. Quia similitudo sigilli σφραγῖδος, qua utitur Paulus, hoc docet: ut jam explicatum est. Non enim fit obsignatio, nisi similitudine sigilli, in eo quod obsignatur, impressa.

2. Quia non dubito, quin hìc Apostolus alludat ad Baptismum, quo fuerunt Ephesii, postquam crediderunt, suaeque fidei confesssionem ediderunt, obsignati Christo. In Baptismo autem vero & perfecto duo sunt, externum signum, aqua: et interna res signata, ablutio peccatorum, & regeneratio, qua fimus similes Deo, & imagine veteris hominis deposita (ex pectore nimirum) imaginem Dei induimus.

Paulus non nominavit Baptismum vel signum ipsum, sed rem signatam, nomine obsignationis significando indicavit perfectum illorum Baptismum. Ita hìc, ubi manisfestè loquitur *de dispensatione gratiae Dei, & redemptionis, quam habemus in Christo,* in his, inquam, versibus habemus omnia media, quibus Deus salutem hanc dispensat, *verbum, Sacramenta, & operam Spiritus sancti, corda aperientis, & obsignantis.*

Cùm Spiritus sanctus detur credentibus, & in illis inhabitet, ut hìc etiam docet Apostolus: in nobis certè inefficax esse non potest. Quid igitur efficit? seipsum, id est, suam naturam communicat; non essentialiter, ut quidam docuerunt,

runt, sed effectu, & per similitudinem: non secus atque sigillum sui imprimit similitudinem & imaginem in re obsignata, non autem suam essentiam.

4. Apostolus 2. Cor. 3. interpres est sui ipsius in hoc praesenti loco. Hîc ait, *nos*, postquam credidimus Evangelio, *obsignari Spiritu promissionis sancto:* impressa scilicet imagine sigilli in cordibus nostris. Ibi de eadem re de Evangelio salutis, de fide nostra & opera Spiritus sancti loquens ait, *Nos autem retecta facie gloriam Domini in speculo* (Evangelii) *intuentes* (oculo fidei) *in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.*

En imaginem sigilli, quae credentibus Evangelio imprimitur: Et qua obsignantur per Spiritum sanctum. Quid enim aliud est, *nos intuentes in speculo Evangelii gloriam Dei transformari in ejus imaginem à Spiritu sancto:* quàm credentes obsignari à Spiritu sancto, imagine sigilli, id est, Spiritus sancti, veri Dei in nobis impressa? Non est igitur dubium, quin obsignatio haec, de qua Apostolus loquitur hoc loco, sit id quod dixi.

Atque hinc cognoscere quis potest certiorque fieri, an in se inhabitet Spiritus sanctus: Et an sit non solum externo Symbolo aquae obsignatus Christo, an verò etiam interno Spiritus sancti sigillo: nempe ab hac imagine Dei, in animis & cordibus fidelium per Spiritum sanctum impressa. Si igitur sentimus in animis nostris novam & coelestem lucem accensam, qua verè cognoscimus Deum & Christum, in cordibus novum & coelestem ignem, quo amamus Deum & proximum: novos & coelestes motus in voluntate, quibus odimus peccata, afficimùrque amore justitiae, & sanctitatis: certum est, Spiritum sanctum in nobis esse. Denique fructus Spiritus, de quibus Gal. 5 testatur, sunt nostrae obsignationes.

Fusiùs haec de obsignatione explicare volui: quia & necessaria sunt cognitu, & non ita ab aliis explicantur, quantum ego videre potuerim. Nunc pergamus.

14. *Qui est arrhabo haereditatis nostrae: in redemtionem* περιποιήσεως (assertionis, vel acquisitae Ecclesiae) *in laudem gloriae ipsius.*

Summa hujus versus est, Spiritum sanctum fidelibus dari, non solùm ut obsignet nos, sicut antè explicatum est, fidèmque nostram, dando testimonium Spiritui nostro, quod simus filii Dei: verùm etiam, ut certum perpetuúmque in nobis pignus sit futurorum bonorum: ut nullo modo dubitare possimus, quin tandem promissam haereditatem plenè consequamur; id quod futurum dicit, cùm perfectè ab omni servitute redempti in perfectam libertatem asseremur: totùmque hoc à Deo fieri, *in laudem gloriae ipsius.*

Tres igitur habet particulas hic versus. *Prima,* declaratur alius finis & usus praeter eum qui explicatus est, propter quem fidelibus datur Spiritus sanctus: id est, *ut sit arrhabo, seu arrae instar:* quia ita certi fimus de plena possessione promissae haereditatis, ut de ea dubitare minimè possimus. Ita docetur Spiritum sanctum esse certissimum pignus futurorum bonorum.

Secunda particula explicatur, quousque nobis relinquatur haec arra: perpetuò, usque; dum perfectè redemti, ex hac mundi miseria, & carnis servitute in perfectam

fectam libertatem asseramur. Ita docetur Spiritum sanctum esse pignus non solùm certum, sed etiam perpetuum, futurae nostrae felicitatis.

Tertia declaratur finis tantae bonitatis Dei erga nos: quod in Christo gratis, *non solum elegerit, praedestinaverit, gratos sibi reddiderit, redemerit, vocarit, coelestem haereditatem promiserit: Verùm etiam dederit Spiritum sanctum,* qui & instar sigilli nos obsignet, & certum sit perpetuùmque pignus futurae haereditatis: ut nimirum hinc discamus totam nostram salutem acceptam ferre gratiae Dei, seu immensae ejus bonitati, nullo autem modo nostris operibus. Et ita qui gloriatur, in Domino glorietur. Haec est summa singularum particularum hujus versus. Ait ergo.

Qui (Spiritus nobis datus, nósque obsignans) *est arrhabo haereditatis nostrae.*

Spiritus sanctus cur dictus arrhabo.

Metaphorica est locutio, qua dicit Spiritum esse arrhabonem, sicut & supra eum comparavit sigillo.

Metaphora autem sumta est ab emptoribus & venditoribus. Duo sunt casus, quibus fit ut aliquis emptor det venditori arram: unus, cùm non totum potest dare pretium. Dat ergo partem pro arra, ut interim venditor rem ab alio coemptam apud se servet, donec totum accipiat pretium. Alter est, cum res coempta nondum ita est comparata, ut in usum ementis venire possit. Datur ergo arra, ut ea res sibi servetur, & perficiatur, donec sibi usui esse possit. Finis autem unus semper est: nempe ut contractus sit firmus & ratus, & venditor rem promissam alienare aliive dare non possit: atque ita emptor certus sit de re sibi promissa.

Cum autem in hoc salutis negotio, de quo loquitur Apostolus nullus inter nos & Deum intercedat contractus, nullave emptio & venditio: quomodo Apostolus usus est hac metaphora? Finem respexit, & usum arrae. Est enim idem etiam in hoc salutis negotio: *Deus gratis promisit nobis in Christo coelestium bonorum haereditatem,* quia in Christo etiam primo genito nos adoptavit in filios, filiis autem debetur haereditas. Haereditas haec non ita est comparata, ut jam plenè possideri à nobis possit: quia non est praesentis vitae, sed futurae. Ne igitur dubitaremus de promissione divina, quae & ab eo, qui mentiri non potest, facta, juréque jurando confirmata est, & sanguine porrò unigeniti filii sui obsignata; adjecit etiam suum Spiritum, rem sibi longè carissimam & pretiosissimam: qui in nobis inhabitans, non solùm nos obsignet, & ea re promissionem confirmet, verùm etiam sit *instar arrae,* hoc est, certum pignus, nos tam certò habituros illam haereditatem, quàm certò Deus Pater promisit, & quam certò denique ipse Spiritus in nobis inhabitat, nos obsignat, nos regit, nobiscum vivit: Deum enim velle, ut nobis sit iste Spiritus loco *arrhabonis:* quò certi simus de possidenda tandem haereditate.

Hic est usus & finis propter quem Apostolus Spiritum nobis datum à Patre, & in nobis habitantem, vocarit *arrhabonem: & arrhabonem* quidem *haeredidatis nostrae:* nostrae, inquam, quia nobis promissa est: nostrae etiam, quia nobis tanquam filiis debetur.

Observandum igitur nihil magis pugnare cum voluntate Dei, cùmque ipsius scopo

scopo & fine, quem in omnibus promissis, in morte Christi, inque donis Spiritus S. spectari à nobis vult, quàm dubitare an simus filii Dei, in gratia Dei, futurique haeredes aeternae vitae. Nihil non agit Deus, quo de hac re fiamus certissimi, ita ut propter hanc certitudinem *arram* quoque dederit, ipsum Spiritum suum. Docere igitur, dubitandum esse de nostra salute, an non dogma est diabolicum?

2. *Sed quamdiu relinquitur nobis haec arra?* ait: *in redemptionem assertionis*, plenae nimirum & perfectae: id est, usque dum perfectè ab omni servitute, omnique miseria liberati, in perfectam libertatem vindicemur & asseramur: id quod futurum est in fine mundi, cùm corpora etiam nostra fuerint liberata ab omni corruptione. Animae quidem exutae corporibus in possessionem illam perveniunt: sed nondum est perfecta plena libertas & redemptio, cùm adhuc corpora maneant sub corruptione. Illam igitur ultimam & perfectam redemptionem vocat ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως.

Vult igitur Deus suum Spiritum perpetuò in nobis manere, arrae loco: donec in plenam coelestis haereditatis possessionem perducamur. Sic Christus hoc eodem de Spiritu suo apud Johannem dixit Apostolis, *In vobis erit, & in vobis manebit.* Joh. 16.

3. Facit etiam hic locus ad confirmandam doctrinam de perseverantia Sanctorum in fide. Si enim perpetuum est pignus Spiritus sanctus in fidelibus: illos igitur nunquam penitùs deseret. Qua de re aliàs.

Ordo & gradus salutis nostrae.

Observandum vero est, ex omnibus quae hactenus dicta sunt de benedictionibus, quibus nos Deus in Christo capite benedixit: ordinem salutis nostrae optimè colligi posse, iis gradibus constantem.

Primus est electio aeterna, quâ nos elegit in Christo, ex mera ipsius caritate & gratia, próque beneplacito voluntatis suae: ut essemus filii Dei, eóque fratres Christi, eóque & sancti, atque inculpati, eòque & tandem haeredes aeternorum bonorum in vita aeterna.

Secundus redemptio gratuita per Christum suo tempore facta, à peccatis, è potestate Satanae, & à morte aeterna: ita ut totam redemptionem & salutem habuerimus jam in Christo capite nostro, etiam antequam nasceremur, certam atque firmam.

Tertius est dispensatio gratiae Dei & salutis per Christum partae, & in Christo positae. Eóque efficax vocatio ad participationem salutis in Christo, & coelestis haereditatis, quam spe in hac vita possidemus.

Quartus est plena & perfecta hujus coelestis haereditatis possessio, seu glorificatio futura in altero seculo.

TERTIA PARS. CAP. I.

TEXTUS.

15. *Propter hoc* (propterea) *etiam ego postquam audivi eam quae* in vobis est (καθ' ὑμᾶς (inter) apud vos est) *fidem in Domino Jesu & caritatem in omnes sanctos.* 16.

16. *Non desino gratias agere pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.*

Nihil ferè diversi habet Syriacus.

Quapropter etiam ego ecce, ex quo audivi fidem vestram, quae est in Dominum nostrum Jesum Christum, & caritatem vestram, quae est erga omnes sanctos:
Non desino gratias agere pro vobis, & memor esse vestri in precibus meis.

17. *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille gloriae, det vobis Spiritum sapientiae, & revelationis in agnitione* (ἐν ἐπιγνώσει) *ipsius.*

Alii, *per agnitionem.* Sed Scholia sic interpretantur, ut potiùs significet, quanam in re consistat haec spiritualis sapientia: in agnitione Dei: vel ad quid serviat.

Ἄρα πνευματικῆς δεῖ σοφίας ἡμῖν, εἰς τὸ ἐπίγνῶναι τὰ παρά τοῦ Θεοῦ δωρηθέντα ἡμῖν. Ut ἐν τῇ ἐπίγνωσει sit pro εἰς τὴν ἐπιγνώσιν, ut est Coloss. 1. vers. 10.

18. *Illuminatos oculos mentis vestrae: ut sciatis, quae sit spes illa vocationis ipsius* (id est, ad quam vocavit ipse) *& quae sint divitiae gloriae haereditatis ipsius in sanctis.*

Syriacus addit copulam, & nomen διανοίας explicat dicendo: *Et illuminentur oculi cordium vestrorum, ut sciatis.*

19. *Et quae sit excellens illa magnitudo potentiae ipsius in nobis, qui credimus secundùm efficacitatem roboris fortitudinis ejus.*

Alii *pro efficacitate fortis roboris ipsius.* Sed tria sunt distincta substantiva, κατὰ τὴν ἐνεργείαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ: quae singula suam habent vim.

20. *Quam exseruit* (ἐνήργησεν efficaciter operatus est) *in Christo,cum excitavit eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in supercoelestibus* (locis.)

Syriacus, *Quam operatus est in Christo & suscitavit eum à mortuis, & sedere fecit eum à dextera sua in coelis.* Camerarius ἐνήργησεν, id est cujus potentiae opus efficit in Christo.

21. *Longè supra omnem principatum* (alii imperium ἀρχὴν) *& potestatem,. & potentiam, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc saeculo, verùm etiam in futuro:* nempe sedere fecit.

Syriacus. In plurali numero, *Supra omnes principatus & potestates, & virtutes, & dominationes, & supra omne nomen quod nominatur, non solùm in seculo hoc, sed etiam in futuro:* Scholia propter ultimum membrum, *sed etiam in futuro,* interpretantur de principatibus etiam Angelicis.

22. *Et omnia subjecit sub pedes ejus: Et ipsum dedit Caput super omnia ipsi Ecclesiae.*

Variat utcunque Syriacus dicendo: *Subjecítque cuncta sub pedibus ejus. Et eum qui est supra omnia dedit caput Ecclesiae.* Sic Graeci quidam: quasi dicat, ὑπὲρ πάντα.

23. *Quae est corpus ipsius* (&) *complementum ejus, qui omnia implet in omnibus.* Sic etiam Syriacus.

Hactenus duae priores hujusce capitis partes explicatae à nobis fuerunt: in quarum prima, post propositionem illam generalem, consideravimus benedictiones, sicut fuerunt nobis à Deo in aeterna praedestinatione. In altera primùm expendimus beneficium redemptionis totiùsque salutis nostrae: quatenus illud perfec-

perfectum fuit & à nobis habetur in Christo capite. Deinde vidimus, quomodo nobis ex Christo dispensetur hoc, & alia etiam spiritualia beneficia, id est, tota nostra salus.

Summa est, dispensari & communicari iis qui cum Christo conjuncti sunt per fidem, seu in quos Christus sua gratia exundat, ut loquitur Apostolus, *in omnia sapientia & prudentia:* id est, per veram fidem. Haec est summa.

Hoc verò ordine fieri hanc gratiae & salutis dispensationem: 1. Praedicatione Evangelii, qua voluntas illa arcana de colligendis & redigendis omnibus Electis sub uno capite Christo revelatur: 2. Atque ita secundo loco efficaci vocatione, hoc est, cùm vocamur & asciscimur in hanc sortem percipiendae gratiae & salutis, haereditatìsque aeternae: 3. Fide qua credimus Evangelio, quod solum est *sermo veritatis, & Evangelium salutis nostrae;* 4. Eòque & justificatione, quae in vocatione efficaci includitur. *Obsignatione Spiritus promissionis:* hoc est, regeneratione, cum certo in animis testimonio quòd simus filii Dei & haeredes coeli. Denique praesentia Spiritus sancti in cordibus nostris, qui dat testimonium spiritui nostro, quòd simus filii Dei: & retinet in officio, regens nos & agens usque in diem redemptionis: cum ab omni miseria liberati in plenam possessionem aeternae coelestisque haereditatis inducemur. Hic est ordo salutis dispensandae: Et summa eorum omnium, quae in praecedentibus versibus dicta sunt.

Sequitur jam tertia & ultima pars hujus capitis: quae pars novem versibus continetur, sed unâ tantùm periodo clauditur.

Scopus Apostoli.

Propositum scopùsque Apostoli in toto hoc contextu est idem qui & in superioribus partibus, adeòque in tota Epistola: nimirum exstimulare Ephesios fidelésque omnes, ut in inchoata pietate, cujus summa est fides in Christum, & caritas erga sanctos omnes, non solùm perseveremus, sed etiam incrementum faciamus, agentes Deo semper gratias pro benedictionibus acceptis, precantésque ut eas porrò in nobis & servet & augeat, donec ad earum, quae restant, & quas speramus, perfectam possessionem perducamur.

Facit autem hoc Apostolus singulis fermè verbis, quia singula plena sunt stimulorum, usque adeò παθητικὴ est tota oratio. Quatuor tamen sunt praecipua argumenta, quibus id efficit.

1. *Primum*, proposito suo exemplo, quia ait, simulac audivit de ipsorum fide & caritate, se nunquam desiisse agere Deo gratias, ipsorum nomine. Et simul etiam precari, ut donet illis spiritum copiosiorem sapientiae & revelationis: id est det incrementum pietatis, versu 15. 16. & 17.

2. *Secundo*, idem efficit commemoratione eorum bonorum: quorum cognoscendorum causa precatur illis à Deo spiritum sapientiae & revelationis: nimirum qualis et quanta sit illa coelestis haereditas, quae promissa est fidem puram in Christum retinentibus: & quam nos certò sperare jubet: v. 18.

3. *Tertio*, spe facta fore, ut quae restant bona, resurrectio scil. à mortuis & aeternae haereditatis plena possessio, ea tandem consequamur à Patre coelesti. Ratio

Ratio hujus spei ab efficacitate potentiae ejus, qui promisit, ducitur: Eaque duplex est: Prima, quoniam efficax est in omnibus sanctis: hoc est, quoniam quam plurima, quae praedestinaverat & quod postea se facturum promiserat, jam effecit in nobis, & quotidie efficaciter operatur: ergò & quae supersunt, ea ut consequamur, efficiet.

Altera ratio: quoniam ea quae restant plenè jam & perfectè perfecit in Christo, suam potentiam perfectè in illo exercens. Hunc enim suscitavit à mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam, in supercoelestibus locis. Ergò & nos tandem pro eadem potentia excitabit à mortuis, & in possessionem coelestis aeternaeque vitae per Christum introducet. Ratio hujus consequentiae est in v. 22. & 23. Deus enim Pater constituit Christum caput Ecclesiae, & hanc voluit esse illius corpus, ita ut singuli fideles sint hujus corporis membra. Christus autem nostrum caput non potest carere suis membris omnibus: alioqui foret imperfectum & mutilum corpus. In hunc etiam finem eum constituit caput, ut omnia in omnibus impleat, hoc est, ut quaecunque ipse tanquam caput accepit à Patre, ea ipse ad plenum suis omnibus communicet membris: sicut ideò etiam in capite posuit sedem vitae, sensus & motus, non ut sibi soli ea retineat, sed in alia quoque membra omnia diffundat. Dubium igitur non est, quin nos omnes, ô Ephesii, facti jam Christi membra, excitandi simus à mortuis, & gloriosam illam possessionem, quam ideò speramus quia promissa est, eandem simus consecuturi.

Quarta ratio ducitur à Christi jam sedentis ad dexteram imperio & officio. Christus, qui propter nostra peccata mortuus est, jam sedet in coelo, membra sua, id est, fideles vivificans: Reliqua, ut infideles, sub pedibus habens, ea tandem contriturus.

Nisi ergo perseveretis in fide, ut hostes conteremini pedibus. Quare debetis perseverare &c. His quatuor potissimùm mediis & rationibus excitat in his versibus Ephesios Apostolus ad constantiam in vera pietate, & ad incrementum in ea faciendum, Deùmque semper laudandum pro tot tantisque benedictionibus in Christo acceptis.

Nunc tenemus mentem Apostoli in his versibus, totàque hac longa sed divina periodo. Ubi interim observandum est, in hoc contextu explicari id, quod antè dixerat, *arcanum Dei Patris decretum fuisse omnia in Christo ἀνακεφαλαιώσασθαι*: hoc est, ut omnia sub uno capite recolligeret, eique conjungeret. Quod dictum, ut supra ostendimus, de toto corpore Ecclesiae omnibúsque ejus membris, tam quae in coelo sunt, quam quae in terris, in primis & per se intelligendum est; de reliquis secundariò & ex accidenti: quia reliqua omnia sub pedibus erunt, facto jam coelo novo, & terra nova.

Subdividitur autem tota haec tertia pars in duas praecipuas particulas: in quarum *una* continetur Apostolica narratio; qua docet & quid de Ephesiis audierit, & quid pro ipsis egerit apud Dominum, quidque illis precatus sit, & in quem finem, à v. 15. usque ad 20. In *altera* Explicatio eorum quae Deus egit in Christo capite nostro nostra causa, ut suam nobis in eo patefaceret potentiam, & quid porrò sperare nos debeamus, si manserimus in Christo: à v. 20. ad finem usque. Nunc singula percurramus.

V. 15 & 16. *Propter hoc etiam ego &c. non desino gratias agere.*

Illud διὰ τοῦτο refertur ad ea, quae de Ephesiis dixerat, eos quoque fuisse in hanc sortem vocatos, ut haereditatis aeternae, eòque omnium benedictionum antea narratarum essent participes, & ut essent in laudem gloriae Dei. *Propter hoc igitur & ego &c.* Cùm dicit, *Et ego*, indicat se persuasum esse, quod fecit & facit ipse pro Ephesiis, audita illorum fide, & caritate, ipsos quoque Ephesios fecisse, aut saltem facere debuisse: agere scilicet gratias Deo pro acceptis his benedictionibus, & precari ab eodem Deo incrementum pietatis.

Propter illud verbum putarunt quidam Epistolam hanc scriptam fuisse ab Apostolo ad Ephesios, antequam eos vidisset: quod quam falsum sit, de principio ostendimus ex Actis. Inepta autem est illorum consecutio: quasi verò, quia Romae audivit celebrari fidem Ephesiorum, ideò ea sibi antea fuerit ignota. *Institui & ego non paucos ex mea patria in vera pietate; postea audivi de ipsorum profectu, & per literas gratulatus sum illis, rogavique Dominum pro ipsorum perseverantia & incremento.* Nullum igitur est hoc argumentum. Duo autem ait se de Ephesina Ecclesia audivisse: & duo se pro illis egisse & agere non desinere. Quid audivit? Fidem illorum praedicari, & caritatem: fidem in Christum, & caritatem in sanctos omnes. Iis duobus capitibus totam pietatem complexus est. Sic ad Coloss. 1. Sic 1. Joh. 3. ait Johannes: hoc esse mandatum seu doctrinam Dei: *ut credamus nomini filii ejus Jesu Christi & diligamus nos mutuò, sic ut mandavit nobis.*

Credere in Christum, in Christo, Christum, & Christo, an semper differant.

Ubi interim observandum est scripturas non facere discrimen inter credere in Christum, & in Christo, & Christo.

Apostolus hîc ait, *fidem in Christo:* Johan. ait, *ut credamus* nomini filii ejus, hoc est, Christo: alibi saepè, *credere in Christum*, ut illud, *Credis in filium Dei?* Et in Symbolo, *Credo in Deum, &c.* Et semper de vera & vivificante fide loquuntur.

Ergo illa differentia, quam quidam notant, aliud esse *credere Deo*, & aliud *in Deum:* non semper est vera; haec firma in sacris literis: intellige si primùm sermo sit de vera fide, & secundò ad rem ipsam quod attinet. Primùm dico, si sermo sit de vera fide: quia *etiam daemones credunt & contremiscunt*, ait Jacobus: sed non est vera fides: ideò nunquam legis eos credere in Deum.

Sed neque semper *credere in Deum, & in Christum*, de vera fide, quae cum fiducia & amore conjuncta est, accipitur. Locum habes Joh. 2. ad finem: de quibusdam ait Evangelista, *Multi videntes signa, quae faciebat, crediderunt in nomen ejus: Jesus autem non se credebat eis, eo quod nosset omnes.* En apertum testimonium, fidem in Deum & credere in Deum, etiam de simulata fide dici.

Contra, 1. Joh. 3. v. 15 de vera fide ait, *Hoc esse mandatum Dei, ut credamus τῷ ὀνόματι filii ejus.* Vera igitur fides, tam una quam altera locutione, de fide etiam hypocritica usurpari solet. Deinde adjeci alteram exceptionem, nempe idem esse *credere Christo, & credere in Christum*, ad rem ipsam quod attinet. Hoc ideò adjeci, quia si proprietatem duntaxat locutionis spectes, aliquid

aliquid diversi est inter utramque. Credere enim Deo propriè significat, Deo loquenti simpliciter assentiri, propter loquentis autoritatem: & nihil aliud propriè significat. Sed si vere credas Deo loquenti, tam cùm narrat, jubet, & minatur, quàm cùm promittit: statim sequetur fiducia, qua acquiescas in promissionibus: ideò reapse, ut dixi, *credere Deo, & credere in Deum*, cùm de vera fide sermo est, idem sunt. At vero credere in Deum sua propria significatione significat fidere Deo, & in ejus promissionibus acquiescere. Nascitur autem haec fiducia erga promissiones, vel potiùs erga promittentem Deum, à fide illa, qua toti verbo Dei simpliciter credis propter loquentis autoritatem. Ideò haec praecedit, fiducia subsequitur tanquam effectus fidei, sicut habet *Ephes.* 3. In quo (Christo) habemus libertatem & aditum cum fiducia, ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως ἀυτοῦ.

Πίστις totum respicit verbum Dei, fiducia solas promissiones. Idèo πίστις, si vera est, semper adjunctam habet fiduciam, & pro fiducia ponitur. Atque haec dicta sunto de his locutionibus. Cùm enim Apostolus de vera Ephesiorum fide loquatur, tantundem significat fides in Jesu Christo quàm fides in Christum Jesum.

2. Deinde observandum est, nomine Christi Jesu significari mediatorem, verum Deum simul & verum hominem, ut saepè dictum est.

Christus mediator proximum fidei objectum.

Est autem hoc primum & proximum fidei objectum, in quod immediatè vera fides respicit, Jesus Christus. Et quo etiam fides Christiana discernitur à fide Turcarum, Judaeorum, Arianorum, qui jactant fidem in Deum, sed cum non credant in Christum verum Dei Patris Filium, certè neque in Deum credunt: quia *qui non habent Filium, nec Patrem habet,* inquit Johannes in Epistola 1. c. 2. Qui vero fidem habet in Christum, is etiam habet in Deum: qui enim habet Filium & Patrem habet, & ex consequenti utriùsque Spiritum. Ideò Christus dicebat, *Joh.* 14. Creditis in Deum, etiam in me credite. Docuit enim non posse veram esse in Deum fidem, si non credatur in Christum. Proinde fides in Christum includit necessariò fidem etiam in Patrem, et in Spiritum sanctum: sed non quicunque dicitur credere in Deum, is fidem etiam habere in Christum & in Spiritum sanctum dici potest. Primum igitur & immediatum & perfectum fidei verae objectum est Christus. Hoc enim discernitur Christiana fides à non Christiana, sola autem Christiana vera est.

Fides in Christum excludit fiduciam operum.

3. Neque illud praetereundum est, cùm Apostolus ait se audivisse de fide Ephesiorum in Jesum Christum, voluisse tacitè indicare: Non igitur esse audiendos illos, qui volebant in negotio salutis miscere Mosen cum Christo, aut opera legis cum fide in Christum. Neque enim veram in Christum habet fidem, qui credit se non per solum Christum, seu per solam fidem in Christum, sed per opera simul justificari. Tunc enim fides tua non fuerit in solum Christum, eòque & in Patrem & in Spiritum sanctum fides. Sed etiam in opera legis, & in Mosen: eòque fides vera & Christiana non fuerit. Sicut enim non licet bapti-

baptizari, nisi in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti: quibus si aliquid addas, non fuerit verus & salutaris Baptismus: sic neque licet credere *te per aliud justificari quam per solum Christum (in quo est & Pater & Spiritus sanctus) fide apprehensum: alioqui Christum non habueris, nec Patrem, nec Spiritum sanctum;* eòque nec ejus gratiam. *Excidistis à gratia* (inquit ad Galat. 5) *quicunque per legem justificamini.* Item c. 2. *Si per legem justitia* (nempe vel in totum, vel ex parte) *Christus frustrà mortuus est.* Et certè frustra tibi mortuus est, si per legem putas te justificari. Ergo si vera in Jesum Christum fides esse debet: nullo modo credas te per opera justificari, sed per solum Christum fide apprehensum, necesse est. Fides enim in solum Christum cum fiducia operum tuorum consistere nullo modo potest. Non dico consistere eam non posse cum operibus, imò fides sine operibus non est vera fides: sed dico cum fiducia operum, seu cum opinione quòd etiam per opera justificeris. Caeteroquin, ut ait Jacob c. 2. *Fides sine operibus mortua est,* eòque nulla: sicut etiam homo mortuus nullus est, id est, homo non est. Non igitur separamus opera à fide in Christum: sed fiduciam operum à fide Christi. Potestne separari vera fides in Christo Jesu à caritate erga Sanctos, eóque & ab operibus caritatis? minimè verò: *Fides enim operatur & efficax est per caritatem.* Et Apostolus utrumque hîc conjungit, & alibi semper. Ergo vera fides in Christum esse non potest à caritate & ab operibus separata caritatis. Sed rursus vera etiam esse non potest cum fiducia operum & caritatis, aut etiam fidei tuae, quatenus opus quoddam est conjuncta. Soli enim Christo, & in eo Patri ac Spiritui sancto, debetur fiducia salutis: quia per hunc etiam solum salus contingit; & hoc significat fides in Jesum Christum. Quid autem sit fides, & quae ejus partes, postea dicemus. Hoc itaque est primum, quod ait Apostolus, se audivisse de Ephesiis: fides scilicet in Christum Jesum: id est, vera & justificans fides.

De Caritate.

Alterum quod audivit, & quod certè ex fide nascitur, est caritas in sanctos omnes: id est, in proximum, maximè vero erga sanctos omnes, id est domesticos fidei, ut loquitur ad Galat. cap. 5.

Tria hîc sunt declaranda: *Primum*, quid sid caritas, & unde nascatur: fidei enim subjicitur. *Deinde*, quodnam sit objectum caritatis deque ejus ordine. Ubique enim jubemur diligere proximum, id est, omnes homines: hîc verò tantùm sanctos, id est, fideles nominat Apostolus. *Tertiò*, an rectè summa pietatis Christianae in iis duobus collocetur, *in fide in Christum, & in caritate erga proximum & in primis erga sanctos.* Apostolus enim manifestè hoc facit, tum hîc, tum ad Coloss. 1.

1. Nomine caritatis hîc non intelligimus cum Apostolo nisi caritatem erga proximum: non autem quatenus significat etiam nonnunquam dilectionem erga Deum. Haec enim continetur in nomine fidei, à qua inseparabilis est: & in unum & idem tendunt ambae objectum, id est, in Deum.

Nam licet etiam caritas erga proximum à fide inseparabilis sit: quia tamen

aliud

aliud habet objectum, nimirum proximum nostrum. Ideo, ut diversa virtus, seorsim à fide proponi solet in sacris literis, & seorsim considerari. Ergo de caritate tantùm in proximum hîc sermo instituitur.

Caritas est Spiritualis ignis ex fide in Christum, & ex sensu immensi amoris Dei erga nos, per Spiritum sanctum in cordibus nostris accensus: quo post Deum ita flagramus, & afficimur erga sanctos cum primis, & deinde erga omnes homines, quatenus homines sunt, ut illis ex animo bene cupiamus, & pro virili benefacere studeamus: idque non nostra, sed ipsorum causa.

Omnia sunt perspicua: praesertim iis, qui non prorsus imperiti sunt aut sacrarum literarum, aut etiam profanorum scriptorum. Nam Aristoteles dixit, amare nil aliud esse, quam alicui bene velle, & pro virili bene facere: non tua, sed illius causa. Atque hoc est formale in hac definitione; causam efficientem esse Spiritum sanctum, extra Controversiam est apud Christianos. Esse ignem spiritualem in cordibus accensum, liquet primò ex profanis etiam autoribus, multò magis ex sacris. Nam etiam hanc ob causam Spiritus sanctus comparatur igni in sacris literis; & Christus dixit, *oportere baptizari igni,* i. e. *Spiritu sancto.* Oriri verò ex fide sensuque amoris Dei, nemo dubitat. Cùm enim quis persuasus est se ab aliquo amari, non potest, nisi stupidus sit, non reaccendi ad eum aliquo modo redamandum: quantò magis id fieri necesse est, ubi manifestè flammae amoris Dei erga nos sentiuntur?

2. De objecto nunc dicemus. De iis igitur qui amandi nobis sint, constat ex verbo Dei; post Deum amandum nobis esse *proximum.* Matt. 22. Primum mandatum est, Diliges Dominum Deum tuum. Secundum simile huic, diliges proximum, &c. Nomine autem proximi, quis intelligendus sit, Christus docuit Matth. 22. & Luc. 10. *Omnis* scilicet homo, nempe quatenus homo. Nam quatenus inimicus Dei, neque potest neque debet amari: ut neque diabolus amari à nobis vel potest vel debet. Regula enim omnis erga res creatas amoris est amor Dei. Quatenus igitur aliquid amori Dei repugnat, & contra ejus gloriam facit: quî potest à Dei amante amari? Et Scriptura mandat, ut odio habeamus peccatum: quid ita? quia pugnat cum voluntate & gloria Dei. Ergo neque homines ullamve aliam creaturam, quatenus inimica est Dei, amore nostro dignari debemus. Huc pertinet illud Davidis, & laudatur: *Psal.* 39. Iniquos odio habui: nempe, ut iniquos. Hinc pendet regula caritatis: nempe ut eos prae caeteris diligamus, qui magis sunt amici Dei. Ii autem sunt *sancti.* Proinde non incongruè Apostolus, laudans caritatem Ephesiorum, ait eam fuisse erga sanctos.

Sic igitur habendum & statuendum est, Deum simpliciter & per se amandum esse. Et hoc est amare eum solum toto corde. *Secundo* loco, qui magis a Deo amantur eique grati sunt. Inter hos primum locum tenet Christus, *qua homo est.* Est enim etiam *qua homo est, ille dilectus, in quo & nos Pater diligit*; *& caput nostrum est.*

Huic additur immediatè Ecclesia, quae est corpus ipsius. Et deinde singula membra, id est, sancti, qui jam Spiritu Dei donati sunt & re ipsa Christo capiti adglutinati. Ergò, *Tertio* loco, amore complectenda est Christi Ecclesia, id est, totum corpus Christi. Atque hoc est, quod Apostolus dicit, Caritatem

Ephes-

Ephesiorum fuisse erga omnes sanctos: id est, erga totam Ecclesiam. *Quarto* loco singula Christi membra, i. singuli sancti; & quo quis sanctior est, praestantiùsque Christi membrum, eo majori amore dignus est. *Quinto* loco, omnes homines, quatenus homines, & dum in hoc vivunt seculo: quoniam & hos Deus diligit, & fieri potest ut futuri sint nobiscum membra Christi. Atque hic est ordo caritatis erga proximum: quatenus caritas, amor quidam est, & ignis in corde accensus, quo afficimur erga aliquem, & ei bene cupimus.

Caeterùm, ad externa officia & beneficia quod attinet, quae sunt caritatis effecta: ordo etiam servandus est juxta nomen proximi: ut prius habeatur ratio eorum, qui sunt magis proximi, & deinde eorum qui minùs. Sunt autem magis proximi, qui de corpore Ecclesiae quàm qui non sunt: hoc est, sancti quàm impii. Et inter pios illi, qui nobis sunt domestici nostraeque curae commendati, *parentes, uxor, liberi, consanguinei, affines, magistratus, praeceptores, pastores, qui sunt ceu parentes, &c.*

Hoc est quod Paulus dixit ad *Gal.* 5. Ergo operemur bonum erga omnes: maximè autem erga domesticos fidei. Et ad *Tim.* 1. *c.* 5. qui suorum & praesertim domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli deterior est. Est igitur in beneficiis praestandis & bonis distribuendis habenda ratio nostrarum virium, & simul eorum, qui tibi magis sunt proximi.

Habemus in summa ordinem quendam caritatis, & in amando, & in beneficiis praestandis. Caeterùm multae etiam sunt exceptiones, quas omnes recensere jam non est necesse. Illam igitur tenendam esse censeo regulam, prout quisque sese à caritate ipsa senserit permoveri: ita etiam se gerat in iis externis rebus & beneficiis exhibendis. Ipsa enim caritas docebit, quid facto opus sit; *ipsa unctio* (inquit Joan. 1. c. 2.) *docebit vos.* Modò ne resistamus Spiritui sancto, omnia bene succedent. Ab hoc enim aguntur filii Dei.

Illud extra controversiam est, erga sanctos, magis quam erga non sanctos, veram caritatem sese exercere solere atque debere: sicut hîc docet Apostolus de caritate Ephesiorum.

3. Ad tertium quod attinet de summa pietatis, an rectè in fide & caritate constituatur: dubium non est, quin rectissimè hoc fiat, cum fiat ab eo, qui est Spiritus sapientiae & omnis prudentiae, nempe à Spiritu sancto in Apostolis loquente & nos docente.

Exceptio tantùm quaedam est diluenda & explicanda. Tria sunt objecta in quae respicit pietas, & erga quae exerceri debet: Deus, proximus, & nos ipsi. Fides complectitur ea omnia, quae debemus Deo: Caritas, quae debemus proximo: Poenitentia, quae & carnis nostrae mortificationem & Spiritus vivificationem complectitur, videtur id esse, in quo propriè nos ipsos, id est, nostras personas perpetuò exercere jubemur. Et quidem Christus duabus aliis partibus, omissa caritate in proximum, complexus est totam pietatem, poenitentiae scilicet & fidei. *Poenitentiam* (inquit) *agite, & credite Evangelio* Marc. 1. Et Apostolus, summam itidem complectens totius pietatis à se praedicatae Ephesiis, dixit in Actis 20. se nihil omisisse: cùm testificatus sit poenitentiam in Deum & fidem in Jesum Christum.

Resp. Dubium non est, quin pietas Christiana in has tres partes, fidem in Deum,

Deum, caritatem in proximum, & in nostri mortificationem ac vivificationem, quibus constat poenitentia eàque perpetua, resolvatur juxta haec tria, de quibus diximus, objecta, ad quae totum pietatis exercitium ordinatum est. Et Apostolus videtur idem docuisse. 1. ad Tim. 1. cum totam legis doctrinam ita resolvit, *Finis legis est caritas* (ecce unum) *de corde puro & conscientia bona* (his constat vera resipiscentia) *& fide non ficta:* ecce tertium. Quomodo igitur hîc & Coloss. 1. & Joan. 1. c. 3. in fidem & caritatem summam pietatis resolvunt omissa poenitentia? Spectarunt illa, quae aliis debemus, & quae manifesta etiam sunt testimonia verae resipiscentiae, & quae omnibus possunt esse conspicua: fides scilicet ejùsque constans professio, & caritas in proximum. Nostrae carnis mortificatio secretior est, quam ut ab aliis omnibus conspici queat. Praeterea poenitentia inseparabilis est à fide & à caritate; & Apostolus ait, Qui diligit proximum, legem implevit Rom. 13. Quomodo enim qui & Deum diligit ex toto corde, quae dilectio in fide includitur, et qui vera praeditus est caritate in proximum, quomodo, inquam, is potest aliquid sciens ac volens admittere sceleris, vel in Deum, vel in proximum? adde quod haec est ipsa poenitentia, converti ab infidelitate ad fidem. Et a *φιλαυτίᾳ* ad *φιλαδελφίαν*. Hoc est enim veterem hominem crucifigere. Meritò igitur Paulus, praedicans manifestam omnibus pietatem Ephesiorum, totam restrinxit ad fidem in Christum & caritatem in sanctos. Haec itaque duo in summa sunt, quae Apostolus ait se de Ephesiis audivisse.

Paulus quid pro Ephesiis fecerit.

Nunc videamus illa duo, quae vicissim ait se fecisse pro ipsis Ephesiis. Ait: *Non desino gratias agere* (nempe Deo) *memoriam vestri faciens in orationibus meis.* Agebat igitur, *Primum*, gratias Deo pro beneficiis in Ephesios collatis, pro benedictionibus scilicet spiritualibus, quas nomine fidei & caritatis complexus est. *Secundò*, precabatur Deum nimirum, ut (quemadmodum sequitur) confirmaret eos in fide, & incrementum daret illis verae pietatis. Nota, Apostolum non solùm haec fecisse, sed etiam hoc quod fecit officium Ephesiis significasse.

Duplici de causa adjecit Apostolus explicationem sui officii, quod pro Ephesiis, audita illorum pietate, fecit & semper se facere dixit: *Primum*, ut suo exemplo eos ad idem faciendum permoveret, ad laudandum scilicet inprimis Deum, quòd *ipsis benedixit omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo.* Et deinde ad petendum à Domino conservationem & incrementum. Hic est enim finis & scopus Epistolae. *Altera* causa fuit, ut declarata sua erga illos caritate, paternóque amore, eos magis ac magis excitaret, ad audiendam admittendàmque suam adhortationem: totàmque, quam deinceps subjicit, doctrinam Christianam.

1. Habent hîc pastores Ecclesiarum & doctores, unde discant, quid sui sit officii. Sacerdotis erat in lege & docere populum, & pro illo offerre sacrificia. Utrumque fecit etiam Apostolus: docuit Ephesios veram pietatem, deinde pro illis obtulit sacrificium, non boum aut vitulorum, sed sacrificium laudis & vitulos

vitulos labiorum, ut loquitur Propheta: rogans Deum, ut incrementum daret illis verae pietatis, & obsignaret in illis doctrinam. Nam, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus,* 1. Cor. 3. Nec solum debent pastores pro suis Ecclesiis precari Deum, idque sine intermissione: verum etiam dare operam, ut eas sibi conciliatas & sui amantes habeant atque conservent, significatione suae erga illas benevolentiae: idque quo possint faciliùs, quae Dei sunt, persuadere.

2. Vox etiam illa ponderanda est, cùm ait, se non cessare *pro ipsis gratias agere Deo*, & mentionem ipsorum facere in suis precibus.

De Oratione.

Docet igitur Apostolus, esse quoddam orationis genus, à quo nunquam debemus esse vacui: sed omni tempore & in omni loco orare Dominum, tum pro nobis, tum pro fratribus. Fit enim haec oratio, non tam verbis, quam animo: de qua alibi, *Oportet semper orare, & non deficere* Luc. 18. Item *indesinenter orate* 1. Thess. 5. Proinde sic definitur: *Oratio est elevatio mentis in Deum, per pium & humilem affectum:* quae cum ex fide per Christum invocamus votàque animi nostri illi exponimus, veniam peccatorum petimus, gratias pro beneficiis acceptis agimus, & auxilium deinceps imploramus: idque tam fratribus quam nobis ipsis. Qua de re aliàs dicemus fusiùs.

In praesentia satis est indicasse hoc genus orationis, de quo procul dubio hìc loquitur Apostolus, & à quo nunquam cessare debemus, crebrò à nobis usurpandum esse: cùm nulla res impedire nos ita queat, quin subinde elevemus mentem in Deum, eique nostra corda aperiamus, & vota animi exponamus. Constat autem quatuor partibus.

Prima orationis, de qua jam loquimur, pars est, ut mens nostra apprehendat fide divinam bonitatem & amorem erga nos in Christo: potentiam itidem, qua possit, quae cupimus, praestare: & sapientiam, qua nos audiat sciàtque nobis prospicere: & misericordiam, qua propensus sit ad parcendum; atque iis innitendum est, & meritis Christi. Ex hac mentis elevatione erumpere solent sancti in aliquam Dei laudem, praedicantes ejus bonitatem, potentiam, misericordiam. Exempla occurrunt passim in Psalmis & alibi.

Secunda pars est, ut, percepta majestate Dei, contrà mens nostra sese humiliet coram Deo, peccata sua agnoscat, confiteatur, veniam precetur. Quis enim accedat in conspectum alicujus principis, quin statim sese demittat, suam indignitatem agnoscat, & si offendit, sibi ignosci petat?

Tertia est gratiarum actio pro acceptis beneficiis.

Quarta, explicatio nostrarum necessitatum, eóque petitio auxilii, in rebus, primùm ad animi, deinde etiam ad corporis salutem pertinentibus: sive verbis exprimantur, sive tantum animo concipiamus & Deo exponamus: Et omnia non solum pro nobis, sed etiam pro fratribus. Debent enim fratres nobis succurrere in precibus & eorum necessitatibus: cùm omnes simus membra ejusdem corporis, sub uno eodémque capite Christo. Ideò Apostolus ait, *Mentionem vestri facio in orationibus meis.*

Haec

Haec pauca de hoc genere orationis, de qua loquitur Apostolus in hoc loco, observasse satis esto.

Petenda verò esse à Deo, quae in primis ad salutem animi pertinent, eóque ad regnum Dei, docet Apostolus in iis quae sequuntur. Quid petis, ô Paule, in orationibus tuis pro Ephesiis?

V. 17. Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille gloriae, det vobis Spiritum sapientiae, & revelationis, ἐν ἐπιγνώσει ἀυτοῦ.

Duae sunt particulae hujus versus. *Una* docet, quis invocandus & à quo omnia petenda. *Secunda*, quid petierit Apostolus dari Ephesiis, eóque & nos primum petere debeamus: ut *Deus* (inquit) *Domini nostri Jesu Christi, Et Pater gloriae* &c. Duo ἐπίθετα dat Patri Christi: Primùm vocat *Deum Christi:* Secundo, *Patrem gloriae.*

Pater coelestis cur vocatur Deus Christi, & Pater gloriae?

Tribus de causis Pater coelestis vocatur Deus Christi. *Primum,* quia Christus, qua homo, creatus est ab illo & sustentatus. Ergò respectu humanitatis Deus est Christi. *Secundo*, respectu officii Mediatoris. Hoc enim respectu sese subjecit Patri, ut suo Deo, pro nobis factus illi obediens usque ad mortem: propter quod & Deus exaltavit illum. Atque huc propriè respexit Apostolus, quum vocavit Patrem *Deum Christi.* Nam paulò pòst explicabit, quomodo iste Deus resuscitavit Christum à mortuis & sedere fecit in coelestibus: nempe ut Mediatorem Dei & hominum, & caput nostrum. Christus enim, tanquam Mediator, sicut nos Deo reconcilians effecit, ut ipsius Pater sit quoque noster Pater, sic sese illi subjiciendo in carne nostra, sacrificiùmque pro nobis offerendo, effecit ut ipsius Deus noster sit quoque Deus. Ideò Christus dixit, *Joh.* 20. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum, &c. Patrem meum respectu Deitatis: Deum meum, respectu humanitatis, & officii Mediatoris. *Tertio*, dicitur etiam Deus Christi: sicut dicebatur *Deus Abrahae, Deus Isaac, &c.* id est, verus Deus, qui apparuit Abrahae: sic Deus Christi est ille, qui misit Christum, & quem praedicavit Christus, verus Deus.

Alterum ἐπίθετον est *Pater gloriae.* Ita vocatur non solùm, quia est Pater gloriosus, plenus gloriae, sed aliis etiam de causis: 1. Quia est fons totius Deitatis cum omnibus ejus attributis in Filio, & in Spiritu sancto. Deitas enim saepè in scripturis nomine gloriae significatur: ut *Joh.* 2. Et manifestavit gloriam suam, &c. Et Joh. 17. Et alibi saepè. Ergo hîc innuit Deitatem Christi, qui eam ab hoc Patre accepit.

2. Quia est autor omnis gloriae omniùmque rerum gloriosarum, easque omnes ipse communicat: quales sunt illae benedictiones spirituales, quibus nos benedixit in Christo, in supercoelestibus locis, quas partim supra explicavit, partim mox explicaturus est. Quae enim accepit Christus, evectus in coelum, nomine gloriae significantur. Unde & 1. *Tim.* 3. dicitur, Christum assumtum esse in gloriam, &c. Quia igitur Pater Christum evexit ad illam coelestem gloriam, ideò vocavit eum Patrem gloriae Apostolus.

3. Tertiò, quia etiam nos tandem ad eandem adducet, ideò *Pater gloriae est.*

4. Denique Pater gloriae est, quia illi debetur omnis gloria: quem & Christus glori-

glorificavit & nos glorificare debemus. Sed propriè *Pater gloriae* dicitur, tum quia principium est fonsque totius gloriae divinae, id est, Deitatis in Filio: tùm quia autor est omnium gloriosorum coelestiúmque bonorum & gratiarum: ac proinde indicare voluit Apostolus jure se haec bona hasque gloriosas benedictiones precari Ephesiis ab hoc Deo, quem praedicavit Christus, quia est Pater omnis gloriae, hoc est omnium bonorum.

Quid igitur petit? Sequitur altera particula: *Ut det vobis Spiritum sapientiae, &c.* Nomine spiritus non intelligit Spiritum sanctum seu personam Spiritus sancti: sed afflatum seu donum sapientiae per Spiritum sanctum. Erant enim donati jam sapientia, ut supra vidimus: petit igitur incrementum illius sapientiae. Persona autem Spiritus sancti incrementum non suscipit: sed ubi habitat, ibi totus inhabitat. Nomine autem sapientiae intelligit fidem, ut supra declaravimus: quae est cognitio rerum praestantissimarum & divinarum. Subdit:

Et revelationis.

Docet modum, quo sapientia sapientiaeque incremento donemur: nempe per revelationem sacrarum scilicet literarum: quae fit, cum Spiritus sanctus ablato velamine è cordibus nostris aperit mentes, ut intelligamus scripturas: sicut de Apostolis etiam legimus, *Christus aperuit illis mentem ut intelligerent scripturas Luc.* 24. *Actor* 16. de Lydia, Spiritus sanctus aperuit illi cor, ut intenderet in ea, quae dicebantur à Paulo. Neque autem hîc loquitur de specialibus revelationibus, quae sine scripturis fieri aliquando solebant Prophetis. Sed de ea revelatione, quae communis est omnium piorum. Et de qua etiam 2. Corinth. 3. Postquam dixisset velamen adhuc esse supra corda Judaeorum ut non possint intelligere Mosen, cùm legitur; subjecit de nobis, *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini in speculo* (scilicet Evangelii & sacrarum literarum) *intuentes, &c.*

Sapientiam igitur donat Spiritus sanctus eàmque auget revelatione sacrarum literarum, id est, tollendo velum è cordibus nostris, & illustrando mentis nostrae oculos (ut post explicatur), quo possimus intelligere sacras literas, in quibus revelatur voluntas Dei. Addit:

Ε'ν ἐπιγνώσει ἀυτοῦ Trifariam explicatur hic locus.

Primùm, quidam per agnitionem ipsius, nempe Christi. Volunt enim explicari, quomodo in nobis gignatur sapientia, & revelentur mysteria Dei: per agnitionem nimirum Christi. Quia quo quis magis & clarius agnoscit Christum, eo fit sapientior & mysteriorum Dei peritior. *In Christo enim sunt omnes thesauri scientiae & sapientiae Dei,* Coloss. 2.

Secundo, alii volunt explicari quanam potissimùm in re consistat haec sapientia, quam precatur: nempe non in cognitione rerum humanarum, neque etiam quarumvis rerum coelestium, sed in cognitione Christi, eòque & in cognitione Dei. Atque haec congruit: quia, si sapientia est ipsa fides, fides propriè consistit in vera Christi & Dei cognitione. Ita isti retinent lectionem, in agnitione.

Tertiò, alii volunt significari ad quid serviant illa sapientia & revelatio:

ἐν

ἐν ἐπιγνώσει pro εἰς τὸ ἐπίγνῶναι τὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ δωρηθέντα ἡμῖν. Sic Scholia: nec mihi displicet. Nam Apostolus Coloss. 1. precatur Colossensibus, ut impleantur cognitione voluntatis Dei ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος τοῦ Θεοῦ, ἐν πάσῃ σοφίᾳ.

Et paulò pòst habet αὐξανόμενοι εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ Θεοῦ. Erit igitur ἐν ἐπίγνωσει, pro εἰς ἐπιγνώσιν.

Ita demonstrat donum sapientiae & revelationis eo spectare, ut indies magis ac magis agnoscamus Christum, & in Christo Deum. Sensus tamen, ad rem ipsam quod attinet, eodem redit. Precatur enim Apostolus Ecclesiae Ephesinae incrementum fidei veraeque sapientiae, quae non ex humano ingenio sed ex revelatione divina comparatur. Et quae in vera Christi & Dei agnitione consistit, ad eàmque nos ducit.

Ita hîc habemus: *Primùm*, quid cumprimis petendum nobis sit: incrementum nimirum sapientiae ac fidei, ex clariore mysteriorum Dei in sacris literis contentorum revelatione, ad veram ac perfectam Christi agnitionem cum summo amore & vera obedientia conjunctam nos ducente.

2. Deinde, à quo petendum hoc sit, à Deo, Patre omnis gloriae, omniùmque bonorum ad coelestem gloriam pertinentium autore: ut haec in nobis efficiat propter Christum Mediatorem, cujus est Deus, per Spiritum sanctum velamen è cordibus nostris auferentem, & oculos mentes indies magis ac magis illuminantem, ut sequitur in initio vers 18.

Neque illa vox ἐπιγνώσις praetereunda est; ad quam nos ducit revelatio sacrarum literarum per Spiritum sanctum.

Etsi enim saepè pro cognitione, qua res antè ignotas cognoscimus, capitur, hîc tamen talem Christi agnitionem significat, qua eum jam ante cognitum pro nostro servatore magis ac magis agnoscimus, eum amplectimur, eum amamus, ei totos nos subjicimus, gratumque obsequium ex animo praestamus. Et certè eo nos ducunt sacrae literae; hujùsque rei causae, per revelationem Spiritus sancti, nobis explicantur. Non igitur studendum est Theologiae tantùm, ut sciamus: sed ut cum γνώσει conjungamus ἐπιγνώσιν, qua Christum pro unico servatore nostro agnoscamus, amemus, amplectamur, & debita obedientia honoremus.

Huc usque primum argumentum, quo Apostolus exstimulat Ephesios ad perseverandum in doctrina de salute per solum Christum, sine operibus legis, obtinenda: nempe à suo exemplo, qui hanc illis perseverantiam toto corde precatur à Domino. Singula tamen verba eodem spectant.

1. Quid enim sibi vult, quòd summam verae pietatis Ephesiorum fide in Christum, & caritate in sanctos complectitur? Nisi quod excludit ab officio salutis legis doctrinam de operibus.

2. Quid etiam, quòd fidem in Christum tantopere laudat, & pro illa gratias agit? Ut doceat nulla alia in re totam salutis fidiciam collocari posse vel debere quàm in Christo: non igitur in lege & operibus nostris.

3. Eodem spectat, quòd illis precatur à Deo Spiritum sapientiae, & revelationis, in agnitionem Christi; non autem in agnitionem legis, & quod ejus opera necessaria sint ad salutem.

Voluit

Voluit igitur his omnibus suam doctrinam confirmare, salutem totam esse gratuitam, & per solum Christum fide apprehensum, citra legis opera, haberi. Sequitur

V. 18. *Illuminatos oculos mentis vestrae* (det) *ut sciatis, quae sit spes illa vocationis ipsius: Et quae divitiae gloriae haereditatis ipsius in sanctis.*

Tres sunt particulae hujus versus. *Prima* docet, quidnam praeter donum sapientiae precatus sit Apostolus Ephesiis: illuminationem mentis oculorum. *Secunda*, in quem finem: ut scil. reipsa scirent, tum quae sit spes vocationis, tum quae haereditas. *Tertia*, ad quos haereditas pertineat? ad sanctos.

Primam illam particulam, *illuminatos oculos mentis vestrae,* bifariam construunt interpretes.

Primò, ut iste accusativus absolutè positus sine verbo & sine copula sit Atticismus: pro illuminatis oculis mentis vestrae: quasi dicat, det vobis Spiritum sapientiae, & revelationis, illuminatis jam oculis mentis vestrae, ut sciatis, &c. Hoc pacto particula haec dividenda non erat à versu praecedenti. Pertinet enim ad explicationem modi, quo Spiritus sanctus revelat mysteria in sacris literis contenta: nempe non solum tollendo velamen à cordibus nostris, sed etiam illuminando mentis nostrae oculos.

Alii volunt subintelligi copulam καὶ, ut construatur cum verbo δώῃ det: sicut saepè in scripturis occurrit. Et sic legit Syriacus. Hoc pacto bene conjungitur cum sequentibus: videtur enim hic esse sensus: Non solum, precor, det vobis Spiritum (copiosiorem) sapientiae & revelationis in cognitionem Christi, & beneficiorum quae per eum accepistis: sed etiam, det magis ac magis illuminatos oculos mentis, ad cognoscenda & videnda illa, quae nondum accepistis, sed sperantur, & exspectantur: coelestis nimirum haereditas.

Utraque interpretatio talis est, quae reiici meritò non possit. Mihi tamen magis probatur posterior. Aliquid enim ampliùs mihi videtur Apostolus precari Ephesiis & nobis omnibus, quam simplex donum, vel potiùs copiosiorem spiritum, hoc est, incrementum sapientiae, quae ex revelatione scripturarum per Spiritum sanctum, ad agnoscendum magis ac magis Christum, excitatur in mentibus nostris.

Petit enim à Domino, ut non solum augeat in mentibus nostris donum sapientiae seu fidei, verùm etiam, ut eas excitet ad usum hujus doni, seu ad rectè utendum hoc dono, illustratis mentis nostrae oculis, ut re ipsa cognoscamus, quae sequuntur. Fieri enim potest, ut quis habeat donum aliquod, sed illo aut non utatur, aut abutatur. Est autem non minus à gratia Dei usus doni, quam ipsum donum. Deus enim sicut non solum dat bonam voluntatem, sed etiam operatur in nobis ipsum velle: nec solum largitur facultatem aliquid efficiendi, sed etiam operatur ipsum perficere, ut ait Apostolus: sic etiam non solùm per suum Spiritum afflat mentibus nostris donum sapientiae, sed etiam efficit ut actu sapiamus: hoc est, non solum autor est actus primi (ut loquuntur Philosophi) sed etiam actus secundi. Ergo aliquid amplius hîc petit Apostolus à Deo Patre, quam in superiori versu: ac proinde rectè additur

tur particula copulativa καὶ, tum à Syriaco, tùm ab Ambrosio & aliis.

Ut autem sic interpreter, iis adducor rationibus. *Primum*, quia vox διανοίας, qua utitur Apostolus, & quam omnes vertunt mentem, *illuminatos* (inquit) *det oculos mentis vestrae*, vox inquam haec non significat simpliciter mentem, sed mentis agitationem, seu mentem agitatam, & agitantem: id quod fit, cùm excitata actu aliquid cogitat, & in seipsa volutat & intelligit. Petit igitur Apostolus, non solum ut menti affletur per Spiritum sanctum donum sapientiae: sed etiam ut ipsa mens permoveatur ad rectum usum hujus doni: ut actu sciat, quae sit spes &c. Ita *Secundò* loco adducor hac voce, *ut sciatis*, id est, ut reipsa certò intelligatis, & sciatis. Hoc autem fit, cum mentes nostrae donatae jam fide, & dono sapientiae, à Spiritu sancto excitantur ad rectum fidei & sapientiae usum. *Tertia* ratio sumitur à simili oculorum corporis, quo utitur. Ut oculus actu videat aliquid, duo in ipso requiruntur: Primùm facultas videndi: sed hoc non est satis. Nam etiam cum dormimus & in tenebris facultatem tenemus. Secundo igitur loco requiritur lumen, quo excitatus oculus sua utatur facultate, & corpora objecta, lumine detecta, actu videat. Ergo, ut etiam mens nostra, res divinas atque coelestes actu cognoscat, sciàtque, quae sit spes, ad quam vocavit nos Deus, quae sit & quanta nostra haereditas: non sat habet, si praedita sit dono sapientiae, sed opus illi est, ut lumine Spiritus sancti affecta, illuminata, permota, in actum secundum deducatur.

Cum autem non solum sapientia, sed etiam ejus usus sit donum Dei, ideò meritò dixi, Apostolum hunc etiam usum precatum fuisse Ephesiis dicendo: *Et det illuminatos oculos mentis*, &c. Id est, Et oculos mentis vestrae lumine suo per Spiritum sanctum illuminet, eóque excitet ad intelligendum & sciendum, quae sit spes, &c.

1. Quo ex loco intelligimus, Deum esse illum, *qui omnia bona in nobis operatur per suum Spiritum: ipse pellit nostram stultitiam, & donat sapientiam: pellit tenebras nostras, & mentes donat suo lumine, easque excitat ad videndum, et intelligendum, quae ad nostram pertinent salutem.* Nos quidem videmus, nos scimus, nos intelligimus, ideò ait, *ut sciatis:* sed ipse facit, ut sciamus, *illuminatis oculis mentis nostrae.*

2. Intelligimus praeterea, nobis non satis esse quod praediti simus fidei dono & sapientiae: sed opus esse, ut & haec & alia dona exerceamus, nec talenta Dei teneamus otiosa & sepulta: sed tum ad gloriam Dei, tum ad nostram & aliorum salutem illis bene utamur. Quod cum nos ex nobis ipsis facere non possimus (est enim & hoc singulare Dei donum), hoc a Domino petendum est: ut nimirum, qui dedit sapientiam, & fidem, idem etiam *det illuminatos oculos mentis nostrae,* quo possimus scire, quae nobis cognitu necessaria sunt: & qui dedit bonam voluntatem, operetur in nobis & velle, & perficere.

De Spe, & cur firma esse debeat.

Sequitur altera particula, qua explicatur, in quem usum precatus sit Apostolus

oculos

oculos mentis illuminatos dari Ephesiis nobisque omnibus: Ut sciatis, (inquit) quae sit spes, &c. Tria sunt, quae Apostolus praeter ea, quae supra dicta sunt, cupit à nobis sciri, id est, certò cognosci: quorum duo habemus in hoc vers. 18. tertium in vers. 19.

Primum est, ut sciamus, τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς vocationis ipsius, seu ad quam ipse scilicet Deus vocavit nos.

Illa particula τίς hoc loco non solum significat quae, sed etiam qualis ac quanta. Et sic Scholia interpretantur. Κλῆσις ἧδε καλεῖται ἐπὶ ποίαις ἐλπισιν ἐκλήθημεν. Sicut & illud quod sequitur, καὶ τὶς ὁ πλοῦτος, id est, quales & quantae sint divitiae.

Nomen spei duas praecipuas habet significationes: aliquando pro re sperata capitur, *Rom.* 8. Spes quae videtur, non est spes: id est, non potest sperari. Saepissimè pro dono, quo speramus, & futura bona promissa exspectamus: ut 1. *Corinth.* 13. Nunc autem manent fides, spes, caritas.

Interpretes omnes hìc accipiunt pro re sperata, ad quam vocati sumus. Quaenam illa res est? Volunt exponi membro insequenti, cum ait, *Et quae seu quantae divitiae gloriosae haereditatis illius.* Neminem improbo: praesertim ubi omnes consentiunt. Credo tamen mihi licere liberè dicere quod sentio; cùm meam sententiam sine ullius praejudicio dicam.

Cùm possit exponi hic locus de spe, qua nos sperare jubet Dominus: non video, cur cogar interpretari de re sperata: praesertim cùm res sperata statim subjiciatur.

Adde quod illa vox, *vocationis ipsius*, cogit me aliter, quàm alii, hunc locum interpretari. Dominus vocavit nos ad spem, id est, ad sperandum: sicut etiam vocavit ad fidem, id est, ad credendum: Et ad caritatem seu ad dilectionem, id est, ad diligendum: Ergo ad aliquid credendum; ad aliquid sperandum; ad aliquid amandum: ita ut, sicut differt fides, qua credimus, ab eo quod credimus, & dilectio ab eo quod diligere jubemur; sic etiam spes, ad quam sumus vocati, differt à rebus, quas sperare jubemur. Hunc igitur credo esse sensum hujus loci: precatum esse Paulum nobis donari *oculos mentis illuminatos*, ut sciamus & certò videamus spem, ad quam vocavit nos Dominus, id est, qua nos sperare jubet futura, quae nondum possidemus, bona, esse certissimam & firmissimis niti fundamentis: ita ut de futura possessione dubitare nullo modo debeamus. Non enim vocat nos Dominus ad spem incertam: sed ad certissimam, seu ad sperandas res, quas certò consecuturi sumus. Sic igitur interpretor, Ut sciatis τίς ἡ ελπὶς, &c. id est, qualis & quam certa sit spes, qua vos sperare jussit Dominus: atque ita ne ulla subeat animos vestros & mentes vestras dubitatio de rebus nondum praestitis.

Certè ut videatis, quam certa & firma sit haec spes in se, & quam firma esse debeat & certa in mentibus nostris: opus est illuminatione Spiritus sancti, qua videatis firmissima fundamenta, quibus illa nititur. Horum fundamentorum, exempli causa, aliquot subjiciam.

Primùm, qui ad sperandam haereditatem coelestem vos vocavit, Deus est, qui nec falli nec fallere potest. Is promisit omnibus in Christum credentibus, etiamsi opera legis non praestent, vitam illam aeternam. *Secundo*, promissionem

nem confirmavit jure jurando, per semetipsum jurando, quòd firmare omninò velit promissionem. *Tertiò*, eandem promissionem obsignavit Christus sanguine suo. *Quartò*, imò Christus sua morte eam nobis comparavit. *Quintò*, quid? quod inde ab aeterno nos gratis ad eam praedestinavit. Est autem praedestinatio immutabilis: quia non ex nobis pendet, aut ex operibus nostris, sed ex gratia Dei, meróque ejus beneplacito. Annon videtis quàm firma & certissima sit haec spes, quam vobis fecit Dominus, de aeterna haereditate? *Sexto*, adde quòd vobis debetur, quia filii estis effecti per fidem in Christum. Filiorum autem est haereditas. *Septimò*, Quid? quòd Christus jam in illius possessionem ingressus est: *Ubi autem ille, ibi tandem & vos sitis, oportet.* Ille enim caput nostrum est: nos autem membra. Caput autem suis membris carere nec vult, nec decet, eóque non potest.

Quis non videt, quàm firmissima & certissima sint haec fundamenta, quibus nititur spes sanctorum de aeterna haereditate? Ergò cùm certissimam vobis fecerit spem Dominus vitae aeternae, vos ad se vocando, & tam certis jam videatis eam niti fundamentis: debet etiam in vestris mentibus esse certissima. Debetur enim vobis illa haereditas jure electionis aeternae atque gratuitae: *jure promissionis divinae, juramento confirmatae, & sanguine Christi obsignatae:* jure quoque redemptionis, & quia comparata vobis est morte unigeniti, jure adoptionis in filios Dei, & denique jure conjunctionis cum Christo capite. *Octavò*, Quid? quòd ad hanc quoque estis obsignati à Spiritu sancto, & in vobis ideo perpetuò manet, ut sit vobis *arrhabo istius haereditatis* usque in diem *perfectae assertionis: Dominus det vobis apertos oculos mentis vestrae*, ut possitis videre, quam certa sit spes Christianorum omnium, ad quam nos Dominus vocavit. Non enim potest, quam certa sit haec spes videri, nisi ab iis, qui beneficio Spiritus sancti *oculos mentis habent illuminatos.* Mundus non videt; ideò nos, quos videt, contemptis praesentibus bonis hujus seculi, futuris tantum & coelestibus inhiare eàque sperare, deridet. Sed filii Dei, quibus illuminati sunt oculi mentis, vident quam certa sit sua & reliquorum omnium piorum spes, quamque certus nitatur fundamentis. Hunc puto esse sensum hujus loci. Proinde distinguo hoc membrum à sequenti: & sentio Paulum hìc loqui de spe, qua speramus: in altero autem de re, quam speramus.

Subdit autem confirmationem hujus certissimae spei à potentia Dei: qui nos ad spem hanc vocavit, speraréque jussit coelestem illam haereditatem: Quae, qualis, & quanta sit, innuit, subdens.

Et quae (quales, & quantae) *sint illae divitiae gloriae haereditatis illius, nempe det Deus ut cognoscatis.*

A qualitate promissae felicitatis iis, qui credunt in Christum, excitare voluit Ephesios & nos omnes ad persistendum in doctrina Apostolica.

Tribus autem nominibus illam vocat: Divitiarum, gloriae, & haereditatis. Divitiarum: quia ibi nihil desiderari potest: cum ibi futura sit copia bonorum omnium, quae quis appetere queat. Solent autem cumprimis haereditates esse divitiarum & bonorum. Gloriae: quia nihil gloriosius, quàm esse in coelesti aula apud Deum, cum Christo & Angelis ejus, inque loco gloriosissimo: ubi

verè

verè & sine intermissione glorificatur Deus: qua potissimum de causa status ille coelestis gloria appellari solet. Gloria enim divina, id est, Deitas & Majestas, ibi fit conspicua: gloriosa & divina bona ibi dispensantur: gloriosa ibi erunt corpora nostra, & animi nostri. *Daniel* 12. Fulgebunt sicut splendor firmamenti, & quasi stellae in perpetuas aeternitates.

1. *Cor.* 15. Stella differt à stella in claritate. *Matt.* 12. Et fulgebunt justi sicut sol in regno Patris mei, ait Christus. Haereditas verò vocatur, quia ea nobis, ut filiis, debetur: ita ut hac ratione nihil efficacius excludat opera legis. Est haereditas: non ergo à nobis comparatur operibus, sed gratis datur.

Docet etiam hac voce, illa bona certò expectanda esse, quia haereditaria sunt, quae certo jure possidentur. Item, esse igitur custodienda quàm diligentissimè.

Summa haec est; opulentam gloriosámque futuram nostram haereditatem in coelo propter Christum haberi sine operibus legis. Confirmant hoc quae sequuntur.

Ad tertium igitur quod attinet, subdit; *In sanctis*, Id est, qualis & quanta futura sit in sanctis. Nomine sanctorum intelligit fideles, ut suprà in titulo Epistolae, id est, qui Christo consecrati sunt, & illi fidunt. Sensus autem est: Cupere & rogare se ut sciant, quanta sit futura illa opulenta gloriosàque haereditas, quae promissa est sanctis, id est, credentibus in Christum. Et in ipsis est quidem jam spe: sed tandem etiam futura est plena possessione.

Non ergò aliis debetur, quam sanctis in Christum credentibus inque ejus fide perseverantibus. Quis autem queat, qualis quantàque illa sit futura, explicare? opus certè est verè *oculis illuminatis,* ut quis hoc intelligat 1. *Cor.* 2. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus iis qui diligunt se. Meritò igitur rogavit Deum Apostolus, nobis ut det oculos mentis illuminatos, ut haec intelligàmus: quia omnem humanum captum superant. Interim certissima est nostra de iis spes.

Atque hoc est secundum argumentum, ductum à commemoratione & qualitate illorum coelestium bonorum, quae credentibus in Christum inque ejus doctrina perseverantibus promissa sunt. Primum enim suprà ductum fuerat à qualitate, hoc est, certitudine spei, qua haec bona coelestia sperare jubemur.

V. 19. *Et quae sit illa excellens magnitudo potentiae illius in nos, qui credimus secundùm efficacitatem roboris fortitudinis ejùs.*

Postquam ostendit se indesinenter precari Deum, ut det nobis mentis illuminatos oculos, ut sciamus, primùm, quae sit, quàmque etiam certa sit spes ad quam vocati sumus, hoc est, qua jubemur sperare promissa, sed nondum exhibita bona coelestia: hac particula docuit voluntatem Dei certissimam & immutabilem esse, ut, qui in Christum credunt, habeant vitam aeternam.

De Magnitudine potentiae Dei.

Deinde, posteaquam etiam dixisset se rogare Deum, ut dentur illis oculi illuminati, quò sciant, quales quantaeque sint divitiae illius coelestis haereditatis

ditatis, promissae nimirum & praeparatae & debitae filiis Dei, id est, credentibus in Christum: (qua particula accendit desiderium fidelibus perseverandi in fide Christi.) Nunc transit ad tertium, quod quoque cupit & precatur à Deo, ut certo agnoscamus: nempe quanta sit potentia Dei, potentia inquam actualis, eaque salutifera in servandis suis promissis erga credentes. Hinc enim tertium argumentum deducit ad confirmandos nos in fide Christi: quoniam cum certissima sit voluntas Dei, qua certam spem fecit de aeterna felicitate credentibus in Christum: certò futurum est, ut etiam tandem possideamus, cùm sit potentissimus Deus qui promisit. Est autem hoc illud alterum, quo nititur fides & spes nostra: primum est voluntas Dei, quae patefit in verbo nobisque innotéscit ex donata sapientia & ex revelatione scripturarum: alterum est potentia, qua potest, quae promisit, praestare.

Tota haec potentiae Dei explicatio eò spectat, ut spem illam certam de haereditate illa coelesti tandem pleno possidenda confirmet: de qua ante dixit, ut sciatis τὶς ἡ ἐλπὶς, &c. Unde confirmat? ab immensa & supra modum excellenti potentia Dei.

Potuissent enim Ephesii dicere: magna quidem praedicas de illa haereditate, sed quales sumus nos, ut illam unquam assequi valeamus? Nos sumus è luto creati, redituri in pulverem, miseri homunciones, peccatum in nobis circumferentes, indigni & inepti, & omnino incapaces tot tantorùmque bonorum. Occurrit ergo Apostolus, & jubet nos intueri, non in nostram infirmitatem & indignitatem, sed superexcellentem magnitudinem potentiae divinae: quam excellenter in nos credentes exerturus est, sicut jam exeruit in Christo, dum illum suscitavit à mortuis: quasi dicat, *An non etiam Christus fuit homo infirmus, similis nobis per omnia, demto peccato? an non & ipse mortuus est?* Interim tamen Deus suscitavit illum à mortuis, evexit in coelum, & sedere fecit ad dexteram suam, unde omnia regit, quae in coelis & quae in terris, plenus gloria & honore. Cur non poterit Deus & vos resuscitare & in gloriosam illam haereditatem adducere? Cum autem promiserit nobis credentibus, omninò praestabit promissa.

Illud ὑπερβάλλον μέγεθος significat nullam esse potentiam in Satana, mundo, peccato, morte, quam non superet in immensum magnitudo potentiae Dei. Est ὑπερβάλλον μέγεθος potentiae Dei. Non debet igitur ullam dubitationem injicere nobis, vel imbecillitas nostra, vel caro nostra, vel peccata etiam nostra, vel Satan ipse, aut mors, quasi possint impedire, ne illam consequamur haereditatem, quae nobis debetur, *jure electionis, jure redemptionis, jure gratuitae promissionis, jure filiationis, jure conjunctionis cum Christo capite: quia omnipotens est ille, qui promisit, qui elegit, qui redemit, qui adoptavit in filios.*

Illud, *in nos qui credimus*, Primùm declarat, Apostolum non loqui hîc neque de potentia Dei absoluta, quae infinita potest facere, quae tamen non vult: neque de ea qua condidit coelum & terram, & qua, quaecunque voluit, fecit. Sed de illa, qua speciatim regit Electos, donat fide, ab omni malo eripit, sanctificat, regenerat, & qua tandem glorificabit, felicésque reddet in coelo.

Deinde, eadem vox docet Apostolum non loqui hîc de nuda Dei potentia, sed eam conjungere cum ejus voluntate: quid enim est quod credimus? quod

 ille

ille promisit: fides enim Christiana nititur promissionibus Dei: quid vero ille promisit? utique quod vult, imo quod voluit ab aeterno. Meritò ergò ait Deum suam potentiam salvificam exerturum in eos, qui credunt suae nimirum revelatae voluntati. Quid hoc autem aliud est, quam faciet quod vult & quod se velle significavit suo verbo? Ergò, in confirmanda spe nostra de aeterna salute, non debemus nudam Dei omnipotentiam considerare. Sed conjunctam cùm divina voluntate in verbo revelata. Non enim locum habebit illa salvifica potentia, nisi in credentibus voluntatémque Dei facientibus. Haec est autem voluntas Patris mei, ait Christus *Johan.* 6. ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam. Alioqui turpiter se ipsum decipiet, qui sic argumentabitur: Deus est omnipotens: Ergò servabit me.

Ita quidem, si credas in Christum. Quia illa salvifica potentia non se exerit, nisi in credentes.

Tertiò, eadem vox confirmat scopum Apostoli de salute aeterna, non per opera legis, sed per fidem in Dei potentia, qua servat in aeternam vitam credentes. Vita igitur aeterna habetur per fidem.

Sequitur: *Secundum efficaciam roboris fortitudinis ejus, quam exeruit in Christo.*

Bifariam construuntur haec verba. Quidam conjungunt cum particula immediatè praecedente, εἰς ὑμᾶς τοὺς πιστεύοντασ: πιστεύοντας, inquam, non secundùm vires nostras, *sed secundum efficaciam roboris fortitudinis, &c.* Sic Scholia Graeca: εἰ γάρ μὴ ἐνήργησεν ἐν ἡμῖν, οὐκ ἂν ἐπιστάμεθα. Item εἴπερ τί μέλλον λέγει καὶ γεγονὸς, ἵνα ἐκ τούτου πιςτευσῇ κἀκεῖνα. ποῖον δε τοῦτο; αὔτο τὸ πιστεῦσαι ἡμᾶς. οὔτως γάρ μεγίστης δυνάμεως Θεοῦ δεῖγμα, τὸ ἥμας τοῦς οὕτω δηρώδεις πιστεῦσαι Θεῷ, καὶ τὰ οὐρανία Φιλοσοφεῖν.

Juxta hanc lectionem duplex hìc erit argumentum, quo demonstrat Apostolus superexcellentem magnitudinem potentiae Dei salvificae: atque ita, qua confirmet spem nostram de consequenda haereditate coelesti; unum spectatur in nobis credentibus, alterum in Christo capite, de quo mox subdit, quam exeruit in Christo.

1. Primum argumentum est hoc: An non Deus suam potentiam salvificam jam ex parte declaravit & declarat in nobis, *dum donat fide, & ex consequenti justificat, sanctificat, abolet peccatum in nobis, nósque facit participes suae naturae, & primitias donat sui Spiritus?* Haec enim omnia consequuntur fidem, quam certè non habemus ex nobis ipsis, sed à Deo, *qui eam in nobis operatur secundùm efficaciam roboris fortitudinis ejus.* Cur igitur non poterit etiam, secundùm eandem suam efficacitatem potentiae, nos in possessionem aeternae illius haereditatis inducere? Et certè magnum est argumentum potentiae Dei, cùm impios, donata fide, mutat. Et ex impiis facit pios, sanctos, justos. Non est igitur cur extra nos quaeramus quam magna sit haec potentia Dei salvifica: cum in nobis ipsis manifestum specimen illius & experientiam habeamus.

2. Alii conjungunt cum superioribus, nempe cum illis verbis, ut sciatis quae sit seu quàm excellens sit illa magnitudo potentiae ejus, secundùm efficacitatem. Ut sit sensus, ut sciatis quanta sit magnitudo potentiae ejus, quam in nos declaraturus est, secundum efficaciam roboris fortitudinis ejus, quam exeruit in Christo: quasi dicat, sicut robore potentiae suae excitavit Christum à mortuis,

tuis, & ad dexteram suam exaltavit: sic & nos secundùm eandem potentiam suam excitabit: nos inquam, qui credimus in Christum. Juxta hunc sensum, exemplum potentiae Dei, quam in nos exercebit, cùm resuscitabit à mortuis, vult Paulus à nobis considerari in Christo, seu à robore illius fortitudinis, qua Christum, è faucibus mortis ereptum, ad dexteram suam evexit in coelum: ut videamus quid ex eo sit sperandum. Ita unum tantùm fuerit argumentum, quo nos confirmet in spe resurrectionis & felicitatis aeternae: nempe, quia, si caput nostrum excitavit, ergo & membra.

Sed si possimus utrumque argumentum retinere, fuerit melius. Retinebimus autem, si cum Scholiis Graecis & Bucero primam constructionem retineamus. Nam quam potentiam in nobis fide donandis, & à peccato, in quo eramus mortui, resuscitandis, gratiáque regenerationis donandis, declaravit ex parte: eam posteà palàm exeruit in Christo, cum eum suscitavit à mortuis. Itaque sic *primò* argumentabimur: Deus nos sua potentia immensa suscitavit à peccatis, & à morte aeterna liberavit, atque justificavit & sanctificavit, donata nobis fide. Ergò etiam suscitabit corpora nostra à mortuis, & in coelo glorificabit. Et hoc argumento utitur Paulus cap. 2 in ipso initio, cùm alloquitur Gentes.

Secundò, sic spem nostram confirmabimus: Deus suam potentiam exeruit in Christo capite nostro, dum eum suscitavit à mortuis. Ergò etiam in nobis exeret resuscitando à mortuis: & in coelo nos tandem glorificando. Interim alteram expositionem non damno.

Ad nonima ista tria quod attinet, secundùm ἐνεργείαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ: sic interpretor, ut ἐνεργεία sit ipsa efficax operatio: quae proficiscitur immediatè ἀπὸ τοῦ κράτουσ. Κράτος igitur erit potentia & vis exerta, qua quis aliquid agit: & haec proficiscitur ἀπὸ τῆς ἰσχύος vel δυνάμεως.

Δύναμις igitur & ἰσχὺς erit nobis naturalis vis & potentia in sese considerata. Ut non malè Calvin. Comparavit ἰσχυν radici, κράτος arbori cum ramis: ἐνεργείαν, fructibus.

Etiam Philosophi tria statuunt, unde opera nostra proficiscuntur: δύναμιν, Φυσικήν ἕξιν, habitum, uti sunt virtutes, & ἐνεργείαν. Opus oritur ab ἐνεργεία: ἐνέργεια ab habitu bono vel malo: hic à naturali potentia. Κράτος propriè significat robur actuale, quod aliquid in manu quasi tenemus, & in nostro habemus imperio ac potestate. Ideò etiam de tyrannis praedicatur, qui actuali vi & violentia agunt omnia, non autem jure.

Certum est Paulum velle opus bonum in nobis, uti est fides & alia, esse ἐκ τῆς ἐνεργεὶας τοῦ ϑεοῦ, id est, ab efficaci operatione Dei, in nobis operantis, ἐνεργείαν autem ἐκ τοῦ κράτους, id est, ex actuali robore, quasi à manu & brachio exerto; κράτος autem ἐκ τῆς ἰσχύος: omnia autem haec nomina posuit Apostolus, ut clariùs & efficaciùs exprimeret excellentem illam magnitudinem potentiae Dei. Perinde igitur est atque si dixisset, κατά τὴν ἐνεργείαν, id est, secundùm actualem efficacitatem omnipotentiae ipsius naturalis.

Hoc igitur argumentum retinendum est ab immensa Dei potentia, qua servat credentes, ductum à potentia inquam Dei, sed cum ipsius voluntate conjuncta: ita ut priùs de voluntate fiamus certiores: ac tum

demum

demum ad potentiam recurramus, qua fidem de voluntatis complemento confirmemus.

V. 20. *Quam exeruit* (efficaciter operatus est) *in Christo, cum illum suscitavit à mortuis, & sedere eum fecit ad dexteram in supercoelestibus.*

Vidimus tertium quòd Apostolus precatus est Deum, ut cognoscamus nempe quanta sit superexcellens magnitudo potentiae Dei (potentiae scilicet salvificae) erga credentes. Ex qua potentia tertium ducitur argumentum, quo Apostolus confirmat fideles in fide Christi: atque ut in ea & perseverent, & incrementum faciant, persuadet. Fore enim ut, quae restant bona, resurrectio scilicet à mortuis & aeternae haereditatis plena possessio, ea tandem consequamur à Patre coelesti.

Ratio haec, qua confirmatur certa illa spes, ducitur à potentia illius, qui promisit: quae bifariam consideratur. Primò, quatenus ea est efficax in omnibus credentibus: Secundò, quatenus fuit & est efficacissima in Christo capite nostro. Ex priori consideratione tale argumentum conficitur.

Quam plurima, quae praedestinaverat Deus, & quae posteà se facturum promiserat, *jam effecit nobis secundum efficacitatem roboris potentiae suae:* veluti est fides, qua nos donavit, & quae hanc consequuntur, *justificatio, sanctificatio, regeneratio:* non enim sumus credentes & justi secundùm vires nostras, sed secundùm efficacitatem Dei. Ergò reliqua, quae restant ea ut consequamur, efficiet.

Ex posteriori consideratione talis educitur ratio. Quae restant nobis communicanda bona, veluti sunt resurrectio corporum & plena aeternae vitae possessio, ea plenè perfecit in Christo capite nostro. In eo enim exeruit suam potentiam, suscitando eum à mortuis. Ergò, secundùm eandem potentiam, eadem in nobis etiam membris Christi perficientur.

Quare cùm potentia Dei salvifica sit efficax in nobis tantùm, qui credimus in Christum: in ejus fide & doctrina persistendum est.

Nunc itaque explicat, quomodo Deus opus suae immensae potentiae effecerit in Christo: inde ostendens, quid in nobis quoque facturus sit, si in Christo permaneamus.

De gloria Christi.

Describit autem Christi gloriam, ad quam ascendit per potentiam divinam. Dum verò hanc demonstrat, simul, pulcherrima distributione, praecipuos fidei nostrae de Christo articulos proponit considerandos. Haec est materia fidei. Sunt autem sex membra hujus distributionis, totiùsque hujus contextus.

Primum est, quod ait, Deum excitasse Christum à mortuis. Docet igitur *eum verum hominem fuisse factum, verè passum, mortuum, sepultum.* Haec enim omnia concluduntur ex ejus resurrectione à mortuis.

Secundum est, quòd ait, *Deum fecisse Christum sedere ad dexteram suam in super-*

supercoelestibus locis. Asseritur ergò ejus ascensiò in coelum, & sessio ad dexteram Dei. Ubi etiam innuitur ejus Deitas. Et haec duo membra continentur v. 29.

Tertium est, quòd per quandam expolitionem exponit, quid sit istud *sedere ad dexteram Patris in supercoelestibus:* nempe quòd exaltatus supra omnes in universum creaturas, tam coelestes quàm terrestres, factus sit consors summi illius imperii, quo Deus omnia regit & gubernat, tam in coelo quàm in terra.

Quartum: quòd hoc imperium & regnum Christi sit aeternum: quia non solùm in hoc seculo regnat supra omnia: sed etiam in seculo futuro regnaturus est. Ita hic asseritur articulus de regno Christi, cujus regni nullus futurus est finis: ut habet Symbolum Nicaenum.

Quintum est, quod ait, *Deum subjecisse sub illius pedes omnia:* nempe praeter Ecclesiam: *Ecclesiae verò dedisse seu constituisse hunc Jesum caput supra omnia.* Quibus verbis multa significantur: sed inprimis regnum & imperium Christi esse amplissimum: verùm diversa ratione regnare in Ecclesia, illámque regere, quae non est sub illius pedibus, sed est ejus corpus. Et alia ratione imperare reliquis creaturis, quas sub pedibus habet, contriturus omnes suos hostes. Ubi illius etiam judicium universale indicatur, quo omnes impios & hostes conculcabit & damnabit: Ecclesiam verò suam in coelum recipiet. Asseritur etiam articulus de Ecclesia, & de communione sanctorum.

Sextum, quod ait, *Christum omnia implere, occupare & regere:* Quibus verbis docetur, Christum in coelo non esse otiosum, sed suam regere Ecclesiam, influere ei vitam & motum, omniàque bona in nobis operari. Ita innuitur quoque ejus Deitas, & omnipotentia.

Haec est distributio, & summa totius hujus contextus: in quo gloria, ad quam Christus post resurrectionem ascendit per potentiam Dei, describitur. Nunc singula percurramus.

V. 20. Quam exeruit in Christo: quum suscitavit eum à mortuis & sedere eum fecit ad dexteram suam in supercoelestibus.

Bifariam Deus in Christo suam exeruit potentiam. *Primùm,* cum ita in eo operatus est, ut ea opera in alios redundarint: hoc est, ita, ut actio fuerit in Christo & per Christum, opus autem in aliis: ut cùm loquebatur verba aeternae vitae, quibus fidem in Electis excitabat: cùm sanabat aegrotos, ita ut sanitas efficeretur in hominibus. Et de hac potentiae Dei operatione, atque efficacitate, Christus locutus est, dicendo: *Joh.* 5. Pater in me manens ipse facit opera. *Deinde,* cùm ita in eo fuit efficax, ut etiam opus in eo manserit: ut cùm illum, *quatenus homo erat,* replevit Spiritu sancto, cum suscitavit à mortuis, sederéque fecit in coelestibus. De quibus jam dicturus est.

Usus prioris potentiae manifestus est, utilitas nimirum illorum, in quibus hujus potentiae effecta relinquebantur, tam corporalia quàm spiritualia. Usus hujus etiam alterius in Christo potentiae non fuit solius Christi, sed etiam noster, ut jam docet Apostolus: nempe, ut nos inde confirmaremur in spe, fore ut eadem in nobis ipsis facta cernamus: nimirum nos excitatum iri à mor-

mortuis, & glorificandos in coelestibus cum Christo. Quaecunque igitur fecit Pater in Christo, & per Christum, omnia in nostram fecit salutem.

Quum suscitavit eum à mortuis.

Ad suscitationem igitur mortuorum opus est divina omnipotentia: usque adeò potens est mors, ut ex ejus vinculis ne Christus quidem liberari potuerit, nisi divina efficacitate. Cùm autem Christus sese suscitaverit à mortuis, juxta illud *Joh.* 2. Solvite templum hoc, & ego excitabo, seu reaedificabo illud intra tres dies: loquebatur autem de templo corporis sui: inde efficitur Christum verum fuisse & esse Deum omnipotentem. Ita Christi resurrectio à mortuis manifestum est testimonium & verae humanitatis ejus, & simul etiam verae Deitatis.

Quomodo Christus dicatur suscitatus.

Quomodo verò dicit Christum suscitatum fuisse, cum neque ejas Deitas, neque etiam anima fuerint suscitata, sed tantum corpus? non enim suscitantur nisi mortui: anima autem non est mortua, multò minus Deitas personáve Christi.

Resp. Toti personae datur, quod solius fuit corporis: idque propter unionem personalem, ut vocant. Apostoli has locutiones explicare solent: ut cùm ait Petrus *Epist* 1 *cap.* 3. Mortificatus quidem carne, vivificans autem Spiritu. Item c. 4. Christo igitur passo in carne, &c. Item Paulus 2. Cor. 13. ait, *Christum mortuum esse secundum infirmitatem carnis: sed resurrexisse secundum potentiam Dei:* eóque & suam. Ergò cùm etiam contrà legimus Christum esse omnipotentem, item esse in coelo simul & in terra eodémque tempore, & alias similes locutiones reperimus: eodem modo sunt explicandae, quo & Apostoli illas alias, de quibus antè diximus, explicarunt: nempe ut de toto quidem Christo praedicentur, sed respectu unius naturae, *passus est carne, non Spiritu, & tamen Christus ipse passus est, mortuus, excitatus à mortuis:* Ergò etiam rectè dicitur totus esse omnipotens, totus ubique, sed non nisi Deitate, seu respectu Deitatis, non autem humanae naturae, vel corporis vel animae. Scholastici dicunt, totus Christus passus est, sed non totum: totus ubique est, sed non totum, id est, non secundùm totum, omnésque ejus partes vel secundùm utramque naturam. Graecismus est: Et sic etiam sensit & locuta est tota pia vetustas. Legantur Dialogi Theodoreti & Damascenus libro 3. Retineamus igitur & nos Phrases Apostolicas & Apostolicas explicationes.

Quid? quod communis sensus idem confirmat? nemo est qui non ita loquatur de nobis hominibus: homines scilicet mori, cùm tamen una tantùm pars moriatur, nempe corpus: homines item esse praeditos ratione, cum tamen id de sola anima seu mente intelligatur. Quid igitur garriunt imperiti homines de transfusione proprietatum divinae naturae in humanam? Si ab unione humanae naturae cum persona filii Dei licet hanc transfusionem concludere, cur non licebit etiam concludere corpus Christi factum esse immortale, simul ac unitum fuit cum natura divina in persona filii Dei? Nam etiam immortalitas pro-

prie-

prietas est divinae naturae: item, si humana natura in Christo propter unionem facta est omnipotens: potuit igitur etiam corpus non mori: & mortuum potuit seipsum excitare: id Paulus negat, dicendo, *Deus excitavit.*

2. Illud verò praetereundum non est, quòd ait, Christum excitatum fuisse divina potentia, non è sepulchro, sed à *mortuis.* Ergò significat Christum fuisse cum aliis mortuis consociatum, pro quibus mortuus erat, si à mortuis fuit excitatus. Venerat enim seu descendit in statum demortuorum: sed ex illo statu eum potentia Dei revocavit in statum viventium: & talium viventium, qui ampliùs non moriantur. In quem verò finem? Apostolus respondet, ut in eo declararet potentiam suam erga nos: id est, ut ostenderet, quid facturus porrò esset cum reliquis mortuis, pro quibus Christus mortuus fuerat, & quibus fuerat adjunctus Christus (inquit Apostolus *Rom.* 14.) in hoc & mortuus est & resurrexit ac revixit: ut vivis & mortuis dominaretur. Itaque Christus primus resurrexit, primitiae dormientium: ut per eum à mortuis excitatum nos quoque à somno mortis excitemur, & è statu mortuorum revocemur in statum verè viventium, divina potentia. *In Adam omnes moriuntur: & in Christo omnes vivificabuntur.* 1. Cor. 15.

3. Si a mortuis excitatus fuit: ergò non fuit amplius cum mortuis & apud mortuos suos corpore.

His paucis verbis complexus est Apostolus articulum *de incarnatione Christi, de passione, de morte, de sepultura, de descensu ad inferos,* id est, ad statum demortuorum: ut initio diximus.

Sequitur ascensio in coelum, & exaltatio ad summam gloriam.

De locis supercoelestibus.

Et sedere fecit ad dexteram suam in supercoelestibus (locis), nempe in quae jam ascenderat suo corpore. Ascensio enim in coelum hîc necessariò includitur & continetur.

Porrò de voce ἐν τοῖς ἐπουρανίοις suprà diximus in initio Epistolae. Neque enim vox haec metaphorica est, aut μεταφορικῶς intelligenda: quemadmodum illud *sedere ad dexteram Dei.* Deus enim incorporeus neque dexteram habet neque sinistram. Imò metaphora est etiam in verbo sedendi. Neque enim statuimus ibi sellam in qua sedeat. At verò supra hosce spectabiles coelos esse aliud supremum coelum, à Deo creatum, in quod ascendit Christus suo corpore, certo certius est, quia scripturae hoc testificantur abundè, ut partim vidimus de principio, partim visuri sumus alibi in hac Epistola, Deo favente. Et sic tota sensit antiquitas, à cujus fide & doctrina recedere non debemus, nisi manifestis sacrarum literarum testimoniis erronea fuisse convincatur, ita ut ab illis Patribus dissentire omninò cogamur.

Locus certè manifestus est in Epistola ad Hebr. c. 11 v. 10 ubi locum beatorum vocat Apostolus civitatem habentem fundamenta: cujus opifex (inquit) & conditor est Deus. Infrà verò v. 16 eandem vocat ἐπουρανίον. Ergò retineamus, Christum suo corpore ascendisse in verum & supremum coelum: id

id quod hîc innuit Apostolus, cùm ait, *illum sedere ad dexteram* Dei, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. De qua ascensione dicetur in quarto capite.

Sedere ad dexteram Dei quid?

Caeterùm, cùm sedere ad dexteram Dei manifesta sit metaphora, videndum est, quid hac metaphorica locutione significare voluerit Apostolus. Augustinus in expositione Symboli accepit pro quiescere cum Patre in illa aeterna beatitudine: sedere enim nonnumquam significat quiescere. *Hoc convenit Christo; post tot enim exantlatos labores, post crucem, post mortem, quiescit beatus in coelo: non utique otiosus (regit enim Ecclesiam & interpellat pro nobis) sed sine labore.*

2. Idem Augustinus in eodem Symbolo accepit etiam pro habere cum Patre regiam & judiciariam potestatem, qua omnia regit, & judicaturus est vivos & mortuos. Atque haec propria est hujus loci Apostolici interpretatio. Metaphora enim sumta est à rege aliquo, qui habeat filium, eúmque unigenitum vel primogenitum. Hunc tanquam haeredem & successorem collocat, sederéque facit ad suam dexteram: ut secum regnet, & jure dominationis utatur supra omnia, quae ad regnum pertinent.

Christum igitur sedere ad dexteram Patris est non solùm quiescere à laboribus, sed imprimis constitutum esse regem & gubernatorem coeli & terrae: datàmque illi esse omnem potestatem in coelo & in terra: ut unà cum Patre omnia regat, subjectis illis rebus omnibus.

Hunc esse sensum, praeter metaphorae explicationem, praetérque Patrum & aliorum doctorum virorum interpretationes, scipturae aliae confirmant, quae de eadem sunt re, si diligenter perpendantur; ut locus ex Psalm. 110. ubi de rege Christo agitur, qui Pontifex fuit secundùm ordinem Melchisedech: Sede (inquit ad eum Pater) à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Paulus autem 1. Cor. 15. interpretatur dicendo: oportet illum regnare, donec ponat inimicos scabellum pedum suorum. Ergo sedere est regnare. Item Actorum 2. perspicua est Petri interpretatio, qua dictum Psalm 110. de regno Christi interpretatur, deque potestate accepta à Patre in coelo & in terra administrandi res coelestes & terrestres. Item Hebr. 1. ait illum sustinere portareque omnia verbo suo potente, id est omnia regere: & ita subdit, eum sedere ad dexteram majestatis ejus in excelsis: & in Apocalyp. saepè, quòd sedeat in throno, id est, regnet. Sed quid clarius verbis, quae sequuntur in hoc contextu? Quid enim sibi vult, quod subdit Apostolus, Christum exaltatum supra omnes principatus & potestates: *Item*, omnia subjecta esse pedibus ejus, capútque Ecclesiae constitutum, & quod impleat omnia in omnibus: quàm esse factum dominum omnium & regem universorum: & hoc esse sedere ad dexteram Patris? De sensu igitur hujus figuratae locutionis dubitari ampliùs non debet. Caeterùm quo meliùs hic locus, quo permulti ad probandam suam de omnipraesentia carnis Christi doctrinam abutuntur, intelligatur, multa sunt consideranda, & expendenda in verbis Apostoli.

1. Postquam dixerat Deum excitasse illum à mortuis, subjecit, *& sedere eum*

eum fecit in coelestibus ad dexteram suam: quid ita? ut declararet suam superexcellentem magnitudinem potentiae suae: ex qua intelligeremus, quid porrò facturus esset nobiscum. Mortui sunt in loco infimo, subtus terram: ἐπουρανία sunt supra coelos hosce. In hoc igitur apparet potentia Dei: quòd ex loco infimo statim ad supremum evexit Christum. Nos quoque & scripturae docent: *Excitati à mortuis obviam ibimus Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus*, ait Apostolus, 1. Thess. 4. Coelum igitur non est ubique: nec Christus suo corpore evanuit, sed verè ascendit in supercoelestia. Quò pertinet, quod ait Petrus in *Actor. cap.* 3. Quem oportet coelum capere, usque in tempus restitutionis omnium, Actor. 13, Sive activè legas, sive passivè, verbum illud δέξασθαί, liquet inde coelum certum esse locum, ubi Christus est suo corpore. Nam sive capiat, sive capiatur hoc coelo: coelum hoc non est res spiritualis, & ubique existens: Nam alioqui etiam ante ascensionem fuisset corpus Christi in hoc coelo. Nisi velis dicere antè nullibi fuisse.

2. Ait, fecit eum sedere. Quem eum? Christum totum: non enim ait, *Et sedere fecit corpus ejus:* sed eum. Christum Deum & hominem, seu Deum in carne manifestatum: eum quem à mortuis excitatum ascendere fecit in coelum ad dexteram suam. Ergo, si sedere ad dexteram Patris est cum illo regnare, & imperium in omnia habere: Christus totus, non solùm qua Deus, sed etiam qua homo, habet hoc imperium: id est, humana natura, in persona filii Dei, regnat & regit omnia; quomodo? Num quod ipsa sit ubique? Nequaquam: (quasi verò quae loco à nobis longè distant regi à nobis non possint) sed quia Christus, quicquid vult voluntate Deitatis, vult etiam voluntate humanitatis: & quicquid illa voluntate imperat, imperat & ista: & quicquid agit in Ecclesia ut Deus, agit & ut homo, sed per suum Spiritum, tam in terra quàm in coelo.

Quae natura sedeat ad dexteram.

Sed, inquies, *non videtur benè dici, Christum qua Deus est jussum fuisse ad dexteram Patris post resurrectionem à mortuis sedere. Nam anteà etiam cum Patre regnabat.* Item, *sicut totus quidem Christus dicitur à mortuis excitatus fuisse, verùm non respectu divinae naturae, neque etiam animae, sed tantùm corporis: sic etiam dici non debet sedere ad dexteram Patris, nisi respectu humanae naturae.*

Resp. Etiam anteà semper regnavit cum Patre, sed ut Deus sine carne: at verò post resurrectionem, tanquam Deus manifestatus in carne, coepit sedere ad dexteram Patris, id est, regnare in coelo & in terra: antè regnabat cum Patre, ut Deus nudus, seu sua tantum gloria indutus; at pòst ut Deus carne nostra etiam vestitus. Hoc nil aliud est, quàm Deum Patrem non dedignatum fuisse Filium suum hoc honore & imperio, licet hac nostra vili carne vestitum videret: sed in consortium regni etiam ut talem admisisse, naturam illam humanam hoc honore afficiens, quia adglutinata erat Filio suo in unitatem personae. Sicut si rex filium, qui secum in regia majestate regnabat, posteà pannosis etiam vestimentis indutum à regni administratione non rejiciat, sed sic quoque vestitum ad suam dexteram sedere jubeat.

Christus igitur etiam quatenus Deus, non simpliciter, sed quatenus Deus in carne

carne manifestatus, tùm primùm coepit sedere ad dexteram Patris. Sicut etiam contrà, *idem Christus, non quatenus homo simpliciter, sed quatenus homo in tali persona subsistens, sedet ad dexteràm Patris:* id est *regnat & imperium exercet in res creatas.* Neque enim ulli rei creatae per se consideratae convenit sedere ad dexteram Patris. Ideò Apostolus *Hebr.* 1 ex sessione Christi ad dexteram Dei concludit non esse puram creaturam, sed verum etiam Deum: Deum scilicet manifestatum in carne. Proinde humana in Christo natura, sicut in se simpliciter considerata adorari non potest, sed tantùm quatenus personae filii Dei inseparabiliter unita est: sic etiam per sese ad dexteram Patris sedere non dicitur, sed in persona filii Dei. Proinde rectè Apostolus non dixit, & sedere fecit corpus ejus, *sed eum Christum ad dexteram Patris:* nempè & quatenus Deum, sed in carne manifestatum: & quatenus hominem, sed in unitatem personae à filio Dei assumptam.

3. Neque illud omittendum est, quod non dicat Apostolus, fecit eum esse ad dexteram suam: sed fecit sedere, id est, secum regnare. Proinde non valet argumentum ubiquitariorum à sedere ad esse, seu à figurata locutione ad propriam, cum inquiunt: Ubicunque est dextera Dei ibi est humanitas Christi: quomodo probant? quia Christus cum sua natura humana ideóque & ipsa natura humana sedet ad dexteram. Dextera autem Dei est ubique. Resp. Sed Paulus non ait, *Deus fecit esse ad dexteram suam,* ne putaremus propriam esse locutionem, sed figuratè dixit, fecit sedere ad dexteram, id est secum regnare fecit: ita ut etiam humana natura in Christo regnet cum Patre. Potest autem quis ubique regnare, etiamsi non sit ubique essentialiter. Sic igitur componant argumentum, *Ubicumque est dextera Dei* id est, ubicunque regnat Deus, *ibi sedet ad illam dexteram Christus, etiam qua homo,* id est ibi regnat. *Atqui ubique illa est, & ubique regnat Deus; Ergo ubique etiam regnat Christus, qua homo est, adeòque regnat humana ejus natura.* Hoc dabimus.

At 1. Pet. 3. v. ultimo habetur, *Qui est in dextera Dei.* Resp. Exponendus locus cum participio sedens: sicut & *Coloss.* 3. Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.

4. Neque illud caret sua emphasi, quod addit ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Non ergo citius fuit Christus cum sua humana natura ad dexteram Patris sedens, quàm cum ascendit in coelum: ita ut aut locus iste nil serviat adversariis ad suum dogma probandum: aut argumentum, ab unione ὑποστατικῇ ductum, omnino nullum sit: imò in utroque pueriliter ineptiunt. Apostolus ait, sedet in excelsis Christus: isti aiunt, Ergo ubique est corpus Christi. Quod de tota persona Christi; sed in carne manifestati dicitur, isti contrahunt ad corpus: & quod contrahitur ad verbum sedendi, id est, regnandi, extendunt ad esse propriè & substantialiter acceptum: & quod ait Apostolus ἐν τοῖς ἐπουρανίοις interpretantur pro ubique. Scimus Christum ubique esse, sicut etiam ubique regnat. Est enim ejus persona immensa: sed non idem valet de ejus corpore seu de humana natura: quia licet ubique regnet in persona filii, non est tamen ubique substantialiter, cùm non sit immensa.

Caeterum usus hujus Articuli magnus est. 1 Primùm Apostolus adjecit particulam ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ut nos moneret humanam Christi naturam non

in

in terris sed in coelis esse quaerendam & contemplandam, fidéque apprehendendam, non manibus & dentibus arripiendam. Et hoc docet Paulus ipse, ad *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est (sua carne) in dextera Dei sedens. Dicendo enim *ubi* indicat locum sursum. Ibi igitur & non alibi esse Christum sua carne, eóque ibi quaerendum. Nam propter Deitatem non erat dicendum sursum, & ibi: quia ubique est. Sua igitur carne ibi tantum est, ibíque quaerendus, non alibi.

Item propriè hac voce significare voluit Apostolus, humanam Christi naturam, sicut in terris fuerat variis affecta doloribus & ignominiis, sic nunc in coelis factam esse gloriosam, & regnare cum Deo: ut inde videamus, quid de nobis quoque, qui sumus membra Christi, caro de carne ejus, & os ex ossibus ejus, sperandum sit, secundum efficacitatem potentiae ejus, quam in Christo exeruit. Idem Apostolus hunc usum explicat *Phil.* 3. Nostrum πολίτευμα in coelis est: unde & servatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, & conforme reddet corpori suo glorioso, secundum efficaciam qua potest etiam sibi subjicere omnia. Sunt ergo oculi nostri in illa ἐπουράνια attollendi, & inde spes confirmanda fore ut tandem Jesus Christus nostra quoque corpora suo similia faciat, recipiátque ad se in coelestes illas sedes.

3. Alium etiam usum tradit idem Apostolus, *Hebr.* 4. Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum filium Dei: teneamus professionem. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae ejus: ut consequamur misericordiam & auxilium in tempore opportuno. *Et c. 8.* Talem habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram throni majestatis in coelis, sanctorum administrator.

Et Rom. 8. dicitur Christus sedere ad dexteram Dei, & pro nobis interpellare. Ex sessione igitur Christi ad dexteram Dei, in excelsis illis locis, vult Apostolus concipi à nobis fiduciam illum adeundi, Spiritus & fidei pedibus invocandi, & quicquid petierimus impetrandi. Atque hi sunt praecipui usus hujus doctrinae de sessione Christi ad dexteram Dei, in supercoelestibus locis.

V. 21. Longè supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro.

Duo praecipua hîc continentur. *Primum* expositio, qua explicat quid sit istud sedere Christi ad dexteram Dei in supercoelestibus locis: nempe, quod Christus cum sua carne exaltatus sit supra omnes in universum creaturas, tam coelestes quàm terrestres, & quicquid nominari potest, accepta supra omnes potestate & imperio, Rex regum, & Dominus dominantium. *Alterum* est, quod hoc Christi regnum atque imperium aeternum est: quia exaltatus non solum in hoc regnat, verum etiam in futuro seculo regnaturus est.

De Principatibus.

De primo ait ὑπεράνω. Scholia οὐ λέγει ἄνω, ἀλλὰ τὸ ἄγαν ὑψηλὸν δηλῶν ὑπεράνω φησιν. Subaudi verbum, exaltatus in coelum sedet ad dexteram, Nomine principatus, &c. Patres, Hieronymus, Chrysostomus, Theophilactus, & alii intellexerunt an-

gelicas

gelicas duntaxat potestates: idque propter vocem, in coelestibus, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Interim, quomodo inter se differant, non definiunt. Et Augustinus in Enchiridio cap. 58. docet sciri certo non posse. Scholia tamen audent cum Dionysio definire. Alii de terrenis tantum potestatibus interpretantur. Alii, quibus subscribo, intelligunt non solum omnes principatus terrenos: verùm etiàm coelestes, & angelicos simul.

Primum enim scopus Apostoli est demonstrare Christum, quâ homo etiam est, eóque ejus carnem, supra omnes creaturas exaltatum esse, & imperium in omnia accepisse.

Deinde Christus ipse antè dixerat, Data est mihi omnis potestas in coelo & in terra. Omnes igitur etiam principatus angelicos & coelestes complexus est Apostolus iis vocibus.

Tertio, Petrus ipse apertè hoc docet. 1. *Petri*. 3. Qui (Christus) est ad dexteram Dei profectus in coelum, subjectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus. Excludi ergò non possunt angelicae potestates.

Quarto, adde & locum ad Coloss. 1. ubi de eadem re agitur.

Harum vocum differentiam, quatenus ad principatus humanos referuntur, hanc quidem assignant: ut principatus ἀρχαί sint Principes, Reges, Imperatores & similes: ἐξουσίαι sint potestates, id est, alii Magistratus, qui legitimam habent autoritatem aliquid agendi, regendi, gubernandi, &c. δυνάμεις verò sint omnis potestas, etiam tyrannica, quae potentiam habet ac vim agendi, dominandique, quo jure quáve injuria. Κυριότης sit quivis Dominus, etiam privatus: & quicunque aliquod habet dominium. Ita volunt contineri iis vocibus omnia magistratuum & dominiorum genera in terris.

Alii aliter. Per me licet cuique definire has Magistratuum species. Ego cum Augustino fateor me nescire. Multò verò minùs, si transferantur ad angelicas potestates. Sensus perspicuus est Apostoli: Nihil esse tam sublime, tamque potens & illustre, tam in coelo quàm in terra, quo non sit infinitis partibus sublimior Christus, adeóque & ejus caro: sicut dicit Apostolus etiam ad *Hebr*. Excelsior coelis factus est. Et hoc expressit hìc Apostolus, cùm subjecit Christum longè supra omne nomen, quod nominatur, id est, supra omnem rem, quaecunque nominari possit, exaltatum esse. Atque hòc satis esse debet. Hic enim est scopus Apostoli in his verbis.

Quatenus verò hae voces ad Angelos transferuntur, crediderim Apostolum per concessionem potius has voces, quibus Hebraei varios gradus inter Angelos significabant, posuisse: quam quod certò noverit rem ita se habere. Neque enim è sacris Bibliis hos ordines habebat: quasi dicat, disputent alii de variis inter angelos principatibus, dominationibus: sunto. Christus certè noster, cum sua carne, longè supra omnes est: quia omnium Dominus factus est.

Interim illud inficiari non possimus, quin & Angeli sint, & distincta inter ipsos officia distinctíque ordines. Nam de his exstant testimonia in sacris literis, etiam veteris testamenti; ut Daniel. 10 & 12. Et alibi. Quibus de rebus non pauca aliàs disseruimus, nempe lib. de Operibus Dei, part. 1.

In praesentia teneamus conclusionem Apostoli, humanam naturam in Christo, & quidem ipsum corpus, quod fuerat ignominia affectum, & morti adjudicatum,

nunc

nunc esse longè supra omnes res conditas, quaecumque illae sint, & quocunque nomine appellentur, tam in coelo quàm in terra: eóque de resurrectione etiam nostrorum corporum, & eorum glorificatione, ἐν τοῖσ ἐπουρανίοις, non esse dubitandum, modo maneamus in Christo capite nostro.

Nunc tenemus, quid sit Christum sedere ad dexteram Patris, *in supercoelestibus:* nimirum supra omnia exaltatum super omnia etiam regnare cum Patre: quod regnum maximè in coelis resplendit, & illustre est.

Et hoc est tertium membrum hujus contextus.

Ad quartum quod attinet, ait, *Non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro.*

Scholia, & alii plerique, ne dicam plerique omnes, construunt cum verbo immediate praecedente, *nominatur*: ut sit sensus, Christus noster non solùm est supra omnes praenominatos ordines Angelorum, ut multi nominant, verùm si qui alii sint sublimiores, aut aliquae res praestantiores, quae in seculo quidem hoc nominari non possunt, sed in alio seculo cognoscentur: supra tamen haec etiam omnia est Christus ejùsque corpus collocatum: *quia ad dexteram Dei sedet Christus.*

Mihi tamen eorum sententia magis probatur, qui construunt cum verbo *Sedet ad dexteram Dei* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: ut doceat Apostolus, Christum in illa sua carne non solùm sedere jam: id est, regnaturum etiam in futuro seculo, eóque regnum ejus esse aeternum.

Christus quomodo tradet regnum Deo ac Patri.

Sed contra hanc regni Christi aeternitatem opponi potest illud Apostoli, 1 *Cor.* 15 *ver.* 24. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo ac Patri. Regnum igitur resignabit, & hujus regni finis erit.

Resp. Apostolus ipse se declarat in praecedentibus: summa haec est pugnando contra hostes, quia tunc erunt expugnati omnes: colligendo Ecclesiam per verbum & Sacramenta, quia tunc omnes electi erunt collecti: excitando mortuos è sepulchris, *quia absorpta erit mors, & omnes resuscitati erunt:* finis denique erit regnandi, hoc modo, quo jam regnat, tanquam Mediator, & Pontifex, interpellando pro nobis, & alia Mediatoris officia faciendo. Sed non erit finis regnandi simpliciter: quia regnabit in aeternum cum Patre, eo modo quo Pater. Ideo ait: *cùm tradiderit regnum Deo & Patri.* Docet hac particula Patrem jam non regnare, sed solum Christum: tunc autem regnaturum Patrem, non Christum. Quomodo nunc non regnat Pater? regnat, sed non eo modo, quo Christus, nempe ut Mediator. Pater enim non facit officium Mediatoris, non pugnat, non interpellat, & alia id genus. Ergo, sicut verum est nunc Patrem non regnare, eo modo, quo Christus, quatenus Mediator est, regnat: sic etiam verissimum est, Christum tunc resignaturum regnum Patri, nempe jam pacatum, expugnatis hostibus omnibus, & collectis omnibus Electis : nec regnaturum amplius hoc modo, quo jam, pugnando in Ecclesia: sed pacato jam regno, regnabit tamen cum Patre. Est igitur fallacia à secundùm quid ad simpliciter.

Quare stat sententia, regnum Christi aeternum esse. Et ideò diligenter ponderanda sunt verba Apostoli: ait, *Christum sessurum ad dexteram*, id est, regnaturum cum Patre, etiam in futuro seculo, & non solùm in hoc.

Veluti

Veluti sunt duo secula, praesens & futurum: sic duplex status Ecclesiae, praesens & futurus, eóque & duplex regnandi modus: unus qui convenit huic praesenti statui Ecclesiae militantis: alter qui tunc congruet Christo in Ecclesia triumphanti. Hoc significare voluit Paulus his verbis.

Idem Apostolus Rom. 8. ait Christum ita nunc sedere ad dexteram Patris, ut interpellet pro nobis: tunc non interpellabit amplius. Ergo non sedebit amplius eodem modo, quo jam: & sedebit tamen, quia *regni ejus non erit finis*, dixit Angelus ad Mariam. Luc. 1. Ita Psal. 110. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ergo nunc sedet pugnando contra hostes: tunc non amplius pugnabit, quia omnes erunt sub pedibus conculcati. Sedebit tamen: sed non eo modo, quo jam.

Ita soluta est quaestio: si distinguas diversos modos sedendi ad dexteram Dei, sicut etiam distinguuntur duo secula, quibus sedet, & sedebit. Sessurum semper, id est, regnaturum, certum est.

V. 22. Et omnia subjecit sub pedes ejus, & eum constituit caput supra omnia, ipsi Ecclesiae.

Dixit Christum jam sedere ad dexteram Dei in sublimibus locis, longè supra omnes res creatas exaltatum, supráque omnes regnare. Sed creaturae omnes duplicis sunt generis: aliae pertinent ad corpus Christi, quod est Ecclesia: aliae non pertinent. Numquid eodem modo omnes sunt Christo subjectae, & supra eas eodem modo sedet, id est, regnat? Minimè verò. Sicut neque reges in terris eodem modo regnant super suos populos, amicos ac bonos, quo super inimicos, impios ac malos. Hunc igitur diversum modum hîc explicat Apostolus. Docet regnum Christi amplissimum esse, quia omnibus rebus dominatur: sed tamen diversa ratione unis quàm alteris. Ecclesia subjecta est Christo, ut corpus totum & singula membra capiti. Qui de Ecclesia non sunt, subjecti sunt Christo, sicut quae sub pedibus habemus: nempe ut vilia & digna, quae conculcentur & conterantur. De iis igitur:

Et omnia subjecit sub pedes ejus. Omnia, nempe excepta Ecclesia, de qua statim subdit.

Et ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiae: quae est corpus ipsius.

Magnum certè discrimen est hoc inter subjectionem scilicet totius rerum naturae imperiíque, & inter subjectionem Ecclesiae piorúmque omnium. Propriè enim hîc assignatur discrimen piorum & impiorum. Sicut Apostolus ad Corinth. docet: *Oportet Christum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis.* 1 Cor. 15.

De iis igitur dixit Christus Johan. 10. *Nemo rapiet oves de manu mea*: Ergo nos sumus in manibus Christi. De impiis & hostibus ait Psal 110. *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et hîc, *omnia subjecit sub pedes ejus.* Unde apparet hoc dictum propriè de impiis intelligendum esse.

Quomodo omnia subjecta sint Christo.

Sed quaestio statim oritur ex his duobus dictis. In Psalmo ait, *donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*. Quibus verbis indicat, nondum esse omnes subjugatos sub pedibus Christi. Et sanè videmus quotidie permultos hostes

persequi

persequi Christum in ipsius Ecclesia & membris: ut taceam, quod mors nondum est penitus expugnata, unde Apostolus ait. 1 Cor. 5. *Novissimus hostis destruetur mors.* Hîc autem ait, *Deum omnia jam subjecisse Christo sub pedes ejus.*

Resp. Augustinus Tom. 5. de civitate Dei, lib. 17 cap. 17 ait: Hoc nondum apparet, omnia scilicet jam subjecta esse pedibus Christi, apparebit autem in fine: nunc verò creditur, post videbitur. Nam & nos sumus filii Dei: sed nondum apparet quid erimus, ait Johan. in Epis. 1. cap. 3.

Alii, hostes omnes Christi esse subjectos pedibus Christi, etiam mortem, quia eam quoque devicit, *& mors illi ultra non dominatur:* sedet enim ad dexteram Patris in supercoelestibus locis, unde nihil potest eum deturbare. Ita quoad ipsam Christi personam, omnia esse illi subjecta: & homines nihil adversus illum posse: Sed quod ad Ecclesiam, quae est corpus illius, nondum omnia esse subjecta. Nam *fremunt adhuc gentes, & populi meditantur inania: astiterunt Reges terrae, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Psal. 2. Omnia vera sunt. Sed nos uno verbo respondemus omnia esse sub pedibus Christi, nempe ut ea possit conterere, cum vult: sed non semper vult. Quoad suam personam, contrivit omnes: sed quoad sua membra, aliquando conterit, aliquando non vult conterere: quia non expedit. Conterit certè, cum hostes Ecclesiae & suos perdit: contrivit Julianum, Antiochum, aliòsque multos tyrannos. Item peccatum frenat, ne nobis dominetur: Satanam, ne nos opprimat: mortem, ne à nobis timeatur. Sed non vult nos penitus liberare, dum sumus in hac carne, omnibus hostibus. Quid ita? quia non expedit.

Duae autem praecipuae assignantur causae, cur non statim perdat omnes hostes suos, sed sinat nos ab illis vexari.

Prima, ut quod deest afflictionum Christi, suppleatur in carne nostra: & reddamur similes capiti nostro: *Sicut enim oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam:* Luc. 24. *sic & nos oportet per multas tribulationes intrare in regnum coelorum,* ait Apostolus in Actis cap. 13.

Secunda, ut ne, qui inter hostes sunt electi, perdantur. Sic non contrivit Paulum, cum ejus esset hostis: quia volebat illum servare, & ex lupo facere ovem: atque ita è pedibus accipere in manum.

Tertiam addo, quia nondum expletus est numerus Electorum, qui per tyrannos exercendi sunt in fide. Ideo Apocal. 6. illis, qui interfecti fuerunt propter verbum Dei, clamantibus sub altari, *vindica Domine sanguinem servorum tuorum:* responsum fuit, *Quiescite, donec compleatur numerus fratrum vestrorum.* Sub pedibus igitur semper habet Christus hostes suos, ut possit conterere cum vult, & saepè conterit, speciménque suae potentiae praebet in servanda sua Ecclesia adversus tot tàmque potentes hostes: sed non semper vult penitus conculcare illos, quia nobis non expedit. Atque hoc de impiis, quos habet sub pedibus.

Caeterum de Ecclesia, quomodo ea sit Christo subjecta, subdit: *Et ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiae, quae est corpus ipsius.* Alia igitur ratione subjecta est Ecclesia Christo, quàm impii: nempe sicut sponsa sponso suo, ut Ephes. 5 docet: eóque ipse etiam alia ratione illam regit, quàm impios.

Christus

Christus quomodo caput Ecclesia.

Notandum verò quo sensu Christus dicatur caput Ecclesiae. Aliquando dicitur caput, id est Dominus: ut *Col.* 2. Qui est caput omnis potestatis, & omnis principatus, i. Dominus.

Sed hîc alio sensu dicitur caput Ecclesiae: nempe quod sit illi adglutinatus, sicut caput membris. Significat igitur arctissimam unionem Ecclesiae cum Christo: ideò pòst explicationis causa subjecit, *Quae est corpus ipsius.*

Metaphorica est locutio: qua significare voluit, debere nos considerare:

Primum, quanta est unio capitis cum corpore, eam etiam esse, & multò etiam arctiorem, Christi cum Ecclesia. Majorem dico, quia potest caput hominum separari à corpore: sed Christus ab Ecclesia non potest.

Secundo, considerandum etiam, quae beneficia praestat caput corpori, eadem & praestantiora Christum praestare Ecclesiae, & singulis membris.

Tertiò, quod vicissim est officium membrorum erga caput, illud esse debere nostrum erga Christum caput nostrum. Sed percurrenda prius sunt verba: deinde de iis tribus dicemus, etiam ex verbis Apostoli.

Et eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiae.

Dixit de aliis rebus, praesertim de impiis, quomodo sint subjecti Christo, & quomodo illis dominetur: nempe tanquam illis rebus, quas habemus pedibus subjectas. Oportet enim omnia Christo subjici, velint nolint, etiam quae Christo adversantur, terrestria & infernalia: ut Phil. 2 ait Paulus.

Nunc de Ecclesia, quae ex Electis tantum constat, disserit: tam quomodo ipsam subjectam esse Christo velit Deus Pater, quàm quomodo velit Christum illam regere. Subjectam vult, ut corpus capiti: Christum verò illi dominari, ut caput corpori: nempe ad salutem, amando, compatiendo, fovendo, vitam motum sensum subministrando; arctissimo vinculo eam sibi alligatam servando tuendóque.

Sunt autem in verbis Apostoli quinque consideranda, *quis dedit, quem dedit, cui dedit, ad quid dedit, & in quos usus dedit.* Pater dedit, Christum dedit, Ecclesiae dedit, ut sit caput dedit: & super omnia dedit: id est, ut in omnibus rebus sit ei caput, omniáque ei ad salutem necessaria subministret.

1. Pater dedit nobis Christum, ut sit caput nostrum: non est igitur dubitandum, quin Christus sit caput nostrum, & quin facturus sit omnia erga nos, quae etiam caput hominis corpori praestare debet; Christus enim semper obediens fuit & est Patri.

Si Pater dedit, ut sit caput, nil igitur avellet corpus, id est, Ecclesiam à capite Christo. Pater enim major & potentior omnibus est, *Joh.* 10. Nemo rapiet oves meas, &c.

2. Eum dedit, quem eum? Eum Christum, quem suscitavit à mortuis, quem evexit in supercoelestes sedes, quem fecit sedere ad dexteram suam, i. quem fecit Regem regum, Dominúmque dominantium, tradita illi omni potestate in coelo & in terra. Christus igitur non solùm, qua Deus est, sed etiam qua homo,

homo, & quidem crucifixus pro nobis, sedens jam ad dexteram Dei, caput notrum est, nos verò ejus membra: eóque nostra caro cum ejus carne, nostráque anima cum ejus anima arctissimo vinculo copulatae sunt; quo nexu? nexu Spiritus illius. Omnes enim, qui sunt membra Christi, aguntur à Spiritu Christi: *Et qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus*, Rom. 8. Quare licet Christus sit in coelo supremo suo corpore, & nos in terra: dubitare tamen non debemus, quin nos illîc simus, adeóque nostra caro illius carni, & anima animae verè & realiter conjunctae, vi Spiritus ejus, qui tam nos conjungit cum Christo nostro, quam anima pedes cum capite.

Est autem magna consolatio, nos tale habere caput in coelo: potentissimum, sapientissimum, nostríque amantissimum, hominem nobis per omnia similem, demto peccato, & jam corruptione. Item, dedit eum, nempe solum. Aliud igitur caput non debet agnoscere Ecclesia, à quo vitam, à quo salutem, à quo ullum bonum accipiat, quam Christum ipsum: in ipso enim etiam est Pater, & Spiritus sanctus.

3. Cui dedit? Ecclesiae: nempe soli. Ideò ait, ipsi, id est, soli, non aliis. Ergo, qui ad Ecclesiam non pertinent, horum caput non est Christus: etiamsi omnium sit Dominus, & judex, & rex: non est tamen datus omnibus, ut illis sit caput, sed soli Ecclesiae. Omnes sunt sub pedibus, sed non sunt Christi membra, nec manus, nec pedes. Est autem Ecclesia coetus Electorum, & è mundo evocatorum, fidéque in Christum, & caritate erga sanctos praeditorum. Ne igitur glorientur se habere caput Christum, séque ejus esse membra, qui doctrinam Christi non sequuntur, sed sua somnia. Neque etiam qui fide in Christum, & caritate in fratres, praediti non sunt: sed in mundo adhuc sunt, & in tenebris sceleribúsque sepulti. Ecclesiae dedit: toti, scilicet, & singulis membris ejus. Non minus igitur membrum Christi est pauper quàm dives, Graecus quàm Judaeus. Ideo Apostolus, *In Christo non est masculus neque foemina, &c.* Gal. 5.

Ecclesiae dedit: ergo, qui se ab Ecclesia separat, is non habet amplius Christum caput. Quare nec vitam, nec sensum spiritualem. Ideo extra Ecclesiam non est remissio peccatorum, non est spiritus sanctificationis, non est salus, non est vita.

Ecclesiae dedit: Ecclesia autem diffusa est per totum terrarum orbem: nec est ulli loco alligata. Non est igitur, cur quis caput Ecclesiae alliget vel Romae, vel Wittebergae, vel alibi: quasi fideles, qui sunt in Galliis, in Scotia, &c. non habeant caput hoc Christum. Quare Ecclesia, ubicumque locorum sit, nunquam ἀκεφαλὴ est: etiam si caput Papam Romanum Ecclesia non agnoscat.

4. Dedit Ecclesiae toti: Ecclesia autem partim est in coelo, ubi Angeli & Spiritus sanctorum beati: partim in terris, ubi fideles, sed carnis adhuc corruptioni obnoxii: ergo tam nos, quam illi, sumus uniti capiti Christo: & tam ille nos fovet, quam illos: eóque & inter nos conjuncti sumus. Et haec est communio sanctorum.

5. Sed ad quid dedit Christum? ut sit caput. Dedit, hoc est, constituit, imo fecit esse re ipsa caput Ecclesiae. Est igitur re ipsa caput: Sed quale caput? Hîc explicanda sunt illa quatuor praecipua capita, de quibus initio dixi.

Christus quale sit caput.

Dedit igitur Christum ipsi Ecclesiae caput: quale caput? caput verum, *secundo* caput perfectum, *tertio* caput unicum, *quarto* caput perpetuum.

Primum, cur dico caput *verum?* ut intelligamus, non esse caput, sicut Rex caput est sui populi: sed sicut est caput humani corporis, per juncturas & ligamenta connexum (ut infrà dicet Apostolus) & una eadémque anima illi copulatum. Nam ita etiam se habet Christus cum Ecclesia. Ut ergo intelligatur haec unio, dico Christum datum esse Ecclesiae caput verum: id quod jam declaro.

Ad hoc ut caput sit, & verum caput veri corporis, requiritur *primò*, ut & ipsum sit corporeum: nec solum corporeum, sed etiam ejusdem naturae cum corpore, & singulis membris. Alioqui esset monstrum: sicut statua Nebucadnezaro ostensa in somniis: cujus caput erat aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora aenea, tibiae ferreae, pedes partim ferrei, partim lutei. Ne igitur sit monstrum, oportet caput alicujus corporis esse & corporeum, & ejusdem naturae. Conditio haec non deest Christo. Verum enim habet corpus: éstque ejusdem naturae nobiscum: homo nobis similis per omnia demto peccato. Dedit ergo Pater Ecclesiae verum caput. Oportet quidem esse in capite aliquid praestantius, quam in reliquo corpore: & ita videmus in capite humano sedem mentis esse: & sic etiam in Christo homine habitat plenitudo Deitatis corporaliter: interim qua homo, ejusdem nobiscum est naturae. Idque tribus potissimum de causis fuit necessarium.

Prima, propter sympathiam, ut possit nobis compati. Non enim caput posset tam facilè compati membris, nisi ejusdem esset cum illis naturae. Causam hanc optimè explicat Apostolus ad *Hebr. c.* 2. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors esset.

Et mox: per ea, quae passus est cum tentaretur, potest & iis qui tentantur succurrere. *Et.* 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.

Secunda, propter naturam: ut sc. magis afficeretur erga nos. Non enim ita afficimur erga eas res, quae diversae sunt naturae, quam erga homines nostrae naturae. Pater igitur voluit Christum ejusdem esse nobiscum naturae, ut posset esse verum caput. & erga nos, ut caput erga membra, magis ac magis amore affici. Hanc explicat Apostolus, *Eph.* 5. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam. Nemo unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut Christus Ecclesiam. Sumsit igitur carnem nostram, ut amore etiam humano afficeretur erga nos, nósque foveret ut caput membra.

Tertia, fuit & hoc necessarium, propter redemtionem. Debet enim caput servator esse corporis. Ut igitur se ipsum posset offerre Patri pro salute Ecclesiae corporis sui, voluit ejusdem nobiscum esse naturae. Hanc explicat Apostolus ad *Hebr. c.* 10. Ideo corpus fuisse ei aptatum, ut haberet quod offerret. Neque nos fuissemus in illo crucifixi, mortui, suscitati, ut docet Paulus hìc c. 2. si fuisset diversae naturae. Apparet igitur Christum verum esse caput Ecclesiae, quia ejusdem est cum illo naturae; & quas ob causas hoc fuerit necessarium.

Ut

Ut sit etiam verum caput, non satis est si sit ejusdem naturae cum corpere, sed requiritur *secundo*, ut sit conglutinatum cum corpore. Separa caput à corpore: non erit amplius caput: & nisi omnia membra adhaereant capiti, non erunt ejus corpus. Necessaria igitur est haec copulatio & connexio. Huc pertinet illud, quod ante dixit, voluntatem Patris fuisse, ut Christus omnia sub uno capite uniret: hoc enim est ἀνακεφαλαιώσασθαι.

Hanc unionem explicant scripturae multis similibus: vitis & palmitum: viri & uxoris: fundamenti & lapidum super illud exstructorum. Sed nulla est clarior explicatio hac, quam habemus ab Apostolo, quia Christus caput est, Ecclesia corpus ejus. Quo nexu fit haec unio? Nexu qui est Spiritus sanctus, qui est Spiritus Christi: de qua unione plura etiam dicemus infra. Si igitur Christus est verum caput, quis dubitat, quin sit semper nobiscum conjunctus nobisque adhaereat, & nos vicissim illi? Hinc intelligimus veram corporis & sanguinis Christi participationem. Ut enim nostra caro verè unita est carni Christi per nexum Spiritus sancti; sic etiam dicimur participare carne & sanguine Christi per eundem Spiritum.

Tertio, ut etiam sit verum corpus, requiritur ut emineat locóque sit superiore, & membra illi subjecta sint: quale alioqui monstrum, si caput esset ubi pedes, & pedes ubi caput? Rectè igitur Christus est supra omnes principatus, & potestates, &c. & omnes sumus illi subjecti, ut membra capiti. *Ephes*. 5. Ecclesia subjecta est Christo. Christi est imperare, dominari, quia caput est: nostrum est obedire, quia membra ejus capitis. Eminet igitur & eminere debet toti corpori Christus.

Quarto. Requiritur etiam ut sit vivum, & eadem anima cum membris praeditum. Hic est Spiritus sanctus, qui in Christo capite plenissimè est: nos verò ex ejus plenitudine accipimus: quia in nobis sunt primitiae, *Rom*. 8. Qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. Hoc Spiritu & uniti sumus Christo, & vivimus cum illo, & agimur, ac gubernamur. *Rom*. 8. Filii Dei aguntur à Spiritu Dei. 1. *Joh*. 3. Per hoc scimus, quod sumus in illo, ex Spiritu quem dedit nobis. Ex iis omnibus apparet luculentissimè Christum esse verum Ecclesiae caput.

11. Nec solum verum est caput, sed etiam perfectum.

Ad hanc perfectionem humani corporis requiritur, ut *primum* praeditum sit humana mente, quae constat facultate intelligendi, volendi, reminiscendi, & quae sapientia & prudentia ornata sit. In Christo non solùm est anima & mens plena sapientiae & virtutum omnium: sed etiam Deitas, qua omnia novit, qua omnia sustentat, vivificat, implétque omnia in omnibus. *Secundo*, Ut nulli sensus desiderentur in capite, alioqui imperfectum fuerit. Christus autem sentit omnia nostra mala, videt omnia, audit nos, loquitur pro nobis, agit nostram causam in coelo apud Patrem. Est enim advocatus noster, & interpellat pro nobis. *Tertiò*, Exigitur ut in capite sit sedes nervorum, & inde omnes motus in membris deriventur, indéque influant omnia vitalia. Christus est ille, unde in nobis vita, motus spiritualis, sensus & judicia recta, sanctàque desideria & opera. *Quartò*, Sanum etiam sit oportet, ne inde pravi humores fluentes inficiant corpus: Christo nihil est sanius perfectiúsque: non demittit in nos pituitam,

tam, sed optima quaeque instillat in membra: ita ut, si nos sumus aegroti, ille sanet & curet nos membra sua. *Quintò,* Denique, ut sit perfectum caput, oportet ne sit deforme, sed veram veri humani capitis formam habeat. Quid Christo formosius? *Psal.* 45. Speciosus forma. Ergo Pater dedit Ecclesiae caput verum & perfectum.

III. Dedit etiam unicum. Neque enim unum corpus decent multa capita. Ideò dixit, *Dedit caput*, nempe unicum, non capita. Ecclesia igitur non debet agnoscere aliud caput, quàm Christum. Nam hoc unum accepit à Patre, nec ille vult plura habeamus.

IV. Dedit etiam ut sit perpetuum. Ideò Christus non amplius moritur, *mors illi ultra non dominabitur.* Non desinit igitur suum facere officium erga Ecclesiam, etiamsi in coelo sit suo corpore: non desinit nos alere sua carne & sanguine: non desinit in nos influere vitam, & quicquid ad salutem necessarium est.

Ita falluntur illi qui aiunt, Quia Christus absens est & invisibilis, ideò opus esse alio capite praesenti & visibili ad obeundum munus, quod Christi in terris proprium est. Respondeo. *Primò.* Christus non est absens, sed semper praesens, etiam suo corpore, quomodo caput praesens est suis pedibus, quibus conjunctum illud est. Nos sumus caro de carne ejus, pèrque Spiritum Christi sumus semper in Christo. Quomodo igitur absens est? *Secundò,* Licet invisibilis sit, non ideò tamen impedimur, quin ab illo regamur, & vivificemur, dètque suam carnem nobis edendam. Neque manus aut pedes vident caput: à capite tamen aluntur, sustentantur, reguntur. Non est igitur haec bona ratio, cur praeter Christum aliud caput affingatur Ecclesiae ad haec officia, quae Christi propria sunt, facienda. Atque haec de primo, hoc est de ipso capite, quàm verum quàmque perfectum sit: & quod unicum & perpetuum sit caput Ecclesiae.

Ad secundum quod attinet, res est ex iis quae dicta sunt expedita. In quos usus dedit Pater hoc caput ipsi Ecclesiae?

Ait *super omnia*, id est, primum, ut prae aliis creaturis omnibus singulari amore feratur erga eam. Secundo super omnia, & ad omnia bona illi communicanda, hoc est, ut illi adsit in omnibus, nil sinat illi deesse. Denique est illi datum hoc caput ad omnia veri capitis officia facienda erga Ecclesiam, ut illuminet, ut defendat, ut vivificet, ut moveat & sanam ac incolumem servet adversus Diabolum. Quod si Christus datus est nobis caput super omnia: Ergo & nos debemus illi esse subjecta membra in omnibus, & ab illo omnia exspectare & petere.

Atque hoc est tertium: debere nos erga caput nostrum ita gerere, ut membra humana erga caput suum. Membra student manere cum capite conjuncta, & inter se: ab illo pendent: illi sunt subjecta: quicquid jubet, faciunt, & ad capitis protectionem sese exponunt, periculisque omnibus opponunt pro sua virili.

V. 23. *Quae est corpus ipsius* τὸ πλήρωμα *illius qui omnia in omnibus implet.*

Tria hîc sunt: 1. *Primum* Ecclesiam esse corpus Christi. Magnam igitur significat conjunctionem.

2. Hanc ita esse corpus Christi, ut sit πλήρωμα illius capitis. Significat duo:

1.

1. dignitatem Ecclesiae, quod sine illa Christus sit quasi mutilum caput, ut perfectus Christus esse nequeat. 2. Certitudinem salutis. Si enim Christus carere non potest Ecclesia, quia est ejus πλήρωμα: Ergo si Christus est in gloria, haec quoque ibi futura sit oportet. Et quidem omnia membra, quia Christus nullo vult carere membro, ne sit mutilum caput deforméque habeat corpus.

3. Christum implere omnia in omnibus, id est, licet Ecclesia sit ejus πλήρωμα, non ideo tamen est πλήρωμα, quod Christus ea carere non possit. Is enim potiùs in ea, & in singulis membris implet omnia veri capitis officia, omniáque beneficia immediatè praestat in singulis. Ergo Ecclesia non data est capiti, ut sit πλήρωμα Christi: sed potius Christus datus est Ecclesiae caput, ut omnia colligat membra, & in omnibus omnia bona & felicia operetur: omnia, inquam, veri capitis officia in singulis membris perficit.

Hinc docet, Christum, licet in coelo sit, eum tamen non otiari, sed suam regere Ecclesiam; colligere Electos: eos sibi jungere per Spiritum suum, eos vivificare, in eis operari & velle & perficere.

His igitur demonstravit, *quanta sit magnitudo potentiae Dei, quam exeruit in Christo, & in nobis:* quanta item sit, & quam opulenta nostra haereditas in coelo, & quam certa spes nostra de iis, ad quae speranda vocati sumus. Sed haec videri non possunt, nisi ab iis, *qui illuminatos habent oculos mentis &c.*

Loci

LOCI THEOLOGICI EX EPISTOLAE

AD EPHESIOS

Cap. I

LOCUS I.

DE ELECTIONE AC PRAEDESTINATIONE.

Praedicanda est doctrina de aeterna & gratuita praedestinatione: sed secundum scripturas, & ad aedificationem. Nam Paulus quoque eam praedicavit, cum alibi saepè, tum hîc non minùs abundè quàm perspicuè: idque ad aedificationem, quia ad confirmandum fideles ex gentibus in doctrina Apostolica de salute, ex sola Dei gratia per Christum consequenda, hac de re scripsit.

2. Nulla nobis benedictio nunc contingit, ad quam non fuerimus ab aeterno electi & praeordinati: neque per alium, neque alio modo, neque aliis mediis, aliisve temporibus & locis, quàm per quem, & quomodo, & quibus mediis, temporibus, locis, fuerat in aeterno Dei consilio definitum. Nam Paulus quoque ait, Nos benedictos esse à Patre in Christo: sicut elegerat nos & praefinierat, vers. 3 & 4.

3. Solius Dei est, ab omni aeternitate aliquem ad salutem elegisse: ait enim, *Elegit nos Deus:* vers. 4, Christus autem ait se nos elegisse: Joh. 15.

4. Quicunque electi sunt, in Christo electi sunt, tanquam in capite, vers. 4. Extra Christum igitur nemo electus esse potest.

5. Quicunque benedicti sunt in Christo, id est, justificati & sanctificati, de illis certò pronunciari potest, quòd sint etiam in Christo electi: Qui autem nondum sunt benedicti, ut affirmari non possunt, sic neque negari ad Electionem pertinere.

6. Quicunque electi sunt, ab omni aeternitate electi sunt, ac proinde antequam quicquam boni vel mali egissent; ait enim, *ante mundi constitutionem nos fuisse electos.* versu 4.

7. Quicunque electi sunt, non solùm ad finem, hoc est, ad aeternam vitam electi sunt, verùm etiam ad media, hoc est, ad veram sanctitatem, & ad justificationem, eóque ad poenitentiam & fidem electi sunt; ait enim, *Elegit nos, ut essemus sancti & inculpati in conspectu ejus.* Sperari igitur non potest finis sine mediis ad finem, nec finis à mediis separari debet. Sanctitas quoque, & omnia bona opera, effecta sunt Electionis, non autem causae.

8. Electio ex mera caritate Dei erga nos facta est; ac proinde tota est gratuita; ait enim, *Deum nos elegisse ex caritate.* versu 4. item *praedestinasse secundum beneplacitum voluntatis suae* vers. 5. item, *in laudem gloriae gratiae suae.* vers. 6. *item fecisse nos sibi gratos gratia sua in dilecto, id est, in* Christo vers. 6.

9. Finis gratuitae Electionis duplex est: proximus nostra salus: Remotus

&

& ultimus gloria Dei: de illo enim ait, nos esse praedestinatos in adoptionem filiorum, eóque ad coelestem haereditatem: versu 5. De altero ait, *hoc esse factum in laudem gloriae gratiae ipsius:* vers. 6.

10. Quicunque sunt electi in Christo, ii omni tandem spirituali benedictione benedicantur in Christo omninò necesse est; ait enim, *Deum nobis benedixisse in Christo omni spirituali benedictione in supercoelestibus: sicut elegerat nos, &c.* v. 3. 4. &c. Ac proinde certissima & firmissima est salus Electorum in Christo: cujus fons & fundamentum est aeternum & gratuitum propositum voluntatis Dei.

Haec est summa hujus loci theologici, de Electione & Praedestinatione sanctorum: ex hoc Pauli contextu, versibus scilicet quatuor, collecta: in qua omnes causae & effectus breviter comprehenduntur.

LOCUS SECUNDUS.

De Redemtione.

1. Quicunque ab aeterno Electi fuerunt in Christo, tanquam membra in capite, ad aeternam salutem, mediáque ad hanc, ii etiam soli, & omnes, in tempore à Patre constituto, quod plenitudo temporis appellatur, fuerunt reapse redemti, non tam per Christum, quàm in ipso Christo; ita ut firmam redemtionem, eóque certam salutem habeamus in persona Christi, ut membra in capite: ait enim, *in quo* (solo) *habemus redemtionem.* vers 7.

2. Fuimus autem redemti à servitute peccati, eóque & Satanae autoris peccati, & mortis aeternae, quae stipendium est peccati: eóque & ab omni tandem corruptione, turpique servitute; ait enim, explicationis causa, *Remissionem peccatorum* vers. 7.

3. Facta autem fuit haec nostri redemtio, non manumissione, non permutatione captivorum, non violenta manu, sed dato Patri λύτρῳ, quo divinae justitiae plenissimè satisfactum est pro peccatis nostris: ita ut tum hostis Satan, divinae justitiae minister ac ceu carnifex, dimittere captivos coactus fuerit. Fuit autem hoc λύτρον non aurum & argentum, sed sanguis filii Dei, Capitis nostri; ait enim, *nos habere redemtionem per sanguinem ipsius.*

4. Neque verò secundum merita, operáve justitiae, quae fecerimus nos: sed ex mera Dei gratia redemti fuimus à peccatis, & à potestate Satanae atque mortis: ait enim *Secundum divitias gratiae ipsius*, vers. 7.

5. Quanquam autem Pater redemit nos per Filium, per quem etiam creavit: solus tamen Filius κατ᾽ ἐξοχὴν appellari solet in sacris literis humani generis Redemtor: tum quia solus ad opus redemtionis perficiendum destinatus ab aeterno fuerat: tum quia solus Deus & homo simul fuit & est: utrumque autem fuit necessarium in redemtore. Ac proinde, quia etiam solus jus plenum habuit nos secundum legem redimendi (habuit enim & jus proprietatis ut Deus, & propinquitatis ut homo ac frater noster) tum quia solus dedit re ipsa λύτρον, quo sumus redemti: tum denique quia in ipsius persona perfecta est redemtio, inque eo solo, tanquam in capite nostro, posita est tota totàque salus; ait enim, *in quo* (solo Christo) *habemus redemtionem, &c.*

6.

6. Porrò, licet in plenitudine temporum, hoc est, mille ab hinc quingentis & 78. annis circiter, re ipsa perfecta fuerit redemtio: versu 10.; tamen jam inde ab initio mundi vim suam habuit in Electis omnibus; ait enim, *in quo habemus* (omnes, id est, nos electi & credentes) *redemtionem,* Et in Apoc. 13. Agnus dicitur *ab origine mundi occisus.*

7. Nomine autem redemtionis seu ἀπολυτρώσεως, quam habemus in Christo, venit non solum illa, qua jam hîc in terris à peccatis liberati sumus, verum etiam illa, qua ad extremum in plenam perfectámque libertatem in coelo asseremur. De hac enim ait, *Spiritum sanctum in nobis esse & manere tanquam Arrhabonem,* εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως. vers. 14 Nulla est igitur ἀπολύτρωσις, quam non habeamus in Christo.

LOCUS TERTIUS.

De Dispensatione Redemtionis totiúsque Salutis.

1. Redemtio, tota salus & vita aeterna, ab aeterno praeparata, & novissimis temporibus comparata atque perfecta, in Christo posita non est, ut is solus eam retineat in sese: sed ut electis omnibus dispensetur: & tanquam à capite in singula membra derivetur; ait enim de gratia Dei, qua tota salus significatur, sicut & ab illo proficiscitur, *Quam ubertim in nos impertivit: seu qua exundavit in nos.* vers. 8.

2. Impertit autem illam, seu dispensat Christus ipse, qui & redemit, & in quo posita est redemtio, atque salus: Tum quia veri & perfecti redemtoris est, non solùm perficere redemtionem dato λύτρῳ: verum etiam illam ipsis redemtis dispensare, eósque fructu redemtionis donare: Tum quia capitis est, quam in se habet vitam, motum & sensum, membris communicare. Est autem Christus & Redemtor noster, & caput nostrum. Ideò ait, *Qua exundat in nos, seu quam ubertim impertit, ipse scilicet Christus, in quo redemptionem habemus, vers.* 8.

3. Neque verò Christus salutem cuiquam dispensat, nisi & seipsum eidem communicet, sese in corda nostra totum effundens. Ideò ait, Qua ἐπερίσσευσεν exundat *(ipse)* in nos: vers. 8. id est, spiritualiter cum sua gratia. Et infrà cap. 3. scribitur, *Christum habitare in cordibus nostris.*

4. Porrò Christus neque se, neque suam gratiam & salutem nobis communicat, nisi excitata in nobis vera fide: qua & ipsum cum sua gratia agnoscamus, & agnitum amplectamur, nec in vacuum gratiam Dei recipiamus. Ideò ait, *Illum exundare in omni* (id est perfecta) *sapientia & prudentia* vers. 8.

5. Caeterum ad gignendam hanc in nobis fidem, ministerio Evangelii utitur: quo & Deum, ejúsque arcanam, aeternam, firmámque de nobis per Christum servandis voluntatem, & seipsum, simúlque & beneficium suum patefacit. Ideò subdit, γνωρίσας ἡμῖν mysterium voluntatis, &c. vers. 9. Et mox hanc Dei voluntatem fuisse de nobis per Christum servandis, omnibúsque Electis colligendis, & uni capiti Christo adglutinandis, docens, ait, ἀνακεφαλαιώσασθαι omnia in Christo, tam quae in coelo quam quae in terris. vers. 10.

6.

6. Evangelium enim Christi, quod solum est sermo veritatis, instrumentum est, quo nos, tum Judaeos tum Gentiles, ad salutis coelestisque haereditatis participationem vocat, ac proinde quo fidem in nobis gignit, cùm sit ex ejus auditu: Rom. 10. Ut non immeritò Evangelium salutis nostrae à Paulo vocetur v. 13. Ideò subjecit, ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν v. 11. Et infrà ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς (ἐκληρώθητε) Ideò & Rom. *Evangelium virtus Dei est, ad salutem omni credenti, Judaeo primum & Graeco.*

7. Etsi verò Evangelium per se talis est δύναμις Dei, instrumentúmque salutis: quia tamen in auditoribus inefficax est, non suo sed illorum vitio, nisi accedat Spiritus sanctus, qui corda aperiat nostra, tum ad cognoscendum Christum, tum ad illum recipiendum: ideò Christus in gratia hac & salute efficaciter dispensanda, nobisque ad hujus participationem efficaciter vocandis, utitur suo Spiritu: quo in animo cordibúsque nostris operetur. Ideò ait, *nos obsignari credentes Spiritu promissionis sancto:* v. 13. Quibus verbis docuit vi Spiritus sancti & promissiones Evangelii nobis persuaderi, inque nobis obsignari, eóque fidem in nobis gigni: & praeterea etiam nos ipsos regenerari.

8. Ità verò Christus salutem hanc suis electis efficaciter in hoc mundo dispensat: ut etiam eam in eis & conservet & augeat, dato nobis arrhabone sui Spiritus, qui nos semper regat & ducat, certósque indies magis ac magis faciat de salute aeterna, donec tandem à prima ἀπολύτρωσει, quae est à servitute peccati, & in remissione peccatorum consistit, perducamur ad alteram ἀπολύτρωσιν nimirum τῆς περιποιήσεως: quae in perfecta assertione, plenáque coelestis haereditatis possessione, consistit. Ideò ait, *Qui* (Spiritus) *est arrhabo haereditatis vestrae,* εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως. & c. Haec summa est loci de dispensatione salutis.

LOCUS QUARTUS.

De Evangelio.

Quia Christus gratiam suam & salutem dispensat per Evangelium, quemadmodum docet hìc Apostolus, vers. 3. *In quo (Christo) & vos (in hanc sortem haereditatis aeternae adsciti estis) postquam audivistis sermonem veritatis, Evangelium salutis vestrae.* Idcircò locus de Evangelio breviter perstringendus nobis est.

1. Evangelium, juxta receptam in Ecclesia significationem, nil aliud est, quàm doctrina coelestis per Apostolos praedicata, & in libris novi Testamenti comprehensa, bonum & laetum toti orbi afferens nuncium: nempe humanum genus per mortem Jesu Christi unigeniti filii Dei redemptum esse: ita ut cunctis hominibus, modo resipiscant, & credant in Jesum Christum, parata sint omnia, peccatorum remissio, & salus vitáque aeterna. Ideò Evangelium vocatur salutis nostrae. Et Ephesii dicuntur asciti in sortem haereditatis aeternae, postquam crediderunt, nempe in Jesum Christum. vers. 13.

2. Autor Evangelii est Deus, sicut & autor est salutis nostrae: non enim solum elegit nos in Christo, & redemit, pérque hunc decrevit ab aeterno omnia

nia sub uno capite in salutem nostram recolligere: verum etiam arcanum hoc suae redemptionis beneplacitum revelare nobis dignatus fuit vers 9. Eámque ob causam Evangelium Dei ab Apostola appellatur. Rom. 1.

3. Patefacit autem hoc Evangelium, primum per Angelum Dei, nato jam Jesu Christo, dicentem, *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie servator mundi:* Luc. 2. Deinde per Johannem Baptistam: post per ipsum Christum, sed in Judaea tantum: demum per Apostolos, ex mandato Christi, toti orbi inter gentes divulgatum: ut notum est apud Evangelistas, in Actis & in Epistolis.

4. Proinde Evangelium propriè in novi Testamenti libris continetur, & per Apostolos, non per Prophetas, praedicatum & publicatum fuit. Unde & Evangelium suum vocat Apostolus, Roman. 2. *Secundum Evangelium meum: Et* 2. *Cor.* 4. *Quod si opertum est Evangelium nostrum.* Suum vocat & aliorum Apostolorum, non quod illius essent autores, sed quod ministri. *Paulus Apostolus segregatus in Evangelium Dei.* Rom. 1.

5. Etsi enim jam inde ab initio mundi mysterium hoc significatum fuit Patribus, déque hoc locuti sunt Prophetae, homines, scilicet, per fidem in Jesum Christum venturum caputque serpentis contriturum, justificari. Quòd tamen illi praedicabant promissiones potius fuerunt Evangelicae, quàm Evangelium ipsum: cùm vaticinati sint de re futura, non autem rem jam praesentem aut praeteritam annunciarint. Ideo Apostolus *Rom.* 1. ait, *se segregatum in Evangelium Dei* (ad illud, scilicet, publicandum) *quod antea promiserat per Prophetas* in *scripturis sanctis.* Si promissum fuit, nondum igitur tunc praestitum. Et 1 Pet. 1. *De qua salute exquisierunt & scrutati sunt Prophetae, qui de ventura in nos gratia vaticinati sunt.*

6. Qua ex re non parvum etiam aliud colligitur discrimen, inter illas promissiones evangelicas & Evangelium ipsum: nimirum quod illa inter Judaeos tantum continebantur: At verò Evangelium ipsum per Apostolos ad omnes gentes perlatum est. vers. 3.

7. Materia Evangelii est Christus crucifixus pro peccatis nostris; de hoc enim est Evangelium, & hunc annunciat. Rom. 1. *Evangelium quod promiserat de filio suo,* Et 1. Cor. 2. *Nil judicavi scire inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Item, *Judaei signa petunt, & Graeci sapientiam, nos autem praedicamus Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam.* Qua de causa appellari solet *Evangelium Jesu Christi,* Marc. 1. Item *verbum Christi.* Coloss. 3. non tam à causa efficiente, quòd sit à Christo tanquam Deo, & per Christum annunciatum, quàm à causa materiali quòd sit de Christo. Qua de causa vocatur etiam hìc à Paulo *Sermo veritatis,* non tam quod sit verum, quàm quod de illa sit aeterna veritate, quae est Christus. *Verbum item crucis.* 1. Cor. 1. quia de Christo est crucifixo.

8. Atque ex his etiam liquet, qualis sit haec Evangelii doctrina. Laeta est ac bona, sicut vox Evangelii, sonat, quia Christum annunciat omnia bona afferentem credentibus. Proinde vocari etiam solet bonum Dei verbum. Heb. 6. Bona doctrina 1. Tim. 4. Bonum semen. Matt. 13. Sermo sanus, Tit. 2.

9. Hinc quoque luculenter apparet, quae sint effecta Evangelii: nempe, afflictas

afflictas conscientias laetitia & consolatione afficere: aegrotos sanare, & tum vocatur doctrina sana: mortuos in peccatis vivificare, ideò verbum vitae dicitur, Phil. 2. Homines Deo reconciliare, ideò vocatur verbum reconciliationis. 2. Cor. 5. Pacare turbatas conscientias, ideò appellatur Evangelium pacis, Eph. 6. Denique, in vitam aeternam servare, proinde vocatur Evangelium salutis nostrae. Eph. 1. Quòd enim quibusdam sit odor mortis ad mortem, ut Paulus ait, hoc est ex accidenti, quia fit non culpa Evangelii, sed illorum vitio, qui non credunt Evangelio, & ex numero sunt eorum, qui perditioni sunt destinati. 2. Cor. 2. *Odor mortis in mortem iis qui pereunt.*

10. Finis igitur Evangelii per se duplex est: proximus, & remotus, id est, ultimus. Proximus est electorum, eoque credentium, salus, atque ut à regno Satanae in regnum Dei transferamur. Qua de causa & Evangelium salutis nostrae, & Evangelium regni Dei appellatur: Marc. 1. Et verbum regni, Mat. 13. Regni autem Dei duae sunt partes: prior gratiae est in hoc seculo, posterior gloriae in altero: utrumque autem per Evangelium consequimur. Quam ob causam vocatur etiam Evangelium, *& verbum gratiae Dei*, Act. 20. Item *Evangelium gloriae Christi.* 2. Cor. 4. & 1. Tim. 1. Evangelium gloriae beati Dei. Hinc sequitur finis alter ultimus nimirum: hic est gloria Dei. Ad hanc enim & electi, & vocati, & justificati, & glorificandi sumus. De qua Apostolus hîc, *Praedestinavit nos in laudem gloriae gratiae suae:* v. 5. Item, *ut simus in laudem gloriae ipsius*, v. 12. Item, *Obsignati estis Spiritu promissionis sancto, in laudem gloriae ipsius.* Item, Deus Pater gloriae appellatur, quia ei debetur omnis gloria.

11. Est autem Evangelium efficax in credentibus. Rom. 1. *Virtus Dei est in salutem omni credenti.* Sed ejus efficacitas à solo Deo est per Spiritum sanctum. Idcircò appellatur non solum ministerium Spiritus, sed etiam simpliciter Spiritus ipse: 2. Cor. 3. Item Johan. 6. *Verba mea Spiritus & vita sunt.*

12. Ac, licet Evangelii propriè accepti ministerium temporarium sit, ortum enim habuit tempore Christi, & finem habiturum cum hoc seculo: vis tamen ipsius aeterna est, jam inde à condito orbe usque in omnem aeternitatem duratura: quin & summa Evangelicae doctrinae statim post peccatum tradita fuit Patribus: ut doctrina nova dici non possit. Quam ob causam vocatur Evangelium aeternum ἀποκαλύψεως. 14.

13. Evangelii partes ad summam tres sunt: Poenitentia in Deum: Fides in Jesum Christum (ut Act. 20. loquitur Apostolus): Et studium servandi mandata Christi. Haec enim tria requirit Evangelium. Marc. 1. *Poenitentiam agite & credite Evangelio.* Quibus duabus partibus additur tertia, Matth. 28. *Docentes eos servare quaecunque mandavi vobis.*

14. Ex quibus omnibus facile est colligere, quomodo Evangelium & Lex inter se differant. Etsi enim lex ipsa quoque à Deo sit, suáque natura bona, justa, & sancta: attamen materia, *Primum*, illius non fuit Christus, neque salutem annunciabat per solam fidem in Christo; sed materia legis fuit magna mandatorum multitudo, salutémque promittebat solis mandata illa omnia perfectè servantibus; aeternam verò maledictionem denunciabat iis, qui vel minima in parte illam transgressi fuissent: *Maledictus qui non permanet, &c. Secundo,*

neque

neque Spiritus sanctus aderat sua efficacitate illis, qui legem audiebant, cum non praestaret vires, quibus illam servare possent: sed ad Evangelii praedicationem efficax est in electis, ut simul det, quod per Evangelium à nobis postulat, nempe veram fidem: fides enim ex auditu est. Ac proinde, salutem quam offert, re ipsa etiam exhibet. *Tertiò*, ita igitur fiebat, ut lex litera esset mortua, & occidens, ministérque peccati & mortis. Cùm contrà Evangelium sit Spiritus vivificans, & virtus in salutem omni credenti. *Quartò*, sed neque illa fuit omnibus gentibus, sicut Evangelium, tradita, sed tantùm Israëlitis; neque fuit semper, sempérve duratura est, sed propter imperfectionem abolenda; cùm Evangelium aeternum sit. *Quinto*, & lex quidem per Mosen data fuit in tabulis lapideis, ac per Prophetas, explicata in cordibus véro hominum minimè inscripta. At Evangelium non solum per Christum ipsum, & per Apostolos praedicatum est; verum etiam in cordibus electorum per Spiritum sanctum & inscriptum fuit, & quotidie inscribitur. *Sexto*, Ac proinde, cognitio legis homines non mutabat: at verò cognitione ejus vera, quam praedicat Evangelium, homines regenerantur: *Nos autem retecta facie, gloriam Domini in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, tanquam à Domini Spiritu* 2. Cor. 3. Et hìc ait, *postquam credidistis obsignati estis Spiritu promissionis sancto:* v. 13. Denique officium legis fuit retegere peccata, non tollere: Rom. 3. At verò officiùm Evangelii est gratuitam peccatorum remissionem per solum Christum fide apprehensum annunciare, credentibúsque exhibere: eóque per legem nemo unquam potuit justificari, per fidem Evangelii omnes justificamur.

LOCUS QUINTUS.

De Fide.

Quia praecipuum, quod requirit Evangelium, & quod etiam in hoc capite proponitur, est fides in Christum; idcircò locus de fide praeteriri non potest.

1. Fides, quâ Christus recipitur, & per quam cum sua gratia exundat in nos, habitátque in cordibus nostris, donum est sapientiae atque prudentiae. Sapientiae, qua cognoscimus: prudentiae, qua ad legitimum usum cognitionem accommodamus, vers. 8. item vers. 17. Spiritum sapientiae vocat.

2. Est autem sapientia primùm quidem certissima cognitio, deinde rerum praestantissimarum. Quid verò praestantius Christo & Deo, divináque de nobis servandis voluntate? Est igitur fides certissima Christi, & in Christo Dei, divinaeque redemptionis cognitio, omnem excludens dubitationem; est enim fides ὑπόςασις & ἔλεγχος. Hebr. 11. Firma igitur ac ceu substantia quaedam immota est: & evidens certáque rei comprehensio. Ideò etiam hìc vocatur agnitio Christi, ver. 17. & scientia, ver. 18.

3. Neque verò simplex Dei, & Christi beneficiorúmque ejus cognitio est fides. Sed ea demum cognitio, quâ Christum cognitum cum ejus beneficiis nobis applicamus, eáque cognitione benè utimur. Id quod prudentiae opus est. Fides igitur duas habet partes, sapientiam, quae in cognitione, & prudentiam, quae in applicatione & vero usu consistit.

4.

4. Est autem tota fides cum suis partibus donum Dei per Spiritum sanctum in nobis excitatum, & auctum. Ideò Paulus precatur Deum, ut det nobis Spiritum sapientiae, &c. v. 17. & 19, ait, nos credere (non ex viribus nostris) sed secundum efficacitatem roboris fortitudinis Dei.

5. Excitatur verò fides & augetur in nobis ex revelatione sacrarum literarum, per Spiritum S. id est, ex auditu & vera intelligentia verbi Dei, seu Evangelii, quae habetur per Spiritum S. corda aperientem, & ablato velamine, voluntatem Dei revelantem: ideò precatur etiam Spiritum revelationis: vers. 17. Et v. 13. primum dixit, Postquam audivistis verbum veritatis: postea subjecit, postquam credidistis.

6. Ad hanc autem redemptionem oculorum mentis nostrae per eundem Spiritum illuminatio necessaria est: qua quae Spiritus in verbo revelat ac patefacit, ea nos videre possumus. Ideò hanc etiam precatus est v. 18. Ex revelatione gigni fidem, verámque Christi agnitionem, docet Apostolus, v. 17. dicens ἐν ἐπιγνώσει ἀυτοῦ id est, εἰς ἐπιγνώσιν.

7. Materia, circa quam versatur salvifica fides, est in summa Christus propositus in Evangelio, & in Christo Pater, non nudus, sed cum suis beneficiis omnibus, quae summatim in hoc capite collecta & recitata fuerunt ab Apostolo, initio facto ab aeterna & gratuita electione in Christo. Credendum igitur est, Christum esse verum ac naturalem Dei Patris Filium, à quibus Spiritus utriusque procedit: praedestinatum, ut fieret suo tempore homo, capútque totius Ecclesiae. In eo nos fuisse electos, & praedestinatos in adoptionem filiorum: & quae sequuntur.

8. Verùm neque satis est haec de Christo credere, verbisque Spiritus sancti, cùm de aliis rebus, tum maximè de Christo, fidem certam propter autoritatem loquentis adhibere. Sed ut vera etiam fiducia in ipso Christo acquiescamus, pióque affectu in illum feramur, necesse est. Hoc enim propriè est credere in Christum: de qua vers. 15. Cùm audivissem fidem vestram in Christo Jesu: Et Christus ipse Joh. 14. haec tria fidei officia, nempe credere de Christo, quae credenda sunt: credere ipsi, Christo, loquenti; & credere in Christum, expressit, cùm dixit: Non credis quod ego sim in Patre, & Pater in me? Et secundo, credite mihi; & tertio, Qui credit in me, &c.

9. Fidei donum, dum sumus in hoc mundo, necessarium est ad cognoscendum Deum & Christum, eóque ad beneficia Christi percipienda, vitámque aeternam consequendam, vers. 17. Det vobis Spiritum sapientiae & revelationis in agnitionem ejus, vers. 18. ut sciatis, quae sit spes vocationis ipsius, quae haereditas, quae potentia illius: Et quae sequuntur de Christo, déque Ecclesia. Heb. 1. fide intelligimus aptata esse secula, & c. Item Johs. 6. Et nos credimus & cognovimus, quod tu sis Christus filius ille Dei. Ad cognoscendum igitur Christum fides necessaria est, in hac autem cognitione vita aeterna consistit: Johs. 17. Ideò Heb. 11. sine fide (inquit) impossibile est placere Deo: eoque servari: intellige dum sumus in hoc mundo, nam in coelo sine fide placebimus Deo magis quàm hîc.

10. Donum verò hoc, quo servamur in vitam aeternam, non nisi illis, qni ad hanc salutem jam inde ab aeterno praedestinati fuerunt, donatur. De iis enim

enim in toto hoc capite locutus est Apostolus. Unde & fides electorum vocatur à Paulo ad Tit. 1. & in Act. 13. Et crediderunt quotquot praeordinati fuerunt in vitam aeternam. Reprobi igitur, etsi nonnunquam fide aliqua donati esse videntur, & credere in Christum dicuntur: veram tamen & salvificam fidem non habent, sed hypocriticam & temporariam: de qua Matt. 3 & Johs. 2. ad finem capitis.

11. Proprium enim verae & salvificae fidei est, ut non solum certa sit & viva: sed etiam perpetuò maneat in credentibus, eóque penitùs non deficiat. Ideò ait Paulus: Nos, postquam credidimus, obsignatos fuisse Spiritu promissionis sancto, & Spiritum hunc arrhabonem in nobis esse (perpetuum scilicet) usque dum asseramur in libertatem, &c. v. 13 & 14. Et Christus Luc. 22. Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, &c. Et cùm haec opponatur temporariae, sequitur eam igitur esse perpetuam.

12. Sicut tamen accipit incrementum juxta illud, Adauge nobis fidem, et pro quo hîc rogat Apostolus: sic etiam accipere potest decrementum, ita ut nonnunquam penitùs extincta esse videatur: sicut in Davide, cùm admisit adulterium; & in Petro, cùm ter negavit Christum, & quidem etiam cum anathemate, ut ait Marcus c. 14. Cùm interim tamen exaudita fuerit precatio Christi, ne fides Petri deficeret, scilicet penitùs. Quod enim incipit bonum opus Deus in suis Electis: illud etiam perficit usque in diem Jesu Christi, Phil. 1. Quò spectant illa, quae hîc Paulus scribit de capite totius Ecclesiae Christo, déque Ecclesia illius corpore, déque singulis Electis sub uno capite colligendis, eíque adglutinandis.

13. Caeterùm licet Deus pro sua clementia servet, imò etiam augeat, quando vult, fidem in electis, ídque sui Spiritus efficacitate, quemadmodum etiam illam gignit in cordibus nostris: Utrumque tamen efficere solet, & obtineri à nobis vult certis mediis: frequenti scilicet auditione verbi Dei, pia Sacramenti coenae perceptione, assiduis precibus, & studio bonorum operum, sanctaeque vitae, & charitatis in proximum. De primo est illud 1. Pet. 2. ut modo geniti infantes lac illud sermonis sincerum expetite, ut per illud adolescatis. De secundo est, quod Christus ait, edite, bibite, & quod alimonia appellatur, nempe fidei & hominis interioris, &c. De tertio est illud, quod Apostoli precantur, dicentes, Domine adauge nobis fidem: & quod alius, Marc. 9. Adjuva incredulitatem meam, &c. Ad quartum pertinet, quod Petrus hortatur, ut ad gratiam regenerationis conservandam nos, collato omni studio, adjiciamus cum fide virtutem, cum virtute scientiam, temperantiam, tolerantiam, pietatem, charitatem, &c. Item, ut per bona opera certam faciamus vocationem nostram, &c. 2. Petr. 1. Ideò Paulus etiam hanc eandem ob causam & scripsit epistolam hanc, & precatus est Deum, & commendavit charitatem Ephesiorum: ut, scilicet, in fide confirmarentur, & incrementum in ea facerent.

14. Est porrò haec verae fidei natura atque vis: ut, sicut certa est, de veritate Evangelii nihil dubitans, & perpetua, nunquam penitùs excidens. Ita etiam sit viva & efficax, excitans in nobis veram resipiscentiam, efficiénsque, ut quo ad Deum, certò & vividè sentiamus nos in Christo, & propter Christum, esse illi in sempiternum reconciliatos, justificatos, caros in filios adoptatos, haeredes

des aeternae vitae constitutos, atque ad haec ab aeterno fuisse gratis electos & praedestinatos; eóque pacatam sentiamus conscientiam erga Deum, ejúsque amore, & studio illi semper placendi, ejúsque gloriae promovendae accendantur corda nostra. Quo ad proximum verò, sincera erga omnes homines, maximè autem erga sanctos, caritate afficiamur, & quae caritatis sunt, sectemur: pacem & concordiam cum omnibus, quantum in nobis est, in Domino colentes; humanos, mansuetos, tractabiles benignos, beneficos erga omnes, atque adeò etiam erga inimicos nos praebentes, salutémque omnium pro nostra virili curantes. Quo ad nos autem ipsos, efficiat ut diligamus justitiam, & odio habeamus iniquitatem, adversa omnia patienter feramus, imò verò etiam in tribulationibus gloriemur: carnis nostrae mortificandae studio incumbamus: anxietatem animi & nimiam de rebus hujus seculi sollicitudinem deponamus, scientes quod Deo cura est de nobis: consolationem in omnibus afflictionibus, & auxilium in omnibus periculis à Deo expectemus: diabolo hosti nostro fortes in fide fortiter resistamus: mundum contemnamus: mortem non expavescamus; corda nostra in coelum semper tollentes, & quae promissa sunt bona per patientiam expectantes: certi, quod ubi caput nostrum est, ibi quoque futura sint omnia membra, propter superexcellentem magnitudinem potentiae illius, qui suscitavit Jesum à mortuis, & sedere eum fecit ad dexteram suam in supercoelestibus.

15. Ex fide enim certa spes nascitur: Unde & ὑπόςασις rerum sperandarum appellatur: Heb. 11. Et vera, tum in Deum, tum in proximum caritas: Unde & vocatur fides per charitatem efficax, *Gal.* 5. ab eáque prorsus inseparabilis est.

16. Sic itaque ex his omnibus atque adeò ex hoc capite definiri seu describi potest fides Christiana : Fides donum est sapientiae atque prudentiae, ex auditu sermonis veritatis, & Evangelii salutis nostrae, in cordibus Electorum, à Deo per Spiritum sanctum, oculos mentis nostrae illuminantem, mysteriúmque voluntatis divinae, adeóque totius Christianae pietatis in sacris literis contentum, nobisque propositum, revelantem, excitatum. Quo persuasi de veritate verbi divini sacrarúmve literarum propter autoritatem loquentis Dei, illis assentimur: Christúmque in illis, & in Christo Deum, cum omnibus spiritualibus ejus benedictionibus agnoscimus atque amplectimur : quámque certa sit spes nostra de opulenta & gloriosa illa haereditate, in coelo nobis parata, ad quam sperandam, & per patientiam expectandam vocati sumus, quam, inquam, certa sit haec nostra spes, cùm propter alias causas, tum maximè propter superexcellentem magnitudinem potentiae Dei promittentis, quam tum erga nos credentes re ipsa declaravit, tum verò maximè in Christo exeruit, illum à mortuis excitando, & longè supra omnes principatus & potestates exaltatum, ad dexteram suam in supercoelestibus sedere faciendo, omniáque illius pedibus subjiciendo, capùtque Ecclesiae illum constituendo, Ecclesiam verò corpus illius efficiendo, nos, illuminatos jam habentes oculos mentis nostrae, manifestè videmus atque intelligimus: eóque electos nos ante mundi constitutionem fuisse in Christo, in adoptionem filiorum, atque ad illam coelestem haereditatem; ex gratuito ipsius erga nos amore, & juxta beneplacitum voluntatis illius praedestinatos, non dubitamus; usque adeò, ut de hisce omnibus rebus certò persuasi, non

possimus

possimus non odisse iniquitatem, & amare justitiam: contemnere mundum, & sincera erga Deum & erga sanctos omnes caritate affici: rapíque ad Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi sine intermissione benedicendum, qui nos omni benedictione spirituali benedixit in Christo in supercoelestibus; ut simus semper in laudem gloriae gratiae ipsius.

LOCUS SEXTUS.

De Spe.

Rogat Apostolus ut spes vocationis nostrae quae, & quàm certa sit, cognoscamus. Ergo locus de spe Christiana non est nobis negligendus.

.1 Benedictionum, quibus nos in Christo Deus benedixit, aliae in hoc possidentur seculo, aliae in altero exspectantur: & quas in hac vita consequimur, aliae praesentes sunt, aliae futurae. Omnes verò verbo Dei nobis proponuntur, cùm alibi, tum maximè summatim in hoc primo cap. ad Ephesios.

.2 Quemadmodum verò fides toti verbo Dei, tam praeterita facta narranti, mandataque divina explicanti, quàm vel incredulis & inobedientibus partim imminentia in hoc seculo mala, partim futura in altero tormenta comminanti: vel credentibus, divinaeque voluntatis amantibus bona cujusvis generis & temporis promittenti, sine ulla dubitatione assentitur: sic spes propriè accepta bonorum tantum est futurorum, atque inprimis eorum, quae in altero nos manent seculo. Veluti fuit Christus Israëlitis, antequam in carne ad eos venisset, v. 12. Et nobis omne futurum Dei auxilium, resurrectio item à mortuis, ascensio in coelum, plenáque invisibilis & futurae in coelo haereditatis possessio: vers. 18. Ideò etiam ad Rom. 8. Spes, quae videtur, non est spes: nam quod videt quis, quorsum speraret?

3. Quaecunque promissa sunt, & nondum habentur bona, si verè credantur futura, ea exspectamus, & quidem si diu differantur, per patientiam exspectare solemus: Rom. 8. Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam exspectamus: Spes, n. quae differtur (ait Salomo) affligit animam: ideò patientia opus est.

4. Est autem spes Christiana tam certa, quam fides: à fide enim divinarum promissionum ortum habet & sustentatur. Ideò fides vocatur ὑπόςασις sperandarum rerum. *Heb.* 11. Spem igitur certam esse, & quidem per patientiam futurorum bonorum à Deo promissorum exspectationem, necesse est: Rom. 8.

5. Spes porrò nostra, sicut à fide nascitur & pendet, quatenus fides divinis assentitur promissionibus: sic etiam ab eadem confirmatur, quatenus illum, qui promisit, credimus etiam, quae promisit, ea praestare posse. Ideóque Paulus postquam dixisset, ut sciatis quae, qualisque sit spes: subjecit, Et quam excellens sit magnitudo potentiae illius &c. v. 19. Et Rom. 4. Primò legimus Abrahamum, ubi audivit promissionem Dei, non considerasse corpus suum emortuum, nec in missionem disquisivisse: sed simpliciter credidisse Deo, & quidem in spem contra spem, inde verò corroboratum eum fuisse fide, quòd sciverit eum, qui promisit, posse etiam praestare. Spes igitur, sicut inde oritur, quòd credimus Deum

Deum in suis promissionibus esse veracem: sic etiam inde alitur & confirmatur, quòd persuasum habemus eundem esse omnipotentem.

6. Quare, ut fides meritis operum nostrorum non innititur, sed veritate & potentia Dei promittentis, meritis autem & obedientia solius Christi: sic etiam spes, cujus ὑπόστασις est fides. Heb. 11.

7. Hinc etiam efficitur, spem hanc esse non posse nisi in iis, qui vera fide praediti sunt in Christum: quia à fide nascitur spes, & iisdem nititur fundamentis, quibus & illa. Ideo Paulus, non pro aliis sed pro fidelibus tantum, oravit, det nobis oculos illuminatos, ut sciamus quae sit spes vocationis nostrae. Item, rem, quam sperare debemus, ad sanctos tantum pertinere docet: vers. 18. Sancti autem sunt fideles.

8. Spes fidelium spes vocationis nostrae vocatur: vers. 18. Quid autem potissimum sperare debeamus, docet Apostolus eodem versu dicens: Et quàm opulenta sit gloria haereditatis illius in sanctis &c. Ad sperandam igitur aeternam illam, & gloriosam beatámque vitam, non minus quam ad credendum in Christum, vocati sumus. Quare non minus etiam peccat, qui aeternam illam haereditatem per patientiam certo non exspectat propter Christum, quam qui in Christum non credit.

9. Si autem ad speranda illa coelestia bona vocati sumus, promissa igitur nobis sunt, qui in Christum credimus. Quare spes nostra veritate cumprimis (ut supra dictum est) promissionum Dei niti debet, & iis, quae promissiones confirmant. Et deinde potentia promittentis Dei. Et postremo meritis & obedientia Christi, in quem credimus.

10. Promissiones autem Dei de aeterna felicitate iis, qui credunt in Christum, factas confirmant: Primò, jusjurandum Dei illis additum: Secundò, sanguis Christi, quo non solum illas obsignavit, verum etiam promissam haeredidatem nobis comparavit: Tertiò υἱοθεσία, qua nos Deus Pater adoptavit in filios, eóque & haeredes fecit: Quartò, Spiritus promissionis sanctus, quo omnes fideles ad illam haereditatem obsignati sunt, & obsignatas habent in cordibus suis promissiones divinas: & qui denique in nobis est, ut certissima arra futurae promissaeque haereditatis: Quintò, aeterna immutabilisque & gratuita electio, qua Paulus asserit omnes in Christum credentes, sicut ad fidem, ad sanctitatem, ad υἱοθεσίαν, sic etiam ad hanc gloriosam haereditatem, praedestinatos fuisse: Sexto, Christi resurrectio, sessióque ad dexteram Patris, quibus confirmatur tum veritas promissionum, quia, quod promissum illi fuerat, jam impletum videmus: cùm etiam potentia promittentis, quia, quod in capite nostro potuit Deus, idem poterit etiam in membris praestare, & omnino praestiturus est. Accedit igitur promissionum confirmationisque pia quoque promittentis efficax potentia: cujus specimen in nobis reliquit, dum nos mortuos in peccatis gratia sua vivificavit & vivificat, & in novam vitam suscitavit atque suscitat: illustrissimum vero exemplum in Christo omnibus credentibus exhibuit, quum illum à mortuis excitatum in supercoelestia ad dextram suam sedere fecit. Si igitur ad hanc promissam haereditatem sperandam, & per patientiam exspectandam vocati sumus, certóque illam sperare jubemur propter Christum: qui autem promisit non solum verax est, eóque vult, sed etiam potens est praestare quod promisit: certissima igitur est fidelium spes de coelesti haereditate consequenda.

11. Accedit ad spei confirmationem ipsa quoque similitudo cum Christo, in cruce & patientia afflictionum, propter eandem causam: veritatis scilicet confessionem, professionèmque pietatis. 2. Tim. 2. Si sustinemus, etiam cum illo regnabimus. Rom. 5. Sed & gloriemur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio autem spem. Ideo Apostolus morti Christi statim addit resurrectionem. v. 20. Et Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus quod etiam vivemus cum eo. Crux igitur piorum pro Christo maximo est argumento, illos quoque gloriae Christi participes futuros in aeterna vita. Ideo Apostolus gratulatur Phil. 1. quod datum illis sit, non solum ut credant in Christum, sed etiam ut patiantur pro ipso. Et clarius 2. Thess. 1. Gloriamur de tolerantia vestra & fide in persecutionibus vestris. Quae res manifesto est indicio judicii Dei, ad hoc ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Et Heb. 12. idem tractat argumentum. Item in Actis: Sicut oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, sic & pios oportere per multas tribulationes ingredi in regnum coelorum. Crux igitur pro Christo vehementer confirmat spem de regno Christi.

12. Caeterum, sicut fides, sic etiam spes singulare Dei donum est: quod scilicet quis haec intelligat, bonáque illa coelestia certo & per patientiam exspectet. Ideo Apostolus precatus est à Deo, ut haec videre, & quaenam speranda nobis sint, quámque certa sit nostra spes, intelligere possimus. Est igitur & nobis orandus Deus, ut spem vitae aeternae nobis magis ac magis confirmet. Sperandúmque est, Deum hoc facturum, quia dona Dei in electis sunt sine poenitentia: & quod incipit bonum opus, illud perficit usque in finem.

13. Porrò, natura spei eadem est, quae & fidei: nimirum ut sit certa, ut sit perpetua, ut sit viva & efficax in electis, sperantibus in Deum. Cùm enim spes à fide oriatur, & pendeat atque foveatur: qualis est fides, talis etiam sit spes oportet. Vera igitur spe praeditus, tametsi variis tentationum generibus concutiatur, nunquam tamen penitus succumbet aut desperabit. Ratio, quia spes Christiana non humanis meritis, aut viribus, aut promissionibus, sed solidis firmissimísque fundamentis, de quibus antè dictum est, nititur, séque sustentat. Neque erit otiosa, sed certa de futura haereditate, filios Dei in officio retinebit; nimirum, ut pergant velle & perficere, quae Domino placere intelligunt; patienter ferant adversa & tribulationes, per quos Deus vult suos ingredi in regnum coelorum, persuasi quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit (Rom 5), seu non suffundit pudore, hoc est, non facit ut frustrentur sua spe, qui sperant in Domino. Ex quo sequitur, à meritis nostris non pendere: alioqui semper pudefaceret nos. Atque huc spectat tota Epistola Pauli: ut certi de promissionibus divinis non sinamus nos à fide in Christum abduci, neque ullis afflictionibus succumbamus: sed potius incrementum in vera pietate faciamus.

14. Ex his autem omnibus hanc spei Christianae definitionem colligimus: Spes Christiana donum Dei est, ex fide in Christum per afflatum Spiritus Sancti, divinas promissiones obsignantis, in cordibus fidelium excitatum: quo dono, nullis nostris meritis, sed sola promissionum divinarum veritate, multis modis confirmata, inque cordibus nostris obsignata, sola item ejusdem promittentis

tentis Dei efficaci omnipotentia, cùm erga nos credentes declarata, tùm in Christo palàm exerta, sola denique Christi, in quem credimus, & in quo speramus, obedientia atque meritis freti, quaeque promissa nobis sunt, & nondum habentur bona, atque imprimis complimentum salutis nostrae, resurrectionem à mortuis, & plenam aeternae coelestisque haeredidatis possessionem, certò constantérque propter Christum per patientiam exspectamus: atque ita per patientiam exspectamus, ut in ipsis etiam afflictionibus, quas propter Christum patimur, & nos gloriemur, & spes nostra augeatur & efficacior fiat, retinens nos in officio tum erga Deum, tum erga proximum, usque in finem.

BREVIS REPETITIO EORUM QUAE IN CAPUT PRIMUM AD EPHESIOS DICTA SUNT.

Quia quae sequuntur, sine cognitione praecedentium, rectè intelligi non possunt: idcircò judicavi me operae pretium facturum, si eorum, quae in primum caput hujus Epistolae diximus, summam breviter repetendo complectar.

Totam Epistolam duas in partes secuimus: in ἐπιγραφὴν, & in ipsius Epistolae corpus seu substantiam.

1. Ἐπιγραφὴ tria continet, personam scribentem ac salutantem: haec est Paulus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei; personas, ad quas scribit: ii sunt sancti qui agebant Ephesi fidelésque in Christo Jesu; & salutationem ipsam: haec est hujus modi, eaque usitata Apostolis, *Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.* Tota haec ἐπιγραφὴ continetur duobus prioribus versibus primi capitis.

2. Ad *corpus* autem *Epistolae* quod attinet, diximus scopum Apostoli in tota hac Epistola fuisse, Ephesios fratres ad constanter perseverandum in doctrina Evangelii à se antea auditi atque recepti, & ad incrementum in ea faciendum, cohortari: nec sinerent se ullo modo ab ea per Pseudoapostolos abduci. Summa autem doctrinae Evangelicae, quam praedicaverat Apostolus, & perpetuo praedicabat, & in qua volebat confirmari Ephesios, haec erat: Salutem nostram totam esse gratuitam, ex gratia Dei, & propter Jesum Christum gratis nobis donatam: Deum igitur esse animo, verbis totáque vita glorificandum. Proinde, ad hanc doctrinam retinendam cumprimis spectat tota haec Epistola & adhortatio: id quod ex multis hujus Epistolae locis demonstravimus.

3. Occasio porrò hanc conscribendi Epistolam duplex Apostolo data fuit: una, quia longè ante praeviderat & praedixerat falsos doctores exorituros in Ecclesia Ephesina, qui locuturi essent perversa, id est, qui docturi essent hominem non per solam fidem in Christum, sed etiam per opera legis servari, contra doctrinam Apostolorum: altera, quia videbat hos falsos Apostolos suis catenis, quibus Romae vinctus erat, ad labefactandam doctrinam, quam praedicaverat, abuti posse. His causis adductus Apostolus hac Epistola fideles ad retinemdam veram fidem in Christum, quae per dilectionem operatur, & ad faciendum in ea progressum, cohortatus est.

4. Totum hujus Epistolae corpus in duas praecipuas partes, tanquam in primaria membra, pro suo more dividit Apostolus: nempe in eam, quae est de

de doctrina & fide, & in eam, quae est de moribus vitáque Christiana. Hortatur enim primum ad sanam fidei doctrinam constanter retinendam, idque tribus prioribus capitibus: deinde ad sanctè vivendum, ut dignum est vocatione nostra, ídque tribus aliis capitibus.

5. Ad priorem Epistolae partem quod attinet, quae de doctrina est fidei: summa, quam tuetur Apostolus, haec est: Hominem nullis propriis operibus, tamquam meritis causisque salutis, servari, sed sola Dei gratia in Christo & per ac propter Christum. Huc enim referuntur tandem omnia, quae tradit in primo, secundo, & tertio capitibus: ut, scilicet, intelligamus, quicquid benedictionum spiritualium habemus, habituríve sumus, illud totum nos habere habiturósve esse à solo Deo Patre, in solo Christo, & propter solum Christum: virtutéque Spiritus Sancti nobis re ipsa communicari, excitata in nobis per Spiritum fide, qua beneficia haec agnoscamus & amplectamur. Ac proinde dandam nobis esse operam, ut Deum modis omnibus, animo, lingua, sanctitate vitae semper glorificemus, quemadmodum initio primi capitis docet, dicendo: *Benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi: qui benedixit nos omni spirituali benedictione in supercoelestibus in Christo.*

6. His paucis Apostoli verbis duas diximus contineri propositiones, ad quarum unam prior pars Epistolae, ad alteram posterior referenda est. Et una quidem propositio est de beneficiis Dei erga nos in Christo, altera verò de officio nostro erga Deum propter ipsius erga nos beneficia. Prima itaque propositio, quam prioribus capitibus explicat expolit confirmátque, haec est: *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi benedixit nobis omni benedictione spirituali in supercoelestibus in Christo.* Altera verò, quam postea tribus posterioribus capitibus explicat, haec est, *Benedicendus igitur nobis semper est hic Pater Deus, qui nobis in Christo benedixit: benedicendus, inquam, est*, hoc est, *laudandus & glorificandus modis omnibus, animo grato, verbis laudis, sanctitate vitae.* Sed hanc proponit per gratiarum actionem, dicendo: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi.* Haec summa est atque partitio totius Epistolae.

7. Primum porrò caput, post inscriptionem ac salutationem, in duas distinximus partes principales: quarum prima à vers. 3. ad versum 15. extenditur: altera à 15. in finem usque capitis. In utraque quidem parte *beneficia Dei, seu benedictiones spirituales, quibus nos Deus benedixit in Christo*, explicat: sed diversitas tamen quaedam est inter utramque partem, quia praeter alia diversa, in prima explicat propriè beneficia, quae percepimus quotidiéque percipimus; in altera, quae percepturi sumus: uti est resurrectio & plena aeternae vitae possessio: quod nimirum, cum *Christus datus sit Ecclesiae caput, ipse verò excitatus à mortuis sedeat ad dexteram Patris in supercoelestibus locis:* ibi nos tandem aliquando re ipsa sumus cum illo, sit necesse.

8. In prima igitur parte beneficia spiritualia, quae à Patre in Christo & propter Christum accepimus, summa quidem brevitate, sed non sine magna verborum majestate praedicat; trifariam autem ea nobis consideranda proponit.

Primum, quatenus ea fuerunt nobis in aeterna praedestinatione praeparata, idque in Christo, tamquam capite nostro: vers 4. 5. 6.

Secundo,

Secundo, quatenus re ipsa fuerunt praestita nobisque exhibita, non quidem in nostris (ut ita loquar) personis, sed in persona Christi capitis nostri. *In ipso enim jam carne nostra induto facta fuit redemptio, expiata peccata, eorum remissio collocata, denique thesauri omnes spirituales in ipso positi:* vers. 7.

Tertio, proponit beneficia eadem consideranda, quatenus re ipsa nos ipsi simus eorum bonorum participes, donati Spiritu Sancto & fide, qua illa intelligimus & amplectimur. vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

9. In altera autem parte gratulatur Primum Ephesiis ipsorum pietatem, quam fide in Christum constanti & caritate in sanctos declarabant: Deinde precatur illis fidéi totiùsque pietatis incrementum: Postremo commemorans futura Christi beneficia, resurrectionem scilicet & plenam aeternae vitae possessionem, spem facit fore ut illa etiam reapse consequamur: ratio, quoniam caput Ecclesiae Christus eadem etiam prior suo & nostro nomine consecutus est.

10. Conclusio autem horum omnium est, *salutem nostram totam esse á Deo gratuitam, in Christo & propter Christum: quia, sicut elegit nos gratis in Christo, sic etiam gratis redemit, gratis vocavit, gratis glorificat, omnique spirituali benedictione benedicit nobis, non in Mose, nec in ulla creatura, sed in solo Christo: quare non per legem, legisve opera, sed per solam fidem in Christum, seu per solum Christum fide apprehensum nos justificari & servari.*

11. Finis porrò totius hujus doctrinae de gratuita salute fuit & est, ut hinc discamus *Solum Deum in Christo glorificare & illi benedicere: quia solus etiam prior nobis benedixit*, non autem Moses: *& quidem in Christo*, non autem in Mose: *& non aliqua, sed omni spirituali benedictione.* Nullam igitur nos habere benedictionem à Mose, aut in Mose, *sed à solo Deo, & in solo Christo; à quo, sicut accepimus gratis redemptionem, remissionem peccatorum, regenerationem pignúsque aeternae vitae, sic etiam gratis accepturi sumus resurrectionem corporum nostrorum, plenámque aeternae vitae possessionem, quemadmodum etiam ipse prior accepit, cùm sit caput Ecclesiae, nos verò ejus membra. Merito itaque solum Deum in Christo esse benedicendum & laudandum.* Haec est summa eorum, quae diximus in primum caput.

12. Locos verò communes Theologicos explicuimus sex ex ipso priori capite:

1. *Locum de Electione ac Praedestinatione.*
2. *Locum de Redemptione.*
3. *Locum de Dispensatione redemptionis, totiúsque salutis nostrae.*
4. *Locum de Evangelio, per quod dispensatur salus.*
5. *Locum de fide, qua salutem percipimus.*
6. *Locum de spe, qua futura bona, resurrectionem imprimis & possessionem aeternae vitae, per patientiam exspectamus.*

Quam verò in primo capite de gratuitis benedictionibus ac beneficiis, nobis à Deo in Christo exhibitis, eóque de nostra salute tota omnino gratuita, proposuit doctrinam: eandem capite etiam insequenti confirmat atque illustrat Apostolus; idque ἀντιθέσει, seu collatione facta inter miserrimum statum Ephesiorum aliarúmque Gentium priorem ante conversionem ad Christum, & inter statum felicissimum posteriorem, quem per Christum assecuti sumus: ut hinc verè appa-

appareat, *nos sola Dei gratia per Christum justificatos esse & servari, eóque soli Deo in Christo omnem gloriam esse tribuendam, eúmque solum benedicendum.*

CAPUT II.

Scopus Apostoli in hoc altero capite est, eandem, quam & in priori tradidit, doctrinam *de gratia Dei in solo Christo*, déque gratuita salute per solum Christum, confirmare & illustrare: & ea re Ephesios nósque omnes ad perseverandum in fide Christi, & ad incrementum in ea faciendum, exstimulare. Hic est scopus.

2. Summa porro totius capitis haec est. Nos omnes, quotquot electi fueramus in Christo ante mundi constitutionem, postmodum creatos peccasse, nempe originali primum, deinde actualibus etiam multis peccatis atque sceleribus, & ita mortem damnationémque aeternam, mancipia Diaboli factos, incurrisse: verùm summam dilectionem, *qua Deus dilexit nos in Christo:* ex mera ipsius misericordia & gratia liberatos nos à peccato, & tum in Christo capite, tum re ipsa per communicatum nobis Spiritum Christi, perque donatam in eum fidem, vivificatos fuisse: ita ut, cùm antea essemus sine Christo, abalienati à Republica Israëlis (id est extra Ecclesiam Dei) & extranei à pactis promissionis, spem non habentes, Deóque carentes in mundo: nunc per sanguinem Christi reconciliati sumus Deo, & re ipsa cum capite Christo, cúmque vera ejus Ecclesia, tam coelesti quàm terrena, conjuncti, effecti jam cives sanctorum ac domestici Dei, superstructíque super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, quod est Christus, electos omnes in unum secum conjungens, vimque nobis perpetuam praebens, qua cum ipso semper omnes in unum novum hominem, & in unum templum sanctum Domino coalescamus: Totúmque hoc gratis, non ex operibus, ne quis glorietur: sed ut solus Deus glorificetur, & benedicatur à nobis. Haec est summa capitis.

3. Duo itaque praecipua Theologiae capita hìc ab Apostolo abundè tractantur, multisque ex professo inculcantur: nimirum de peccato hominis, & gratia Dei in solo Christo, *quod per hunc solum fide apprehensum justificemur.* Interim quidam etiam alii loci obiter attinguntur: ut locus de abrogatione legis, & locus de vocatione Gentium, deque unione duorum populorum in unum corpus sub uno capite Christo. Sed in illis duobus prioribus locis, de peccato, & de gratia, totum ferè caput versatur.

Amplificatur autem peccatum humani generis, ut inde gratia Dei in Christo clarius illustretur: qua justificati, & ex illo priori miserrimo statu in alterum longè felicissimum translati & asserti sumus per Christum.

Hujus autem gratiae Dei & beneficii Christi illustratio eò tota spectat, ut nos, perspecta tanta bonitate Dei in Christo erga nos, tum ad Deum glorificandum, tum ad perseverandum in fide Christi, progressúque in ea faciendum, tum denique ad totius Christianae pietatis studium promovendum, magis ac magis accendamur.

Hic est finis amplificationis peccati nostri, & gratiae Dei in Christo.

4. Caeterum licet duo haec praecipua capita de peccato, & de gratia, in toto (ut ante diximus) capite variè tractentur, ita ut eadem summa doctrinae

&

& initio capitis proponatur, & ad finem usque explicetur; docendi tamen causa duas in partes totum secamus caput: quarum prima continetur decem prioribus versibus: altera reliquis ad finem usque capitis. Quae verò sit prioris partis summa, & quid singulis contineatur versibus, postquam percurrero contextum, explicabo. Nunc itaque Paulum audiamus.

V. 1. *Et vos cùm essetis mortui* τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις.

Hoc alterum membrum bifariam exponitur: *Primum*, ut Dativus Graecus accipiatur pro Ablativo, quasi dicat, *delictis & peccatis*, id est, per delicta & peccata mortui eratis: quo sensu dicitur etiam aliquis mortuus veneno, vel gladio, id est, per venenum aut gladium. *Deinde*, & praepositio ἐν subintelligatur, hoc modo, *cùm mortui essetis in delictis & peccatis*. Sic enim legit Syriacus: & sic etiam Colos. 2. 13. idem habetur cum praepositione, ἐν τοῖς παραπτώμασι.

V. 2. *In quibus aliquando* (vel olim) *ambulastis, juxta seculum mundi hujus, juxta Principem potestatis aëris, & Spiritus nunc agentis in filiis* (ἀπειθείας) *contumaciae* pro contumacibus.

Variè exponitur & vertitur hic versus:

Illud *in quibus* ἐπεριπατήσετε vertunt, *versati estis:* sed verbum *ambulandi* placet. Sensus enim est Gentes, ante conversionem ad Christum, placidè & securè sinéque ullo metu Dei, more eorum qui securè deambulant, totam vitam suam in peccatis traduxisse: Haec est vis verbi *ambulare in peccatis:* id est, in peccatis securè vivere. Illud, juxta seculum, κατὰ τὸν αἰῶνα hujus Mundi, Syriacus legit (interprete Immanuele Tremellio) secundum *mundanitatem*: id est, *vanitatem hujus mundi*: nisi malis dicere, secularitatem hujus seculi. Est enim dictio Syriaci a עלם Hebraico: quod seculum nobis est, & Graecis αἰὼν, quasi dicat secundum profanam & vanam mundi, id est, hominum hujus mundi, vitam.

Alii, ut est vita hujus mundi: hoc est, secundum quod solet vivere mundus, tam in religione quàm in moribus. Nam αἰὼν vitam etiam, seu tempus vitae hominis, significat, ut notum est: unde Hesiodus γλυκερῆς αἰῶνος ἀμέρσαι, *dulci vita privare*. Ita idem sensus fuerit utriusque versionis: Ephesios, ante conversionem, vitam totam securè traduxisse in delictis & peccatis, prout etiam reliqui homines hujus mundi vivere solent: tum in religione colendo idola, tum in reliqua vita sequendo carnis voluptates.

Sic etiam Scholia interpretantur: αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου τὸν διεστραμμένον λέγει βίον: distortam scilicet à lege Dei & perversam vitam.

Ab hac interpretatione non recedo, sed tantùm addo hac voce αἰῶνος, Mundi, significari non simpliciter vitam & mores hominum hujus mundi, sed mores & consuetudinem jam olim receptam: & pertinaciter in omni seculo apud omnes retentam: ut sit sensus, *vos ambulastis securi in delictis & peccatis*, imitati hac in parte veterem & communem reliquorum hominum hujus mundi consuetudinem: colentes scilicet idola, & vestras sequentes voluptates, sicut & reliqui.

Illud quod sequitur, *Et juxta potestatem principis aëris* (sic enim habet ad verbum) *& Spiritus operantis* &c. variè etiam vertitur, & exponitur. Syriacus habet,

habet, *Et juxta voluntatem praecipuae potestatis aërei Spiritus, qui efficacem se praebet.*

Omnes Diabolos vult appellari potestates, sicut est etiam infra cap. 6. 12. Sed unum praecipuum esse omnium harum potestatum Principem & Ducem Satanam, quem vocat praecipuam potestatem.

Illud τοῦ πνεύματος vult esse explicativam particulam, quid sit ista praecipua potestas, Spiritus est (inquit) aëreus: hoc est, non ex substantia quidem aërea, sed habitans & dominans in aëre: id est, mundo: sicut & Christus vocat Principem hujus mundi.

Scholia eodem ferè modo interpretantur. Ideò rationem afferens Scholiastes, cur Satanas vocetur ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος τοῦ πνεύματος, ait, ἄρχει γαρ και ἐξουσίαζει ὁ Σατανᾶς τῶν ἐναερίων καὶ πονηρῶν πνευμάτων.

Discrimen hoc tantum est inter Syriacum & Scholiasten: quod ille vocem τοῦ πνεύματος ad solum Satanam immediatè refert, nempe quod sit Spiritus potentissimus quidem, sed tamen efficax tantum in filiis contumacibus: Scholiastes autem refert ad omnes potestates seu Diabolos, quod omnes sunt Spiritus aërei, efficaces in filiis contumacibus.

Alii legunt secundum principem, cui potestas est aëris: (quasi dicat, qui princeps est hujus mundi; quod sequitur τοῦ πνεύματος non intelligunt per appositionem, sed subintelligunt καὶ, & nomine Spiritus intelligunt afflatum Diabolicum, quo mundus impellitur ut resistat Evangelio & ambulet in peccatis: ut sit sensus, Satanam principem quoque esse & primarium autorem hujus afflatus, quo homines mundi ad ambulandum in delictis, & ad resistendum Evangelio impelluntur. Ex hujus autem principis arbitrio Ephesios olim vixisse.

Sententia haec, quae ita distinguit & interpretatur τὸ πνεῦμα, mihi magis placet: sed rursus magis etiam probatur sententia Syriaci & Graecorum, ut nomen ἐξουσίας in singulari pro plurali accipiatur, propter locum Apostoli adductum ex cap. 6. hujus Epistolae. Neque inusitatum est Spiritui Sancto, in sacris literis, uno in singulari numero nomine multos & omnes ejusdem nominis significare: ut nomine peccati omnia peccata, cum ait Joannes de Christo: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* omnia complectens peccata. Ita hìc Satan princeps τῆς ἐξουσίας pro τῶν ἐξουσιῶν appellatur. Ratio autem, cur Apostolus Diabolos modo in plurali nominet potestates, ut Ephes. 6. modo in singulari potestatem, ut hìc, haec mihi esse videtur. Singulari numero utitur, ut significet omnes tanquam exercitum unum, communi animo, in unum adversus nos conjurasse, & ad unum atque eundem finem omnium istorum astutias & arma spectare: plurali verò numero eos nominat, ut ostendat eos nobis esse reformidandos, non solum propter commune odium omnium contra nos, sed etiam propter potentiam, quod sint multi, & ubique praesto ad nos perdendos.

Itaque haec videtur esse Apostolica Satanae descriptio, quod sit princeps omnium potestatum, id est, Diabolorum, qui in hoc aëre & mundo dominantur; & simul etiam princeps primúsque autor hujus spiritus, id est, afflatus mali, quo mundus, id est, homines mundi excitantur, ut resistant Evangelio, ambuléntque in peccatis.

Quod verò addit spiritum hunc efficacem esse in filiis contumacibus, de

eo

eo nulla est diversa lectio aut sensus. Differentiae autem causa hoc adjecit Apostolus, ut doceret, licet Daemones, utpote potestates hujus aëris, potentes sint suo isto spiritu & afflatu: potentiam tamen hanc suam non posse exercere in omnibus, ut in piis hominibus, sed tantum in impiis ac contumacibus, qui non sinunt sibi persuaderi à Spiritu Sancto, quae tradita sunt in sacris literis. Ii enim significantur nomine filiorum τῆς ἀπειθείας. Haec de versione & sensu secundi versus.

V. 3. *Inter quos* (filios ἀπειθείας.) *& nos omnes conversabamur olim in concupiscentiis voluntatis carnis & cogitationum* (ad verbum id est, quae carni & cogitationibus placebant) *eramúsque filii irae, sicut & reliqui,*

Hîc inter interpretes nihil video discriminis, nisi quod Syriacus principium versus ἐν οἷς, in quibus versabamur & nos non ad filios τῆς ἀπειθείας, *ambulantes in peccatis*, refert: sed ad opera mâla ac peccata, ad quae facienda Satan efficax est in filiis contumacibus. Construit enim cum praecedenti versu hoc modo: dixerat, qui (spiritus) sese praebet efficacem in filiis contumaciae. Nunc subdit quibusnam in rebus sese praebeat efficacem. In illis (inquit) operibus, in quibus etiam nos versabamur. Sed retineo receptam sententiam: ἐν οἷς, inter quos filios ἀπειθείας. Quod ad finem addit plenè, *Eramus plenè natura filii irae*, illud tanquam explicationem amplector, quasi dicat: non una parte naturae sed tota planè nostra natura eramus filii irae.

V. 4. *Sed Deus, qui dives est in misericordia*, vel (ut Graecè legitur) *dives existens, seu dives cùm esset in misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexet nos.*

V. 5. *Etiam cùm essemus mortui delictis* (seu per delicta) *convivificavit nos Christo:* (vel vivificavit nos unà cum Christo) *(gratia* (id est per gratiam) *estis servati).*

Syriacus, quod hîc per parenthesin legimus *(gratia estis servati)*, ille sine parenthesi cum praecedenti beneficio conjungit dicendo, *Et per gratiam suam redemit nos.*

V. 6. *Et conresuscitavit* (nempe nos cum Christo) *& consedere fecit in supercoelestibus in Christo Jesu.*

In versione nulla ferè est inter interpretes differentia: tantum Syriacus illud, *In Christo Jesu*, legit per Christum Jesum. Sed magis placet Graecus textus, *in Christo Jesu*. Hoc enim adjecit Apostolus, ut doceret eos quidem, ad nostras personas quod attinet, nondum re ipsa corporaliter esse resuscitatos, aut sedere jam in coelestibus, sed tantùm in capite nostro, in persona Christi, ut certissimam spem habeamus fore ut etiam re ipsa in nostris personis illud tandem impleatur.

V. 7. *Ut ostenderet in seculis supervenientibus* (vel superventuris, aut, ut Beza, succedentibus) *superabundantes divitias* (vel summam opulentiam) *gratiae suae in benignitate sua*, (id est per benignitatem suam) *erga nos in Christo Jesu.*

V. 8. *Gratia enim estis servati per fidem (idque non ex vobis, Dei donum est).*

Syr. ait, *Gratia enim sumus redempti, &c.*

V. 9. *Non ex operibus, ne quis glorietur.*

V. 10. *Ipsius enim sumus opus* (Factura, Hier. & Valla legunt; Syriac. creatura) *conditi in Christo Jesu ad opera bona, quae praeparavit Deus* (Syr. quae ab initio paravit) *ut in eis ambularemus.*

Hic

Hic est contextus prioris partis hujusce capitis. Subdividitur autem in quatuor particulas, quarum haec est summa:

Prima particula, hoc est primis tribus versibus, docet Apostolus, omnes homines, tam Judaeos quàm Gentiles, non solum ambulasse, id est vitam suam securè traduxisse in omni peccatorum genere, verum etiam in eis conceptos & natos esse, eóque natura esse filios irae: itaque mortem incurrisse, spiritualem inprimis, deinde etiam corporalem, & illam aeternam: mancipia item factos esse Satanae, cujus quanta sit potentia describit: totam denique naturam esse corruptam, animam & corpus, ita ut facti simus toti carni concupiscentiisque ejus obsequentes. Haec sunt effecta peccati, in quo nati sumus & versati.

Sed dum noxam & effecta peccati explicat Apostolus, simul etiam causas quasdam peccatorum subindicat, nimirum exemplum catholicum, & consuetudinem mundi: Satanae instigationes, & carnis nostrae tentationes ac concupiscentias.

Haec summa prioris particulae.

Secunda particula, hoc est tribus aliis insequentibus versibus 4. 5. 6. declarat, cùm essemus ita mortui, à quonam, per quem, & quibusnam ex causis simus vivificati: nimirum *à Deo, per Christum, & ex immensa caritate ac gratia ejus erga nos.*

Tertia particula, hoc est septimo versu, causam quandam finalem hujus gratuitae salutis erga Ephesios aperit; ut scilicet iis, qui secuturi erant, exemplum suae immensae misericordiae & gratiae, hac benignitate in Christo praestita, praeberet.

Quarta, id est tribus versibus postremis, 8. 9. 10. confirmat conclusionem, nos scilicet gratis salvos esse factos, & ex mero Dei dono: quando etiam fides, regeneratio, operáque fidei, dona sunt Dei, per quae tamen vult glorificari. Haec est subdivisio, & summa prioris partis.

Continuatur autem hic contextus cum superiori hoc modo. Concluserat Apostolus, cùm Christus sit constitutus caput Ecclesiae, nos verò omnes simus ejus membra; quicquid Deus contulit in Christum, tanquam caput nostrum, totum illud in nos quoque partim jam collatum esse, partim collatum iri, per eandem potentiam erga nos Dei, quam etiam in Christo exeruit. Non enim Christum carere posse suis membris: quae sunt πλήρωμα ipsius. *Atqui Deus Christum hominem, & caput nostrum, mortuum pro nobis, excitavit à mortuis, extulit in coelum, & sedere etiam fecit ad dexteram suam in supercoelestibus locis.* Ergo nos quoque partim in ipsius persona jam suscitavit, & sedere fecit in supercoelestibus locis, partim re ipsa in nobis beneficium hoc jam spiritualiter inchoatum, tandem suo perficiet tempore. Hoc igitur est, quod ait, praemissa copula, *Et vos* (scilicet vivificavit) cùm *essetis mortui.* His explicatis, nunc accedimus ad res ipsas in singulis versibus considerandas & explicandas.

De peccato, peccati effectu & poena.

V. 1. *Et vos cùm essetis &c.*

Duo in hoc versu habemus, peccatum, & primum peccati effectum atque poenam

poenam, nempe mortem: Mortem, cùm ait, *cùm essetis mortui*; peccatum, hujus causam, cùm ait, *cùm essetis mortui in delictis, vel per delicta.*

Propositum autem Apostoli est, demonstrare, nos fuisse mortuos, unde? à peccato, mortis causa.

Hîc igitur *Primùm* locutio est observanda: *deinde* de peccato, & *tertio* de morte aliquid dicendum & observandum est. Ad primum: Locutio mirabilis est; ait *Ephesios fuisse mortuos in peccatis:* & tamen mox subdit, Eos ita mortuos ambulasse in peccatis: quomodo mortui ambulant? Quo mortis genere quis mortuus est, vitae certè illi morti oppositae opera praestare nequit. Docet igitur Apostolus hac sua phrasi, se non de quavis morte, sed de Spirituali hoc loco immediatè & propriè locutum fuisse.

Secundo, locutio haec. mortuum esse peccatis, duplicem habet sensum: Unus est, non amplius servire peccatis: nam qui nobis mortuus est, is amplius nobis sua non potest praestare opera; ita, qui mortuus est justitiae, justa opera non potest facere: qui peccato mortuus est, peccati desideriis servire non potest. Et hoc sensu dixit ad *Rom.* 6. Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? *Item*, Existimate vos mortuos esse peccato, viventes autem Deo. Sensus iste non quadrat huic loco, imò planè contrarius est.

2. Secundus sensus est, mortuum esse peccatis, (in ablativo casu), id est, per peccata (ut suprà diximus) & propter peccata. Per peccatum quidem tanquam per instrumentum. Est enim peccatum instrumentum & medium, *quo Diabolus nos enecat, & vita privat.* Sic Roman. Cap. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Propter peccatum autem, tanquam causam propter quam Deus nos vita privat. Et sic *Rom.* 6. Stipendium peccati mors est. Et ita Christus etiam dicitur semel mortuus esse peccato (non suo, sed nostro) ad Rom. 6. quia propter peccata nostra mortuus est. Nos & per peccatum mortui sumus ante conversionem; ideo utroque sensu rectè dixit Apostolus, *Ephesios mortuos fuisse peccatis.*

Si verò legas, *mortuos esse in peccatis*, praeter praedictum sensum aliquid etiam amplius dicit Apostolus, quod ad gratiae illustrationem pertinet majorem: nempe Gentiles ita fuisse peccatis deditos & immersos, praesertim idolis suis colendis, ut non magis possibile esse videretur, ut ad studium justitiae redirent, & ad cultum veri Dei, quàm ut mortuus redeat ad vitam. Et tamen per Christum redierunt. Ille enim dicitur alicui rei esse immortuus, à qua non potest amplius avelli. Amplificatur ergo beneficium gratiae Dei, quòd, de quibus nulla prorsus erat spes salutis & vitae spiritualis, per Christum sint vivificati.

4. Observanda igitur est haec locutio adversus Pelagianos Scholasticos: qui aiunt hominem per peccatum esse factum semimortuum, ita ut aliquid vitae & virium ad opera justitiae in eo relictum sit: ad quod probandum abutuntur parabola Christi de homine vulnerato à latronibus, sed non prorsus mortuo: Parabola verò est, & alio spectans. Luc. 10. At Paulus apertè, & sine parabolis, appellat omnes nos propter peccata mortuos; & sic alibi saepius. Et Christus, *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. 9. Tantum igitur virium est in homine non renato ad bonum & ad opera justitiae, quantum est in homine mortuo ad opera praesentis vitae.

Ac

Ac de locutione haec observata sunto: tantum retineatur propositum Apostoli: *Nos verè mortuos fuisse per peccata.*

Nunc de peccato nonnihil dicendum, quantum ad loci intelligentiam pertinet. Nam locum de peccato seorsim absoluto capite tractabimus, Deo volente.

Dubium non est, quin Apostolus in his tribus versibus & de originali agat, & de actualibus: sed de actualibus priori loco, tanquam nobis notioribus. nempe hoc primo vers. & 2 & 3. Deinde de originali, in fine tertii, cùm ait, *Et eramus omnes natura filii irae sicut & reliqui, & c.* Si natura filii irae, ergo etiam natura peccatores.

Ergo, quod hîc ait, *mortuos fuisse Ephesios in delictis & peccatis*, licet possit ad peccatum etiam originale accommodari, quando etiam David de eodem loquens in plurali dixit. Psal. 51. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:* tamen ego non dubito, quin de actualibus loquatur, & in primis de idololatriis & idolomaniis, in quibus erant ita immortui & sepulti, ut inde nunquam ad verum Deum converti posse viderentur.

Adde, quod subdit, *eos in istis peccatis ambulasse*, id est, vitam suam securè, quasi benefacere sibi viderentur, traduxisse. De actualibus ergo, & in primis de idolorum cultibus, locutus est hîc Apostolus.

Ad duas has voces quod attinet, παράπτωμα, ἁμαρτίαν, utraque significat erratum, & aberrationem nempe à regula legis divinae. Unde & omne peccatum dicitur ἀνομία, quia declinat à lege Dei. Et Cicero in Paradoxis dixit, *Peccare nihil aliud esse, quàm lineas transilire.*

Παράπτωμα certè à verbo παράπτόμαι (?) derivatur, quod significat temerè aberrantéque manu aliquid tangere: Ideò erratum significat; ἁμαρτία etiam idem significat: Est enim, teste Suida, τοῦ ἀγαθοῦ ἀποτυχία: Et, ut Erasmus ait, erratum significat, quod ex ignorantia contingit.

Sunt qui velint priori nomine significari peccatum originale, altero actuale; sed nullam afferunt rationem suae sententiae.

Sunt etiam, qui alio modo distinguant unum ab altero, quod primum significet pravos motus internos, qui non perficiantur: alterum pravos motus externos, qui, scilicet, perficiantur. Sic Hieronymus. Sed non semper hoc discrimen servatur. Imò in scripturis video usurpari utrumque pro quovis peccatorum genere: & utroque significari quicquid aberrat à lege Dei, sive repugnat, seu omnem ἀνομίαν: Cùm autem etiam corruptio naturae repugnet legi divinae, non incongruè dici potest his vocibus, ipsum quoque peccatum originale indicari, quod ipse etiam David vocat *iniquitates & peccata.* Magis tamen placet, quod initio dixi, hîc probari eos fuisse mortuos, probari, inquam, à peccatis actualibus, quae negare non poterant, quia in illis manifestè ambularant: postmodum indicari etiam radicem vers. 3. cùm ait, *Omnes natura esse filios irae.* Si quod tamen discrimen inter has duas voces faciendum est, puto hoc fieri posse: nempe ut primo vocabulo significetur externa idololatria, altero ipsa interna idolomania. Etsi enim dubium non est, quin Apostolus Gentes accuset de peccatis omnibus, tam in secundam quàm in primam tabulam, seu tam in moribus quàm in religione admissis: tamen speciatim de peccatis, quae in Deum immediatè, & contra ejus cultum erga

idola

idola admiserunt, eos accusare mihi omnino videtur: id quod liquet primum ex eo quod subjicit, *eos ambulasse in peccatis,* juxta seculum mundi hujus, id est, juxta catholicam totius mundi inveteratámque consuetudinem. Hoc autem erat commune omnium gentium, & ubique locorum, omniúmque temporum, ut colerent idola, idque securè sine ullo conscientiae scrupulo, aut metu Dei, quia putabant se verum Deum, & vero cultu colere. Deinde idem liquet ex amplificatione peccati, quam postea subjiciet in secunda parte, dicendo: *Eratis sine Deo, sine Christo, alienati à Republica Israëlis.* Tertio liquet etiam à contrario, id est, à conversione ipsorum, cùm ait, *Eos factos esse propè & accessisse ad veram Ecclesiam, & ad Christum,* hoc est, ad veram religionem esse conversos. Speciatim igitur accusat eos de falsa religione. Haec autem dividitur in idololatriam & idolomaniam: & utrùmque est verè erratum, quia ex ignorantia Dei est. Ergo absurdum non fuerit dicere uno vocabulo significari idololatriam, altero idolomaniam: externam & internam idololatriam.

Sed utut sit, summa haec est, hîc à Paulo demonstrari omnes gentiles fuisse mortuos: ratio, quia omnes peccatores, & in peccatis fuerunt. Ergo cùm Deus eos vivificarit in Christo, ea in re suam potentiam declarasse, quanta sit, sicut & in Christo eam exeruit, cùm suscitavit eum à mortuis.

De Morte.

Sed de quànam morte loquitur, & quid est ista mors?

Triplex est mors. 1. *Spiritualis* de qua *Joh.* 5. Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent 2. *Corporalis,* omnibus nota; de utraque est illud, *Matth.* 9. Sinite mortuos (spiritualiter) mortuos suos (corporaliter) sepelire. Et tertia, mors illa *aeterna* & ad corpus & ad animam pertinens, qua afficientur omnes impii in inferno.

Has omnes esse peccati effecta, id est à peccato profectas, nemini ignotum est. Has enim omnes minatus est Deus Adamo, cùm dixit, *Quacunque hora comederis, &c. morte morieris.* Nam tum statim mortuus fuit spiritualiter, incurrit etiam in mortem corporalem, quia factus mortalis, & reus factus fuit aeternae mortis. Ideo neque dubium est, quin tota Adami posteritas, non solùm Gentiles sed etiam Judaei, tum propter peccatum originale, tum propter peccata actualia, hoc triplici mortis genere puniti fuerint: mortui statim spiritualiter & morti corporali atque aeternae obnoxii effecti. Ergo neque incongruum est dicere, Apostolum, cùm dixit: *nos Gentiles mortuos esse peccatis,* seu per & propter peccata, omne mortis genus complexum esse. Nam cùm etiam dixit, nos fuisse cùm Christo vivificatos, & resuscitatos, procul dubio intellexit beneficio Christi & gratia Dei nos omnibus istis mortis generibus liberari. Totum hoc verum est. Interim circumstantiae praesentis loci Paulini docent nos, Apostolum propriè & immediatè hîc de morte spirituali locutum fuisse. Huic enim morti opponit vitam, qua jam per gratiam Dei, & propter Christum reapse vivificati erant, & ejus opera praestabant, facti jam reipsa membra Christi. Haec autem fuit vita spiritualis, ex regeneratione Spiritus Sancti comparata. Propriè igitur hîc, omnium quoque interpretum judicio, de

morte

morte spirituali sermonem instituit Apostolus. Atque haec est prima mors, de qua in Apocalypsi c. 20. sicut liberatio ab hac prima morte prima quoque resurrectio appellatur ab eodem Johanne in Apocalypsi, dicendo: *Beatus qui habet partem in resurrectione prima.* Tenemus igitur primum peccati effectum, & primam noxam, quae est mors prima ac *spiritualis.* Sed quídnam propriè est haec mors? A definitione ejus mortis, quae nobis notior est, nempe corporis, facilè quid etiam sit haec spiritualis intelligetur. Cum mors sit oppositum vitae privativum, vita autem à principio intrinseco, quod est animae, oriatur & ejus sit effectum, ut definiunt Philosophi, & omnibus notum est: sic definienda est mors, per privationem scilicet vitae.

Mors *corporalis* privatio est vitae, eóque & omnium vitae actionum, ex animae à corpore separatione seu absentia profecta. Quid sit vita & vivere, nunc non disputamus: alibi non pauca diximus. Hoc tantùm repeto, vitam effectum esse animae: quia anima principium est intrinsecum: *quo vivimus, sentimus, intelligimus.* Differt igitur vita ab anima, sicut effectum à causa, & ita etiam effecta operationésque vitae à vita ipsa differant necesse est. Sunt igitur tria in vivente inseparabilia. Anima vivificans, vita ipsa, & vitae actiones: *tolle animam, sustuleris vitam: tolle vitam, nullae supersunt actiones vitales.*

Rectè igitur diximus, mortem esse privationem vitae, eóque & omnium vitae actionum, ex animae à corpore separatione profectam. Sic igitur etiam de spirituali dicendum est vita & morte. Vita spiritualis est quoddam esse spirituale & divinum, quo ad actiones spirituales & divinos movemur, à praesentia Spiritus Sancti in nobis inhabitantis profectum. Spiritus Sanctus regenerans, in hac vita spirituali, sese habet loco animae. Ipsum spirituale & novum esse, quod per regenerationem à Spiritu Sancto accipimus, est ipsa spiritualis vita, quae & novae creaturae & divinae naturae nomine significari solet. Sanctae autem & spirituales cogitationes, sancta desideria, sanctae denique tam internae, quam externae actiones, operationes sunt hujus vitae spiritualis. Quid igitur fuerit mors *spiritualis?* Privatio vitae spiritualis, eòque omnium spiritualium & bonarum actionum, in homine Spiritus Sancti vivificantis praesentia destituto, à peccato & propter peccatum exorta.

Hinc discimus, quicunque per Spiritum Sanctum regeniti non sunt, Spiritumque Christi non habent in se inhabitantem, eos mortuos esse, ac proinde neque ullum vitae opus praestare posse: sed tantùm foetere instar cadaveris. Spiritus autem Sanctus certè non habitat ubi regnat peccatum, ita ut obediatur concupiscentiis ejus. Manifestum igitur est, qui vivunt in peccatis, eos mortuos esse per ipsa peccata, & in ipsis peccatis, ut Apostolus docet: ac proinde eos nil habere virium ad verè bonum, & ad vitae Spiritualis actiones. Quid enim mortuus corporis morte virium habet ad actiones praesentis vitae? Sic neque mortuus spirituali morte quidpiam valet ad opera Spiritualis vitae. Quare sicut ἀδύνατον est, ut mortuus resurgat, nisi à Deo vivificatus, quia naturaliter à privatione ad habitum non datur regressus: Sic etiam hoc significare voluit Apostolus, cùm dixit nos mortuos esse peccatis nostris: non dixit vulneratos, non semimortuos, sed simpliciter mortuos. Quorsum verò haec doctrina? Ut melius

melius agnoscatur gratia Christi, qui nos totos vivificat, resuscitat, regenerat, omnésque vires ad bonum suppeditat. Si tantùm ex parte essemus mortui, ut volunt Sophistae, etiam Christus tantùm ex parte vivificaret: nec toti essemus nova creatura in Christo, sed ex parte. Absit autem haec blasphemia à nostris Scholis & Ecclesiis. Nunc tenemus, quid sibi voluerit Apostolus in hoc primo versu. Et quae sit ejus propositio: Omnes nimirum, qui sunt extra Christum, mortuos esse: Ratio, quia omnes sunt in peccatis: peccatum autem per se mortem ipsam affert.

Nunc confirmaturus propositionem hanc subjicit: *In quibus olim ambulastis, secundùm seculum mundi secundum hujus, secundum principem potestatis* (pro potestatum) *aëris, & spiritus illius, qui nunc operatur in filiis contumaciae.*

Confirmat propositionem suam Apostolus, quae fuit: vos fuistis mortui in peccatis; quomodo confirmat? ab effectis hujus generis mortuorum hominum, *quoniam ambulastis* (inquit) *in illis.* Pendet haec ratio ab hac propositione: Quicumque ambulat in peccatis, is mortuus est in peccatis, seu per peccata. Sic. 1. *Timoth.* 5. Vidua, in deliciis vivens, mortua est. Si haec ratio Apostoli firma est, ut revera est: intelligimus, *ambulare in peccatis*, proprium esse non renatorum, hoc est, eorum qui mortui semel per & propter peccatum originale manent adhuc mortui in peccato, cùm nondum sint per Spiritum Sanctum Christo insiti, & à Christo vivificati. Nam si hoc commune esset non renatis cùm renatis, consecutio non valeret: Tu ambulas in peccatis, Ergo mortuus es & nondum renatus; quia in promtu esset exceptio, *ambulare in peccatis*, commune esse renatorum, & non renatorum. Discamus ergo aliud esse, *simpliciter peccare, labíque in peccata* (quod est etiam renatorum) & aliud *ambulare in peccatis*, quod proprium est non renatorum. Sicut etiam aliud est *labi in lutum*, aliud *ambulare in luto.* Qui labitur in lutum, labitur certè invitus & non volens, ac proinde lapsus dolet, & mox ut surgat & repurgetur, operam dat: atque hoc hominum est, qui ratione valent, & munditiei sunt studiosi. At qui ambulat in luto, sponte & sciens ac volens ambulat, & in eo sese volutat, eóque delectatur; id quod proprium est porcorum & insanorum hominum.

Apostolus ad Romanos, 8. discrimen hoc docet esse inter renatos, ínque Christo manentes, & inter non renatos, quíque non sunt in Christo: quod scilicet, qui sunt in Christo Jesu, habéntque Spiritum Christi, ii, licèt adhuc carnem secum habeant, ambulant tamen non secundùm carnem sed secundùm spiritum; ac proinde, quod aliquando inter ambulandum secundùm spiritum labantur in ea quae sunt carnis, ait hoc illis non esse ad condemnationem. Non ait hoc illis non verti vitio, aut hoc illis non esse peccatum: sed tantùm, hoc nihil illis adferre condemnationis: quid ita? quia cùm sint in Christo, & renati per illius Spiritum, oderunt peccatum & opera carnis; ac proinde si quando in illa labantur, contra animi & Spiritus propositum labuntur, eoque & dolent, & mox ut surgant, cursúmque secundùm spiritum continuent, id diligenter dant operam. Ita à contrario indicat Apostolus: ambulare secundùm carnem, id quod idem est, quod etiam ambulare in peccatis, proprium esse eorum, qui in Christo non sunt renati: quia qui in Christo sunt,

ejusque

ejusque spiritu ducuntur, cùm peccant, aut ex ignorantia, aut ex infirmitate peccant, & faciunt quod nolunt, ut *Rom.* 7. c. describit Apostolus in sua persona: instar eorum, qui inter ambulandum labuntur, cùm noluissent labi. Quare ex his etiam intelligimus, id quod de principio diximus, ambulare in peccatis non esse simpliciter peccare, sed vitam in peccatis securè & sine timore Dei traducere, inque illis sese oblectare, more eorum qui animi causa deambulant. Sicut etiam contra, *ambulare in bonis operibus,* (ut infrà habemus v. 10.) non est simpliciter aliquod opus bonum facere, sed in studio bonorum operum tota vita sese exercere, & ut illis glorificemus Deum, prosimùsque Ecclesiae, perpetuò operam dare: ídque animo per fidem securo de salute propter Christum, & quòd quae agimus sint Deo propter Christum grata. Hanc enim fidei Spiritus, non autem carnis securitatem, exigit à nobis Deus, & verè etiam donat, ut posito omni hostium timore, alacriter & laeto animo illi serviamus, sicut etiam Zacharias habet in cantico suo, *Et sine timore* (inquit), *de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Luc. 1. Ex hac explicatione, nempe quid sit ambulare in bonis operibus, intelligimus à contrario, quid sit ambulare in peccatis. At sicut illud est proprium renatorum, viventiúmque in Christo, sic hoc alterum proprium esse non renatorum, sed qui adhuc mortui sunt in peccatis: eóque Apostolum optimè argumentatum esse, *vos olim ambulastis in peccatis.* Ergo per illud tempus fuistis verè mortui (nempe *spiritualiter*) per peccata. Hanc doctrinam ex primo membro collectam retineamus, de discrimine piorum & impiorum in peccando. Et quàm recta sit haec sequela intelligamus, *Ille ambulat in peccatis: Ergo mortuus est.*

Addam tamen & hoc, hac locutione Apostolica, *Ambulare vel in peccatis vel in bonis operibus,* significari vitam nostram esse iter quoddam, seu profectionem, qua itur vel ad coelum, vel ad tartarum, ut loquitur Petrus. Ideo placet quod dixi, *ambulare* esse vitam traducere, vel in bonis vel in malis operibus.

De vita mundi.

Alterum membrum ita habet κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου. Sive interpreteris, ut nos, nempe, juxta veterem totius mundi consuetudinem & mores; sive, ut alii, nempe, ut est vita hujus mundi, i. prout vivere solet & consuevit mundus. Duo certè his verbis facit Apostolus; primum explicat de quibùsnam potissimum peccatis illos accusarit, quod in illis securi olim vitam transegerint suam; nempe de illis, in quibus non ipsi soli, sed totus ferè mundus ideò securè ambulabat, quod suos non agnosceret errores. Haec autem peccata & errata erant idololatriae & idolomaniae. Nam peccata in secundam tabulam non penitus ignota erant gentibus: sed idolorum cultus pro peccato non agnoscebatur, imò, tanquam Deo gratus, carus habebatur: proinde catholicus communísque erat error.

Apostolus autem hac particula κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, indicare voluit se de catholicis potissimum peccatis omnium Gentium ac populorum, & omni seculo communibus loqui: in illis enim cultibus verè mortui erant, eósque ita depe-

deperibant, ut nunquam inde liberari posse viderentur; & tamen per Christum fuerunt liberati.

Hinc igitur doctrinam hanc colligere debemus, omnia quidem peccata per se mortem afferre; sed id, in quo potissimum homo dici potest esse mortuus, & pro cujus remissione atque ab illa liberatione quàm maximas gratias agere debemus, esse idololatriam, quam tanquam communem errorem exemplo catholico hujus mundi tamdiu sequuti sumus. Hoc est primum.

Deinde iisdem verbis causam aperit primam, cur Ephesii in hujusmodi idololatriis securi tamdiu vixerint, séque exercuerint: & docet hanc fuisse, quia, scilicet, viderunt non solùm suos parentes, avos, proavos, atavos omnésque suos cognatos & affines, viros quoque alios fama sanctitatis & eruditionis illustres, verùm etiam totum planè mundum, post hominum memoriam, eam religionem tanquam sacrosanctam semper & constanter secutum fuisse. Exemplum hoc catholicum & vetustissima constantisssimáque consuetudo, apud omnes recepta, alienos Deos colendi talémque idololatricum cultum sequendi, tantum potuit apud Ephesios, sicut & apud alios multos, ut non solùm nunquam (nempe ante conversionem ad Christum) potuerint ab illis idololatriis avelli, sed ne agnoscere quidem valuerint eas esse peccata: interim tamen nullum gravius erat peccatum in mundo. Hinc igitur discamus, qualia sint argumenta illorum, qui nostro quoque tempore manifestas idololatrias tueri conantur, ducta nimirum à diuturnitate temporis, à multitudine hominum, à catholica denique nescio qua consuetudine. Etsi enim, quod assumunt isti manifestae idololatriae defensores, de catholico omnium consensu falsum est: tamen etiamsi verum esset, nihil concluderetur hoc argumento, nisi prius verbo Dei confirmaretur. Annon hoc argumento utebantur & Ephesii & alii Gentiles? Apostolus tamen docet paralogismum esse à non causa pro causa. Catholica enim consuetudo, si sit contra verbum Dei, legémve naturae, non est legitima causa, cur debeas hoc aut illud facere; praesertim verò in religione, id quod etiam Cyprianus vidit, ut etiam citatur in decreto, *Dist.* 8. c. 9. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. *Item*, Non enim Christus dixit, Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas. Interim, quantum valeat consuetudo, receptique apud omnes mores, si praesertim accedat antiquitas temporis, nos quotidie experimur. Ebrietas olim in Africa, & nunc in Germania, quia diuturnam habet consuetudinem, non tam apud plebem, quàm apud principes & nobiles, idcirco non solùm non potest facilè tolli, sed ne agnoscitur quidem pro peccato: sicut neque idololatria apud Pontificios. Multi ambulant in ebrietatibus, & alii in falsis cultibus juxta seculum mundi hujus: seu, uti est vita hujus mundi, id est, prout vivere solet mundus. Sed interim ambulant in peccatis, & in illis mortui sunt. Non nitamur ergo diuturnis consuetudinibus, & aliorum, ne totius quidem mundi exemplis, vel in religione, vel in moribus vitae. Sed verbo, & voluntate Dei, exemplóque Christi, Apostolorum quoque & Prophetarum, quatenus ipsi imitati sunt Christum, secutique verbum Dei.

Tertium membrum ita habet, *Et juxta principem potestatis aëris* (&) *spiritus nunc agentis efficaciter in filiis contumacibus.*

Bifariam diximus explicari posse hanc particulam, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας

τοῦ ἀέρος: nempe, aut primò, secundùm principem, id est, (ut Scholia explicant) ex voluntate & imperio principis, id est, Satanae, cui data est potestas aëris. Secundò, aut juxta principem potestatis, pro: potestatem aëris, id est, juxta voluntatem Satanae, qui Diabolorum omnium in hoc aëre habitantium princeps est.

Sive autem unam sive alteram sequaris interpretationem: tria facit Apostolus hoc tertio membro. *Primùm*, aliud peccati effectum praeter mortem, de qua diximus, explicat: hoc autem est, quòd nos addicit Satanae, & ejus efficit mancipia, ut ad ejus voluntatem & imperium omnia faciamus. Ideò ait, eum suo spiritu, hoc est, afflatu, efficaciter operari in filiis contumacibus: id est, in iis, qui facti semel sunt ipsius mancipia. Qua de re in ultima etiam ad Timoth. cap. 2. scribit Apostolus: hortans Timotheum ad faciendum officium, ut per ejus ministerium Deus convertat illos, qui contrario sunt animo: ut conversi agnoscant veritatem, & elapsi ex Diaboli laqueo, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Est haec peccati noxa gravissima, & malum incomparabile: quòd scilicet homo mancipium fiat sui capitalissimi hostis, ad ejus voluntatem faciendam in contumeliam Dei, & in sui exitium. Interim sic postulant justa Dei judicia, ut qui nolint se subjicere voluntati Patris Dei, cui servire regnare est, subjiciantur libidini hostis Diaboli, qui eis illudat, eósque perdat aeterno exitio. Tales autem sunt omnes, qui Christo insiti non sunt. Qualis igitur status fuit Ephesiorum & omnium nostrûm ante conversionem? Hinc discamus, quanta diligentia vitanda sint peccata? *qui facit peccatum, non solùm* (ut Christus docet *Johan.* 8,) *servus fit peccati*, sed etiam mancipium fit Satanae (ut hîc docet Apostolus) autoris peccati. *Secundo* loco, causam indicat alteram peccati, & praesertim cur Ephesii aliique Gentiles in peccatis illis, maximè verò idololatriae, ambularint: nimirum, quia cùm facti essent mancipia Satanae, ex ipsius imperio vivebant & agebant omnia. Satanas igitur princeps Diabolorum omnium eos permoverat, ut ad exemplum aliorum, & juxta catholicum mundi consensum, ambularint in illis peccatis, idololatria praesertim & idolomania. (Et sic Ambrosius) *Principem potestatis, Diabolum, intelligit seculi intelligentiam corrupisse, ut ab uno Deo recederet, multorum Deorum opinionem suscipiens.* Ergo catholicus ille consensus in idolorum cultum, non ab hominibus, sed à Diabolo cum primis fuit & est.

Consenserunt quidem omnes Gentes in eum cultum, neque consenserunt sine aliqua ratione, & sine probabilibus argumentis (semper enim idololatrae habuerunt quo suas tuerentur idololatrias), sed hujusmodi rationes, omnes Diabolus afflarat illorum mentibus suo venenato spiritu. Est enim princeps non solùm aliorum daemonum, sed etiam illius pessimi spiritus & afflatus, quo omnes quidem in suam servitutem pertrahere conatur; sed efficax non est, nisi in contumacibus.

Quare discamus omnes inspirationes, afflatus, rationes, quae in humanam mentem immittuntur, pugnantes cum verbo Dei, utut probabiles & speciosae sint, omnes item consensiones in ea, quae damnantur in sacris Literis, omnia consilia, omnésque Synodos, in quibus aliquid contra verbum Dei definitur, utut catholicae fuerint & oecomenicae, omnes inquam, ad hanc partem quod

attinet

attinet, esse ab hoc principe potestatum hujus aëris & hujus venenati spiritus, quo omnes impii afflantur & ducuntur. Dixi ad hanc partem quod attinet, quia non de omnibus Synodis loquor, & de omnibus, quae ibi definita sunt, sed κατὰ τὶ, nempe quoad illa, quae contra verbum Dei fuerunt definita.

De Diabolis.

Tertio loco, quo melius explicet Apostolus, quanta sit miseria illius status, in quo degunt impii antequam per Christum liberentur, nonnulla de diabolis, quorum facti sunt mancipia, tradit, & praesertim quanta sit illorum potentia: quae omnia, sicut Apostolus facit, sic etiam ego breviter indicabo & percurram; aliàs, Deo volente, fusiùs explicaturus. Sunt autem haec.

Primùm, inter ipsos κακοδαίμονες esse gradus & ordines. Etsi enim sint & vocentur ἐξουσίαι, illaeque innumerabiles, rectoresque mundi, ut est *Eph.* 6., unum tamen statuit omnium principem Apostolus, dicendo: κατὰ τὸν ἄρχοντα, &c. Et hunc omnes Satanam vocant. Neque verò, quod dicimus de ordinibus etiam inter Daemones, debet videri mirum: quando omnia, quae à Deo sunt, ordinata sunt. Non est enim Deus confusionis, sed ordinis. Omnis autem ἐξουσία à Deo est. Itaque non dubito, quin & inter bonos & inter malos angelos certi sint ordines, distinctáque ministeria: quemadmodum è sacris Literis liquet, ut hîc, item c. 6. 1. *Cor.* 15. *Col.* 2. *Dan.* 10. *&* 12. & alibi.

Secundò, habemus de magna ipsorum autoritate & potentia, quando omnes vocantur ἐξουσίαι Eph. 6. & hîc: τῆς ἐξουσίας enim dixit pro τῶν ἐξουσιῶν, ut supra dictum est, & de quibus infrà c. 6.; id quod magis facit ad demonstrandam magnam illorum adversus nos potentiam; quando omnium potestates ita adversus nos unitae sunt, & sunt ceu una omnium potestas: Omnis autem vis unita (ut etiam Philosophi docent) fortior est seipsa disgregata.

Tertiò, habemus de loco, ubi habitent, & unde nos tentent, adoriantur: in aëre; ideo ait, *juxta principem potestatis aëris.* Et c. 6, vocat principes & potestates tenebrarum hujus seculi, spiritualésque militias ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: ubi illa vox accipi non potest, nisi de coelo hoc aëreo: cum à coelo Beatorum ejecti fuerint (ut docet Petrus 2. 2.) in tartarum. Quamplurimos tamen in aëre hoc esse, inde nos observare, tentare, invadere animalia & homines; excitare tempestates; multa denique mala hominibus dare, certum est ex historia Jobi, ex historiis Evangelistarum, & ex quotidiana experientia: quae confirmant id, quod hîc Apostolus scribit & c. 6. Totum autem hoc factum & ordinatum est à Deo: partim ut per eos electi exerceantur in fide, in patientia, in pugna spirituali; partim ut sint ministri justitiae divinae in puniendis sceleribus mundi. Vocat igitur potestates aëris, non quod sint substantia sua aëreae, sed quod habitent & dominentur in aëre hoc, ministri tamen Dei, divinorúmque judiciorum executores.

Quaerunt interpretes, quando, & unde Satan acceperit hunc principatum, ut esset princeps hujus aëris, & omnium potestatum, quae sunt in aëre. Respondent Scholia & Chrysostomus, illum accepisse à Deo, & quidem ante peccatum; post peccatum verò eo principatu non fuisse spoliatum, ἄρχων γάρ

αὐτος

αὐτος (inquit Œcomen.) πρὶν πέσῃ, ἄρξει καὶ μετα τὸ πεσεῖν. Ambrosius verò ait Satanam hunc principatum sibi usurpasse.

Quartò, Si quod sequitur τοῦ πνεύματος appositivè accipias, ut volunt Graeci, & plerique omnes Latini, bifariam possumus legere; primò, ut nomen τοῦ πνεύματος referatur ad praecedentem genitivum ἀέρος & nomen aëris συνεκδοχικῶς accipiatur, continens scil. pro contento. Et sic Scholia: ἄρχων ἐστὶ τοῦ ἀέρος τοῦ πνεύματος, τουτέστι τοῦ ὄντος ἐν τῷ ἀέρι πνεύματος. Secundo ita, ut πνεύματος referatur ad primum genitivum τῆς ἐξουσίας, & sicut singulare nomen ἐξουσίας, sic singulare etiam nomen πνεύματος pro plurali accipiatur: ut sit sensus: Satanam esse principem potestatum in aëre habitantium, quae sunt πνεύματα. Utram sequamur interpretationem, discimus ex hoc loco quid sint κακοδαίμονες, nempe spiritus substantiaeque spirituales, quales sunt & animae nostrae. Non desunt tamen, qui velint inter eos esse spiritus aëreos, i. habentes corpuscula aërea, i. subtilissima. Qua de re jam non est disputandi tempus. Simpliciter dicimus esse spiritus, si non sint tam simplices spiritus, atque Deus est Spiritus simplicissimus. Sic omnes eos vocant spiritus, incorporeásque substantias.

Si verò nomen Spiritus accipias, quod magis placet, pro afflatu, quo Diabolus spirat & insufflat in mentes hominum impias cogitationes, consilia, desideria: & subintelligas, καὶ, ut sit sensus, Satanam esse principem non solum potestatum in hoc aëre existentium, sed principem etiam primariúmque autorem illius spiritus, i. afflatus quo mundus adducitur, ut resistat Evangelio, colátque idola, aliáque admittat scelera: discimus ex hoc loco, modum quo κακοδαίμονες nobiscum agunt, nos tentant, & in hominibus operantur: nempe non vi, sed suis afflatibus, non cogendo voluntates, sed suadendo, & si possint persuadendo, excitatis hominum impiis cogitationibus, desideriis, affectibus, &c. Sicut enim initio cum Eva egit Satan apertis verbis, eam ad inobedientiam instigans: sic nunc agit suis venenatis afflatibus. Sicut contra Deus etiam per suum Spiritum Sanctum afflare solebat Prophetas: & omnibus piis inspirat pias ac sanctas cogitationes & desideria, movétque ipsorum voluntates ad obediendum Evangelio. Satan ergo vim non facit voluntati nostrae, sed insufflando suum spiritum agit nobiscum. Homines verò sponte, & ἑκόντες (ut Scholiastes ait) assentiuntur, ac resistunt.

Quintò, discrimen actionum Diaboli in piis, & impiis docet Apostolus; nimirum tametsi magna sit potentia Diaboli & omnium Diabolorum, & suis venenatis afflatibus omnes studeant inficere: illos tamen non in omnibus efficere quod cupiunt, sed tantùm contumacibus, & in iis qui non sinunt sibi persuaderi à Spiritu Sancto quae tradita sunt à Deo in sacris literis. Hi enim propriè sunt filii ἀπειθείας. Hoc est quod Apostolus alibi explicat, dicens: *Adventum Antichristi futurum ex efficacitate Satanae, cum omni potentia & signis & prodigiis mendacibus & cum omni fraude injustitiae* 2. Thess. 2. Sed in quibus? in omnibúsne? minimè verò; sed *in iis qui pereunt* (inquit Apostolus); quid ita? *Pro eo quòd amorem veritatis non receperunt* (inquit) *ut salvi fierent: propterea mittet illis Deus efficacitatem deceptionis, ut credant mendacio: ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia.* Locus ille explicat hunc praesentem, ubi dicit hunc spiritum, seu Satanam, hoc suo afflatu efficaciter operari in filiis ἀπειθείας.

Notan-

Notandum igitur, duplices esse Satanae operationes, alias inefficaces, alias efficaces & ἐνεργητικάς, ut hîc loquitur Paulus. Prioris generis sunt illae, quibus initiò quemvis tentat & ad malum sollicitat: à quibus ne electi quidem excipiuntur. Tentantur enim & ipsi ab hoc tentatore: imò etiam Christus. Aliae sunt, quibus efficit quicquid velit, Deo permittente, ac proinde quibus dicitur ἐνεργεῖν. Sed in quibusnam? in filiis ἀπειθείας. Postquam enim quis primis illis flatibus Diaboli & tentationibus assensus est ex animo, rejectis Spiritus Sancti monitis, Satan fit in illo efficax, eúmque impellit quocunque vult, nisi Deus pro sua gratia conatus Satanae impediat. Sic Judam, postquam victus fuit à Spiritu avaritiae, & ingressus esset in illum Satan, impulit ad prodendum Christum, & postea etiam ad se suspendendum. Sic Ananiam & Saphiram, ut mentirentur Spiritui Sancto: sicut docet Petrus in Actis c. 5. Sic, quibus persuasit, ut abnegent Evangelium: postmodum eos impellit, ut nos persequantur. In iis enim jam regnat Satan, & ideò efficaciter in eis operatur, ab uno peccato illos in plura & graviora pertrahens pro sua libidine. Ac de efficacitate Satanae satis.

Quid verò sibi vult illa particula, nunc? *qui nunc*, inquit, *efficaciter operatur in filiis contumaciae.* An non & aliàs jam inde ab initio mundi idem fecerat, & quidem in ipsis etiam Ephesiis? omnino: cur ergo hanc efficacitatem restringit ad illud tempus, quo haec scribebat, dicendo nunc?

Respondeo, non restringit: sed indicare voluit, nunc quidem non ampliùs illum efficaciter operari in Ephesiis conversis, quia Spiritus Sanctus jam in illis est efficax: sed tamen etiamnunc operari efficaciter in aliis non conversis, & contumacibus: ac proinde non debere Ephesios mirari, quòd adhuc multi Pseudoapostoli & alii resistant Evangelio, quod ipse Paulus praedicabat, urgentes opera legis; quid ita? quia Satan etiam nunc in multis, non minùs quàm ante in ipsis Ephesiis efficaciter operatur, in omnibus, scilicet, contumacibus. Gratias agant ipsi Deo, quòd liberati sint illa tyrannide Satanae: & orent pro illis, in quibus adhuc efficax est. Ergo nunc posuit pro etiamnunc.

Hactenus probavit Apostolus Ephesios olim (id est, ante conversionem ad Christum) fuisse verè mortuos per peccata. Ratio, quia in illis ambularant; & causam hujusce rei duplicem attulit; Unam, quia cùm viderent totum mundum sic vivere, & talem sequi religionem, ipsi quoque catholico illo consensu, vetustissimáque consuetudine commoti, putarunt se non malè facturos, si idem vitae genus, eandémque religionem sequerentur. Alteram causam, quia cùm jam essent facti mancipia Satanae, praepotentis & vicini principis, in hoc scilicet aëre regnantis, secundùm eum, id est, (ut bene explicant Scholia) κατὰ τήν βουλήν καὶ θέλημα αὐτοῦ vivebant, & omnia agebant. Unde sequitur, illam catholicam totius mundi consuetudinem in colendis idolis fuisse à Satana.

Nunc igitur idem probat etiam de omnibus Judaeis, nimirum se quoque & reliquos Judaeos jam sanctos, fuisse non minùs mortuos in peccatis, quàm Gentiles. Ait ergo:

V. 3. *Inter quos* (ἐν οἷς, scilicet υἱοῖς τῆς ἀπειθείας) *& nos omnes conversati sumus olim in concupiscentiis carnis nostrae, facientes voluntates* (desideria) *carnis,*

carnis, & cogitationum seu mentis (id est, quae libebant carni & menti). *Et eramus natura filii irae sicut & reliqui.*

Tria sunt membra hujus versus. 1. Propositionem, quam de Gentibus proposuerat & probaverat, ad se quotidie, & ad reliquos ex Judaïsmo, accommodat, & quidem verbis etiam durioribus, quàm de Gentibus locutus fuerat. Illos enim non dixerat apertè fuisse filios τῆς ἀπειθείας, sed tantùm mortuos fuisse per peccata, & ambulasse in peccatis: de se autem & reliquis Judaeis ait, omnes fuisse de numero filiorum τῆς ἀπειθείας. Ac proinde non minus mortuos fuisse in peccatis, quàm fuerint Gentiles.

2. Probat se fuisse tales ab effectis: nam (inquit) in concupiscentiis carnis nostrae versati sumus (nempe pertinaciter), facientes quae carni & cogitationibus nostris placebant.

3. A peccatis actualibus transit ad originale, quo confirmat propositionem tam de Gentibus, quàm de Judaeis: omnes scilicet fuisse peccatores, eòsque mortuos, jam inde à nativitate. *Et eramus* (inquit) *omnes natura filii irae, sicut & reliqui.*

De primo itaque ait, Ἐν οἷς. Hieronymus refert ad peccata, de quibus primo versu. Quidam aiunt non posse referri, quia non ait, ἐν αἷς, scilicet, ἁμαρτίαις, sed ἐν οἷς: quasi verò τὰ παραπτώματα non sint neutrius generis, ut illud ἐν οἷς ad παραπτώματα referri queat. Alia igitur ratio est, cur non ad peccata referenda sit haec particula, sed ad filios contumaciae: quia scilicet & nimis procul distat à voce παραπτώμασι, & meliùs congruit ut referatur ad proximam dictionem, nempe, ad filios τῆς ἀπειθείας. Voluit enim Apostolus ostendere, & se & alios Judaeos sua natura non minùs fuisse impios & peccatores rebellésque, quàm fuerint ipsi Gentiles.

Quòd verò ait se & alios conversatos fuisse olim inter filios τῆς ἀπειθείας, non loquitur propriè de externa & corporali conversatione: neque enim Judaei familiariter versabantur cum Gentibus; deinde talis conversatio non statim evincit te quoque talem esse, qualis ille quocum versaris. Apostolus autem voluit dicere se & reliquos Judaeos non minùs fuisse peccatores, quàm fuerint Gentiles. Conversationem igitur intellige similem vitae cursum, sicut postea explicat dicendo: *In concupiscentiis carnis nostrae facientes &c.* Ut sit sensus, *Eramus & nos ex numero filiorum* τῆς ἀπειθείας, *eramus & nos in eodem albo, pertinaciter ambulantes simul cum illis in peccatis, & concupiscentiis carnis nostrae.* Ambulare enim inter filios contumaces, *in concupiscentiis carnis suae*, nil aliud est, quàm unà cum contumacibus esse in suis concupiscentiis & peccatis contumacem, Deóque inobedientem, atque rebellem. Haec igitur est propositio Apostoli de omnibus universum Judaeis (excipitur solus Christus, mundi servator) omnes fuisse filios contumaciae, inobedientes Deo, & rebelles, non minùs quàm reliquae Gentes; sicut etiam concludit ad Roman.

Judaei an Gentibus aequales ratione peccati.

Sed hîc oritur quaestio, quomodo Apostolus exaequet Judaeos omnes ipsis Gentibus, non κατὰ τὶ, sed simpliciter dicendo, se omnes fuisse tam filios

τῆς

τῆς ἀπειθείας, quàm etiam fuerint Gentiles. Praesertim cùm Gentibus objecerit cumprimis communem totius mundi errorem & idololatriam, à qua alieni erant Judaei. Nam post reditum è Babylone idola non coluerunt, sicut Gentes. Et tamen verissimum scripsit Apostolus.

Respondeo *primum*, natura omnes ex aequo fuerunt filii τῆς ἀπειθείας, sicut postea explicat tertio membro, dicendo, se omnes fuisse filios irae, sicut & reliqui omnes fuerunt. Proinde omnes natura fuerunt tam idololatrae quàm avari quàm superbi, hoc est, omnes ad omnia vitia ex aequo propensi, etiamsi non omnes actu eadem perpetrarint.

Secundò, ad actiones etiam quod attinet, omnes ex aequo fuerunt filii ἀπειθείας contumaces, rebellésque in Deum: intellige semper ante conversionem ad Christum: non quòd omnes in iisdem planè peccatis ambularint, sed quòd omnes ex aequo inobedientes fuerint Deo, apostatae, voluntati ejus rebelles, & contra ejus mandata ambularint: ita ut, licet idola non coluerint externa, qualia Gentes, Judaei interna tamen coluerint, suos scl. affectus, suas voluptates, sua judicia. Apostolus ait etiam avaros esse idololatras, Col. 3. Et deditos ventri ac voluptatibus esse idololatras, *quorum Deus*, inquit, *venter est*. Phil. 3. Cùm igitur omnes Judaei, ante conversionem & regenerationem, suos secuti sint affectus, avari, voluptatibus dediti, colueríntque animo aurum, & ventri tanquam suo Deo servierint: proinde fuerunt idololatrae aequè atque etiam Gentiles, licet non eadem specie idololatriae infecti fuerint. Omnes in summa servierunt Satanae, non Deo, suis concupiscentiis, non autem voluntati Dei. Et hac ratione omnes ex aequo peccarunt, & rebelles fuerunt suis etiam actionibus. Simili explicabo rem.

Si centum viri deficiant à suo principe ad hostem, illique serviant, licet diversis officiorum generibus, an non ex aequo verè dicentur esse rebelles, & suis actionibus ex aequo peccare contra suum naturalem principem? Ita hìc dicendum est, quod confirmatur hac ratione. In peccato enim actuali duo sunt, aversio à Deo, & conversio ad creaturam, ut piè docuit Augustinus. Cum igitur omnes, tam Judaei quàm Gentiles, ante regenerationem, ex aequo recesserint à Deo, & ex aequo accesserint ad creaturas amandas & colendas: constat omnes ex aequo, actualibus etiam peccatis, filios fuisse ἀπειθείας: quia omnes ex aequo, aversi à Deo & conversi ad creaturas, pertinaciter peccarunt. Hoc igitur est, quod explicat Apostolus, propositionem suam confirmans hoc altero membro, *in concupiscentiis* (inquit) *carnis nostrae* (scilicet versati sumus) *facientes voluntates carnis & cogitationum.*

Aliis verbis idem dicit de Judaeis, quod antea de Gentibus: *hi ambularunt in peccatis, Judaei versati sunt in concupiscentiis carnis, facientes quae carnis sunt.* Haec autem duo idem sunt. Pariter ergo Judaei cum Gentibus filii sunt ἀπειθείας.

Et duo dicit: Primùm, concupisse, deinde, concupiscentiis istis obedivisse. Argumentum autem tale est. Nos omnes versati sumus in concupiscentiis carnis nostrae, & fecimus voluntates carnis & cogitationum. Ergo non minùs nos ambulavimus in peccatis, quàm Gentes. Eóque non minùs fuimus mortui in peccatis, quàm Gentes.

De

De Concupiscentia, carne, & utriusque desideriis.

Hìc explicandae sunt quaedam voces, quarum cognitio necessaria est ad hujus contextus intelligentiam. Prima est vox concupiscentiae.

Nomen hoc significat duo. *Primum*, ipsam totam corruptam naturam. *Rom.* 7. Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, (id est, ipsam naturae corruptionem) nisi lex dixisset, non concupisces. Vocatur autem concupiscentia ab effectu, quo se qualis sit declarat. Nam concupiscendo semper res malas repugnantésque legi Dei, se quoque malam esse legíque Dei adversantem, eóque peccatum manifestè ostendit.

Deinde, accipitur pro appetitionibus hujus corruptae naturae, seu peccati in nobis habitantis: sicut *Rom.* 6. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, id est, appetitionibus & desideriis. Sic etiam accipit hìc Apostolus, cùm ait se ambulasse in concupiscentiis carnis. Quas concupiscentias mox vocat voluntates carnis & cogitationum: ut ostendat, actiones etiam mentis esse corruptas ipsamque mentem esse corruptam.

Nomen etiam carnis duo significat: *Primùm*, totam corruptam naturam, id est, totum hominem corruptum. Sic *Joh.* 3. Quod natum est ex carne, caro est: & opponitur Spiritui, id est, naturae regeneratae. Et hoc sensu etiam Apostolus accipit hìc, quando ait, in concupiscentiis carnis, id est, totius corruptae naturae.

Deinde, pro crassiore parte hujus corruptae naturae, quae consistit in corpore animáque vegetante & sentiente usurpatur. Et sic capitur ab Apostolo hìc, cúm ait, facientes τὰ θελήματα carnis & cogitationum: id quod alii dicunt, *quae lubebant carni & menti.* Corruptam enim naturam in duas distinguit partes: in crassiorem, quae totam partem animalem, irascibilem, & concupiscibilem, & omnes carnis affectus complectitur: Et in spiritualiorem, hoc est, in mentem, quam nomine cogitationum significat, & à praecipua ejus operatione intelligi voluit.

Utrique autem parti dat θελήματα, quae, in parte superiori considerata, propriè vocantur voluntates, in inferiori autem, appetitus & desideria. Quo ex loco liquidò apparet, ipsam quoque mentem & corruptam esse, & nomine carnis saepe intelligi in sacris literis. Locus etiam est ad Coloss. 2. hoc idem confirmans, ubi mentem carni tribuit, dicendo: Ne quis vobis palmam intervertat, &c. frustrà inflatus à mente carnis suae. Ex hac vocum concupiscentiae & carnis explicatione, clariùs apparet, quid sibi voluerit Apostolus, cùm dixit, Judaeos etiam omnes versatos fuisse una cum filiis contumaciae in concupiscentiis carnis suae, fecisséque voluntates carnis & cogitationum. Ita constat ab effectis, omnes etiam Judaeos ante conversionem fuisse non minùs filios τῆς ἀπειθείας, eóque mortuos in peccatis, in quibus ambularunt, quàm Gentiles: etiamsi aliquot externis actionibus & idololatriis dissimiles fuerint Judaei Gentibus ipsis.

Sed dices, quomodo Paulus se inter eos commemorat, qui fecerunt voluntates carnis: cùm testificetur, se in Judaïsmo, secundùm justitiam quae est ex lege, fuisse irreprehensibilem? Phil. 3. 6.

Respondeo: Etiamsi à crassioribus illis carnis peccatis, scortationibus, furtis, ebrie-

ebrietatibus, homicidiis sese abstinuit: an non tamen fuit blasphemus in Christum, persecutor Ecclesiae Dei, sanguinarius grassator? Haec de se testificatur ad Galatas & Timotheum. Unde autem haec scelera? à concupiscentiis carnis, & cogitationum. Fecit igitur & ipse voluntates carnis & cogitationum carnalium.

Observanda verò est ista totius hominis corrupti in duas partes distinctio, in carnem, id est, corpus animatum, & in cogitationes & voluntates. Intelligamus ergo totum hominem esse corruptum, mente ac corpore: parte superiori & inferiori, ut vocant.

3. Subdit tertium membrum, quo propositionem generalem de omnibus hominibus, tam Judaeis quam Gentilibus, confirmat dicendo: Et eramus omnes natura filii irae, sicut & reliqui. Omnes nos (scilicet fideles Judaei) eramus, sicut & reliqui, nempe homines omnes inter Gentes & Judaeos.

De iis qui naturâ sunt filii irae.

Duo dicit; primùm, omnes fuisse filios irae; secundò, idque naturâ.

Hîc primùm explicanda est vis locutionis: deinde res considerandae, quas concludit Apostolus.

De locutione: Cùm dicit irae, intelligere debemus divinae, sicut Rom. 9. vasa irae.

Irae autem Dei nomine duo significantur: aliquando voluntas ejus justissima ulciscendi puniendique peccata. Et inter attributa proprietatésque divinas connumeratur: atque hoc sensu minimè hîc accipitur. Aliquando effectum illius irae, in primis verò ultio, condemnatio, mórsque aeterna.

Filius autem talis irae quisnam dicitur esse? seu quidnam est, esse filium irae?

Quidam aiunt, nil aliud esse, quám talem esse, id est impium, cui Deus meritò irasci debeat: nemini autem irascitur Deus, nisi propter peccata. Esse igitur filium irae nil aliud hoc sermone significare, quàm esse reum aeternae condemnationis & mortis propter peccatum.

Aliquid dicunt, sed non totum. Adamus enim post & propter peccatum factus fuit obnoxius irae divinae, & reus aeternae mortis: non tamen dici verè potest filius irae. Hac enim locutione significatur ille, qui talis natus est, & suâ naturâ est talis. Explico, & è sacris literis confirmo. Norunt omnes & fatentur esse Hebraïsmos, *dicere aliquem esse filium contumaciae perditionis,* id est, *perditum: filium contumaciae,* id est, *contumacem: filium olei* id est, *pinguem: filium maledictionis & irae,* id est, *maledictum & irae Dei obnoxium.* Hoc est omnibus notum. Sed quae est vis hujus locutionis, & unde deducta? Respondeo inde deducta est, quòd quicùnque nascitur ex aliquo, is ejus naturae particeps nascitur, cujus est ille ex quo nascitur. Exemplum, qui nascitur ex homine, homo est: qui ex equo, equus est. Ideo nomine filii hominis intelligitur ille, non qui simpliciter est homo, ut Adamus, sed qui ex homine natus est: Adamus fuit homo factus, sed non natus: eóque homo, sed non filius hominis. Hebraei in hac locutione, exempli causa, Tu es filius contumaciae, filius peccati, &c. statuunt contumaciam tanquam parentem: te autem tanquam ex ea natum. Non significat igitur simpliciter, te esse contumacem, sed natum contu-

contumacem: non simpliciter peccatorem, sed natum peccatorem: non simpliciter perditum, sed natum perditum, &c. Sicut etiam, *Te esse filium irae,* id est *maledictionis divinae*, significat non simpliciter *te esse maledictum aut aeternae mortis reum, sed natum esse maledictum, & aeternae damnationi obnoxium.* Haec est vis hujus locutionis. Et hoc propriè significat, quod dixi. Hinc apparet, Adamum & Evam factos quidem fuisse obnoxios irae divinae propter peccatum admissum, sed non (propriè loquendo) fuisse filios irae: nos verò omnes filios esse irae, quia tales nati sumus. Ideò Apostolus, volens hoc indicare, adjecit majoris explicationis causa naturae nomen, dicendo: Omnes eramus naturâ filii irae. Sic de sua vinea dixit Deus, apud Jes., Eam fuisse plantatam in cornu filio olei, id est, in colle suâ natura pinguissimo, quasi nato ex oleo. Haec de prima Φράσει, nunc de voce naturae. Ait, natura omnes esse filios irae.

Primò, Natura accipitur aliquando pro substantia rei & essentia. Hoc sanè modo homo, essentia & substantia, quam acceptam à Deo adhuc retinet, non est filius irae, quia ipsa non est peccatum in se, licet peccato infecta sit.

Secundò, pro principio motus & quietis in unaquaque, sive illud principium sit substantia, sive naturalis qualitas & proprietas rei. Hoc modo prima hominis natura fuit optima: in ea enim Deus vim impresserat movendi ad bonum, ad Deum cognoscendum, amandum, & colendum, eóque ad salutem aeternam. Sed haec natura periit peccato Adae: & successit pessima qualitas, quâ fit ut non possimus moveri nisi ad malum, id est, adversus Deum, & adversus Christum ejus. Et non quiescere, nisi à bono.

Haec pessima qualitas à flatu serpentis profecta est: & est ceu venenata pestilentia quâ totus homo anima & corpore infectus est: homo, inquam, manens idem substantia atque essentia, veneno hujus pravae qualitatis infectus est, usque adeò ut non possit nisi sibi similia efficere, quia ab hac ad omnes actiones movetur. Inde enim omnes pravae cogitationes in mente, pessimi ac distorti affectus in corde, denique voluntates impiae iu facultate volendi liberóque arbitrio.

Hanc igitur naturae totius corruptionem, quam alibi quoque vocat concupiscentiam, hîc appellat Apostolus naturam, principium scilicet omnium malarum actionum & motuum, tam internorum quàm externorum. Ac proinde, cùm sit ἀνομία, efficit nos filios irae.

Tertiò, natura etiam nonnunquam sumitur pro nativitate: sic dicta à nascendo Latinis, sicut Graecis Φύσις ἀπὸ τοῦ Φύεσθαι, ut docuit Aristoteles in Metaphysicis. *Quia verò omnes concipimur in peccatis & iniquitatibus* (ut ait David Psal. 51.) *nascimúrque impii ac inimici Dei, eóque dignissimi quibus Deus irascatur, poenámque infligat aeternam:* idcircò hoc etiam sensu dicimur esse filii irae naturâ, hoc est, jam inde à nostri conceptione, & nativitate, & quia nati sumus ex Adamo, inque illo peccavimus: ita nati sumus filii irae omnes, etiam infantes, quia & ipsi nascuntur ex patre rebelle. Eóque eodem reatu constricti, quo & ipsi. Nunc, expensa Φράσει Apostolica, facile est intelligere res, quas his paucis verbis docere nos voluit. Sunt autem hae.

1. Omnes homines, ex Adamo communi & naturali propagatione prognatos,

nasci

nasci reos aeternae mortis, quae nomine irae significatur. Hoc enim immediatè significabat haec locutio, esse filios irae natura. Et ita cùm in primo versu locutus propriè loquitur de tertia, id est, de morte aeterna, complectens tamen & secundam, nimirum corporis. Nam & ipsa ab ira divina est.

2. Quia verò Deus nemini irascitur, & multò minùs aeterna plectit damnatione, nisi propter peccatum; idcircò secundo loco, & ex consequenti, docet, omnes concipi & nasci in peccato: quia non nisi à peccato mors est: est enim stipendium peccati. Hoc autem est peccatum originale.

Omnes homines, cùm nascuntur, talem naturam & in animo & in corpore secum trahere, quae tota peccatum sit, Deóque inimica; ratio, quia natura, id est, non solùm quia ex tali parente rebelli nascimur, & cujus rebellio nobis imputatur, sed etiam natura, id est, propter naturam hanc, quam nobis cum trahimus, nascimur filii irae.

Haec tria expresse tradit Apostolus hac brevi sententia, *Eramus omnes naturâ filii irae.* Fusius autem explicat alibi, & praesertim ad Rom. 5. De primo & secundo: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt, &c.* Item, *Ex una offensa reatus introiit ad condemnationem.* De tertio, *Prudentia carnis inimicitia est adversus Deum*, Rom. 8. Ex illis autem tribus, brevi sententia ab Apostolo expressis, sequuntur alia necessariò: ut, 1. Infantes igitur in peccatis concipiuntur, & inimici Dei nascuntur: omnes *nascimur filii irae*, 2. Item, *Damnantur ergo & ipsi aeterna morte, nisi per Christum liberentur.* 3. Item, *Naturae igitur corruptio, seu concupiscentia in nobis habitans, sua natura peccatum est, aeterna morte dignum.* 4. Item, *Nihil igitur valet homo ad bonum Deo gratum, sed tantùm ad peccandum,* si totus homo & mente & corpore ita corruptus est.

Proinde mirum non est, quod Augustinus contra Pelagianos, praeter alia testimonia sacrarum literarum, hanc sententiam perpetuò urget, ad probanda haec omnia, quae Paulus conclusit, & quae nos inde deduximus. Atque haec satis de iis Apostoli verbis.

Ad summam verò quod attinet horum trium versuum, abundè & perspicuè probavit Apostolus, omnes homines, tam Judaeos quàm Gentiles, mortuos fuisse per peccata, tum in quibus concepti & nati sunt, tum in quibus omnes ambularunt. Mortuos inquam primúm spirituali morte, deinde aeterna, quia illius facti sunt rei, id quod significant nomine filiorum irae: ut jam taceamus de morte corporis.

Ita docuit Apostolus, & quae sint praecipua peccati effecta, & quae etiam causae.

Effectum primum est mors spiritualis, de qua versu primo. Secundum, servitus Diaboli, de qua versu secundo. Tertium, aeternae mortis reatus, de quo versu tertio.

Causas etiam tres indicavit: Prima est mundus suo exemplo & moribus, de qua versu secundo. Secunda, Satan suo flatu, de qua versu secundo. Tertia est peccatum originale in nobis inhabitans, seu natura corrupta, quae & caro & concupiscentia appellatur: de qua versu tertio. Haec (ut observavit Augustinus)

tinus) & poena peccati est (primi scilicet peccati, nempe Adami, quod nobis quoque imputatur), & peccatum (quia ἀνομία), & causa aliorum peccatorum.

Ad has tres, quas breviter indicavit Apostolus, reliquae omnes referuntur, si quae assignari possunt.

Causae peccatorum.

De causis igitur peccatorum haec pauca notentur. Causarum peccati aliae sunt internae, aliae externae; seu aliae intra nos, aliae extra nos. Externarum aliae sunt visibiles, aliae invisibiles: seu, aliae sub sensum cadunt, aliae non cadunt.

Visibiles sunt cumprimis aliorum exempla: quibus conjunguntur verba, consilia, adhortationes, diuturnae consuetudines, &c. Vel, ut uno verbo dicam, est mundus iste suis exemplis, consuetudinibus, adhortationibus, consiliis, beneficiis, blanditiis. Hanc significavit, cùm dixit, ambulastis in peccatis, κατὰ τὸν αἰῶνα hujus mundi, seu, ut solet vivere mundus.

Invisibiles externae sunt κακοδαίμονες, qui suis flatibus homines ad peccatum excitant: hos significavit dicendo: *juxta principem potestatis aëris, & spiritus efficaciter agentis, &c.* Hae omnes causae extra nos sunt.

Internae duae sunt: Una, quae ad peccandum excitat, impellítque; haec est concupiscentia nobis innata, de qua versu tertio, *In concupiscentiis carnis nostrae: facientes voluntates carnis & cogitationum.* Altera est, quae peccatum efficit, & ideò efficiens causa dicenda est. Haec est voluntas nostra. Haec enim efficit, *ut ambulemus in peccatis, & faciamus voluntates carnis,* sicut loquitur Apostolus. Haec de causis peccati.

Quorsum verò haec omnia? Ut probè agnito malo nostro statúque miserrimo, in quo eramus per Adamum primum, eò meliùs percipiamus etiam beneficium Christi.

2. Sequitur ergo secunda particula, tribus aliis versibus comprehensa: in qua beneficium Christi explicatur, per quem, ablato peccato, vivificati sumus à Patre, ex gratuita ejus misericordia, *propter summam charitatem, qua nos amavit in Christo.*

V. 4. Sed Deus (inquit Apostolus) *qui dives est in miserordia, propter multam charitatem suam qua dilexit nos.*

V. 5. *Etiam cùm essemus mortui per delicta, convivificavit nos una cùm Christo* (per gratiam estis servati), *simúlque cum eo resuscitavit.*

Potuisset uno verbo dicere, Sed Deus nos mortuos gratis vivificavit & servavit in Christo: verùm non contentus simplici & nudâ doctrinâ, sed volens nostra afficere corda erga Deum & Jesum Christum, beneficium hoc amplificavit, & παθητικοῖς verbis mirabiliter illustravit: ostensis causis omnibus nostrae salutis, & praecipuis ejusdem capitibus explicatis: suo exemplo docens nos, & praesertim verbi ministros, quomodo debeant se gerere in praedicanda Dei gratia, & beneficiis Christi: & quò spectare debeat nostra oratio, eo nimirum, non tantùm ut doceamus, sed ut animos auditorum afficiamus amore Dei & Christi, & ut praebeant se illi gratos.

Priori autem loco analysin totius hujus contextus, hoc est, horum trium versuum tradam; deinde singulos percurram.

De

De causis salutis.

Resolvitur totus hic contextus in quatuor capita: in causas nostrae salutis verè efficientes: in causas impulsivas, undenam Deus ad nos servandos permotus fuerit: in conditionem eorum quos servavit: & in summam beneficiorum Dei & Christi nobis praestitorum.

Causa *prima* efficiens ac vivificans est Deus: de hac versu quarto.

Causa *altera* efficiens & proxima est Christus, & caput nostrum, à quo vita fluit & salus in membra: de hac versu quinto & sexto. Christus enim nos sibi insitos per Spiritum suum vivificat.

Causae impulsivae tres numerantur, quarum una pendet ex alia.

Prima & proxima est misericordia Dei magna & copiosa. Ideò enim vivificavit nos Deus, quia, ceu sensu miseriae nostrae tactus, misertus est nostri. De hac vers. 4.

Secunda est dilectio, qua nos in Christo ab aeterno dilexit, eo scilicet dilectionis genere, de quo Rom. 9. Jacob dilexi, &c. Haec causa est prioris. Ideò enim misertus est nostri Deus, quia diligebat nos: quemodmodum & nos eorum maximè misereri & misericordiae officia illis praestare solemus quos maximè diligimus. Et ideò misericordia erga illos afficimur, quia diligimus. De hac vers. 4.

Tertia causa impulsiva est gratia, id est, favor ille gratuitus, quo placuit Deo nos prae aliis complecti, & eligere in filios in Christo. Haec causa est secundae. Ideò enim diligit in Christo, quia nos singulari gratuitóque favore in eodem Christo complexus est; de hac vers. 5.

Omnes autem hae causae, *misericordia, dilectio, gratia Dei*, omnia nostra excludunt merita. Haec de causis impulsivis.

Quósnam verò, & quales vivificavit ac servavit?

Nos (inquit) nempe omnes, tum Judaeos tum Gentiles, *quos pro sua gratia ab aeterno elegerat in Christo, dilexerat, & vasa fecerat misericordiae.* Ii sunt, quos servavit & servat. Sed quales? *Cùm essemus natura filii irae, filii contumaciae, mancipia Satanae*, cúm ambularemus in delictis & peccatis, denique cùm essemus mortui, eóque nihil possemus ad nostri vivificationem praestare, imò ne quidem de illa cogitare, ipse tamen vivificavit nos. Haec est conditio eorum, quos vivificat & servat. Atque haec etiam particula omnia excludit merita nostra.

Beneficia Christi.

Effecta gratiae & beneficia Christi duplicis sunt generis: alia, quae in hac vita reipsa percipiuntur; alia, quae in futuro seculo perfectè & plenè percipienda certò exspectantur: cùm tamen ea etiam nunc, sed in Christo capite, perceperimus.

1. Primi generis beneficia significantur nomine vivificationis, vers. 5. Et ad hanc pertinent justificatio & regeneratio. Justificatione tolluntur peccata, quae sunt causa mortis tùm spiritualis, tum corporalis, tum infernalis: & imputatur justitia Christi, quae est causa vitae, *ut non simus ampliùs filii irae.* Regeneratione,

ratione renovatur natura nostra, per Spiritum Sanctum, *ne ambulemus ampliùs in peccatis, & ut desinamus esse filii contumaciae, ac ne faciamus ampliùs voluntates carnis & cogitationum nostrarum.* Haec sunt primi generis: & (ut dixi) uno vivificationis nomine omnia comprehenduntur.

2. Secundi generis sunt, *Resuscitatio à mortuis, & sessio in supercoelestibus locis cum Christo,* qua significatur plena aeternae vitae possessio in coelis. De iis vers. 6. Haec est analysis horum trium versuum: continens causas salutis nostrae, & summam beneficiorum Dei in Christo, & per Christum partim praestitorum, partim praestandorum.

Nunc percurro singulos versus: ut si quid praeter ea, quae sunt dicta, observandum sit, illud observemus.

V. 4. *Sed Deus &c.* Tria sunt membra. Primùm cùm ait: sed Deus, intellige solus. Vivificatio igitur nostri & salus nihili vel Angelo, vel homini, vel legi, vel operibus nostris adscribenda est, sed soli Deo. Alterum, cùm ait, Qui dives est, seu cùm dives esset in misericordia. Hîc fontem immediatum & proximum indicat, unde nostri vivificatio profluat, nempe ex misericordia Dei erga nos. Non igitur ex operibus nostris, vel ullius purae creaturae, motus fuit ad nos servandos; sed tantùm à misericordia sua.

Quia verò non ait simpliciter, Qui misericors est, sed qui dives est in misericordia, duo notanda sunt: Unum, Apostolum non loqui de misericordia Dei, nisi quatenus illa sese per effecta manifestat & exerit. Neque enim Deus in suo tantùm (ut ita loquar) pectore & animo miseretur nostri: sed effectis misericordiae suam patefacit misericordiam. Alterum est, *Deum* multis de causis *divitem in misericordia* vocari.

Deus cur dives misericordiae dictus.

Primò, quia plura misericordiae effecta praestat, quam etiam opus habeamus, nostrique misericordia postulet. Certè ad remissionem peccatorum nostrorum satis erat simplex condonatio: sed hac non contentus Deus voluit dare Filium, qui pro nobis sua morte satisfaceret: voluit dare Spiritum Suum, qui nos regeneraret, & alia infinita praestitit dona: qua de re etiam dictum fuit in 1. cap. ubi dixit Apostolus, *ut sciatis quae sint divitiae gloriae haereditatis illius.* Meritò igitur dicitur *dives misericordiae.*

Secundò, vocatur *dives misericordiae*, quia nunquam desinit misericordiae suae divitias communicare, & illis communicandis nunquam exhauritur ejus misericordia. Ii enim verè divites dicuntur, quibus nunquam deest, utut quotidie multa impendant. Quia igitur misericordia Dei nunquam exhauritur, ideò Deus meritò dicitur *dives misericordiae.*

Tertiò, in hoc etiam apparent *divitiae misericordiae Dei*, quia, qui nostri miseretur, nobis opus non habet, & miserendo nil sibi acquirit, sed nobis.

Quartò, quia omnia, utut gravissima peccata, remittit poenitentibus omnibus: imò fidem etiam & poenitentiam donat.

Quintò, quia remittit peccata illis, illorúmque miseretur, *qui sua natura sunt filii contumaces, filii irae.*

Sextò,

Sextò, denique quia sua misericordia praevenit nos, qui de ea nihil cogitabamus, neque eam quaerebamus: & postea semper in finem usque prosequitur nos eadem misericordia. Ditissimus igitur in misericordia sit oportet.

Septimò, Quid? quòd non solùm erga electos misericors est, sed etiam erga reprobos, quibus & dum peccant beneficia multa praestare non desinit, & postquam peccarunt, non pro illorum meritis poenas infligit? Ut meritò dixerit Jacobus, 2. 13. Praevalet misericordia adversus judicium. Verè igitur Deus praedicatur ab Apostolo, quòd sit dives in misericordia.

III. Tertium membrum est, ubi, postquam dixit Deum, cum dives esset in misericordia, nos vivificasse, subdit, propter multam dilectionem, qua dilexit nos. Docet ergo misericordiam, quam nobis praestat, à dilectione proficisci, qua nos dilexit in Christo. Non igitur à nostra invocatione, aut à nostris meritis aut personis, fuit in Deo excitata misericordia, sed à dilectione ejus in Christo erga nos.

Nec solum vocat dilectionem, sed mutuam dilectionem. Merito sic loquitur Apostolus: quia si magnae sunt divitiae misericordiae erga nos, & misericordia haec oritur à dilectione: Ergò etiam dilectionem esse multam & magnam necessario efficitur. Quam autem sit magna dilectio Dei erga nos, quis explicare queat? Effecta ipsa confirmant, quod scriptura praedicat. Illud dictum Christi satis esse debet, *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unicum daret, ut quicunque credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*, Joh. 3, Et illud Apostoli, Rom. 5. Commendat autem Deus charitatem suam in nos, quòd cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Circumstantiam hanc etiam hìc Apostolus indicavit, dicendo, Qua dilexit nos; non ait, qua diligit, sed qua dilexit. Quando? Nempe cùm adhuc essemus inimici ejus, & ambularemus in peccatis, &c. Haec circumstantia maximè praedicat, quàm multa & magna sit Dei erga nos dilectio. Si autem ita dilexit nos, cùm adhuc tales essemus, & ejus inimici: quanto magis nunc, cùm simus ei reconciliati, & facti filii ejus? Sic Apostolus argumentatus est ad Rom. 5. Si, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: quantò magis nunc reconciliati salvi erimus ab ira in vita ipsius? Haec ex vers. 4.

V. 5. *Etiam cùm essemus mortui per peccata vivificavit nos una cùm Christo* (Gratia estis servati).

Duo sunt membra. Primum membrum facit ad commendationem magnitudinis misericordiae & dilectionis Dei, ut modò explicatum est. Illud *nos* non est referendum ad Judaeos tantùm, de quibus solis in vers. 3., sed communiter ad omnes quos antè concluserat olim fuisse mortuos. Hoc docendo: etiam cùm essemus mortui per delicta, vivificavit nos. Hoc enim primo loco de Gentibus concluserat, & postmodum de se & Judaeis.

De vivificatione.

Verbo autem *vivificandi* una cum Christo vivificationem propriè significavit, quam in hac vita à Christo, seu à Deo in Christo, & per Christum accipimus: quae

quae bifariam consideranda nobis est: Primùm, quatenus semel facta est in Christo capite & servatore nostro, ídque nostro nomine, nostráque causa. Deinde quatenus in nobis fit quotidie. Est autem haec praesentis vitae vivificatio, de qua jam loquitur, duplex, duplici mortis generi respondens, morti scilicet infernali, & morti spirituali.

Prima est vivificatio, qua liberamur à reatu mortis aeternae & infernalis, & contra donamur jure vitae aeternae. Prior haec vivificatio fit per expiationem remissionémque peccatorum. Hac enim facta & impetrata liberamur à reatu mortis aeternae & donamur jure vitae aeternae atque coelestis. Haec est prima.

Altera vivificatio est, qua à morte spirituali in vitam spiritualem traducimur atque eripimur: ut mortui jam peccato vivamus Deo. Haec fit per communicationem Spiritus Christi, nos mortificantis peccato, vivificantis autem Deo. Harum vivificationum, quatenus fiunt in nobis, priorem justificationem, alteram regenerationem ac sanctificationem appellare solemus, juxta consuetudinem sacrarum literarum. Nunc utraque consideranda nobis est, primúm in Christo, deinde in nobis.

Ad primam igitur quod attinet, Nos Deus in Christi persona vivificavit, quando per mortem Christi, expiato peccato, omnes Electos, quotquot fuerant à condito orbe, & futuri erant in finem usque, tanquam membra Christi in ipso capite considerata, liberavit à reatu mortis infernalis, ut ante dixi, & donavit jure vitae coelestis atque aeternae. In nobis verò ipsis nos reapse vivificat hoc primo vivificationis genere, cùm donatos fide in Christum donat etiam remissione peccatorum, & justitiae Christi imputatione, & ita justificat. Tunc enim re ipsa liberamur reatu mortis aeternae, & donamur jure vitae coelestis atque divinae, dicente Christo, Joh. 3. *Qui credit in me, non venit in judicium, sed transit à morte in vitam.* Item, *Qui credit in me, habet* (jam) *vitam aeternam, quia jus habet certum illius coelestis haereditatis.* Ita justificatio nostri est prima nostri vivificatio.

At, inquies, Apostolus ait, Deum nos vivificasse unà cum Christo: oportuit igitur & ipsum reatu mortis aeternae liberatum fuisse, si hoc primo vivificationis genere cum ipso Christo fuimus vivificati. Quis autem dicat Christum, qui nunquam peccavit, reatu mortis aeternae implicitum fuisse? quo postea liberatus sit.

Resp. Persona Christi bifariam consideratur. Primum in se ipsa, quatenus & Deus & homo erat atque est. Hoc sanè modo fatemur Christum nunquam ullo reatu fuisse obstrictum, multò minus aeternae mortis: cùm ipse etiam qua homo nullum unquam peccatum admiserit. Proinde neque opus habuit hujuscemodi liberatione ac vivificatione. Alio modo consideratur Christus, quatenus constitutus fuit caput omnium Electorum, ac proinde quatenus in se sustinebat omnes nos, ut caput membra sibi habet adjuncta. Hoc modo Christus recepit in se omnes nostras iniquitates, imò Pater omnes in illum posuit, ut ait Jesa. cap. 53. ita ut, sicut postea tota illius justitia nobis fuit imputata & imputatur; sic illi omnes nostrae injustitiae & peccata tanquam capiti fuerint imputata à Patre. Hac ratione reus fuit mortis, propter peccata nostra in eum posita, & illius tanquam propria effecta. Quando igitur Christi morte peccata, quae in ipso erant

posita,

posita, expiata fuerunt: tùm fuit Christus tanquam caput, & nos unà cum illo tanquam membra, reatu aeternae mortis liberati, & jure aeternae vitae donati: ut meritò dictum Apostoli de hoc quoque primo vivificationis genere interpretati simus, Deus nos mortuos, id est, reos aeternae mortis existentes, unà cum Christo vivificavit.

Ad alterum quod attinet vivificationis genus, nempe à morte spirituali ad vitam spiritualem & sanctam: tunc Deus nos in Christi persona vivificavit, quando Christum passum & mortuum secundùm carnem, reddito illi spiritu, quem Patri commendaverat, vivificavit, & ad novum vitae genus evocavit, ad vitam scilicet spiritualem, atque coelestem, replens illum, quatenus homo erat, omnibus Spiritus Sancti donis. Tunc enim & nos in ipso vivificavit. In nostris verò personis nos re ipsa vivificat hoc secundo vivificationis genere, quando communicato nobis suo Spiritu sanctificat & regenerat nos, liberátque à servitute peccati, & facit, ut, peccato mortui, vivamus Deo, ut est ad Rom. 6. Haec de primo membro, ubi (ut jam dictum est) nomine vivificationis beneficia Dei significavit Apostolus, quae in hac vita partim accepimus in persona Christi, partim quotidiè accipimus per Spiritum Christi in nobis ipsis, nempe justificationem & regenerationem.

2. Alterum membrum per parenthesin ita habet, *Gratia estis servati.* Quidam volunt hanc particulam ab aliquo, non ab Apostolo, insertam & interpositam fuisse, non opportunè, nec suo loco: quod ea posteà repetatur vers. 8. Sed non subscribo: nec facilè concedam aliquid sacris literis vel additum, vel detractum fuisse. Si aperiatur haec fenestra infidelibus & haereticis: quid non audebunt contra nos? Sentio igitur ab Apostolo interpositam fuisse: & id non sine causa. Causam enim voluit ostendere primam nostrae salutis esse gratiam Dei, id est, gratuitum illum & aeternum favorem, quo nos, reliquis neglectis, complexus est in Christo, in eo nos eligendo: & undénam ortum habuerit dilectio & misericordia, de quibus ante, nempe à gratia. Praeterea hic fuit scopus Apostoli, demonstrare totam salutem nostram esse gratuitam, non ex operibus. Non igitur mirum, quòd eam inseruerit & postea etiam infrà repetat.

V. 6. *Et conresuscitavit, & consedere fecit in supercoelestibus* (locis) *in Christo Jesu.*

Diximus beneficia Dei in Christo duplicis esse generis: alia, quae in hac vita accepimus & accipimus quotidiè: alia, quae in futuro seculo plenè & perfectè sumus accepturi. Primi generis diximus significata fuisse nomine vivificationis, quâ vivificati sumus primò in persona Christi; quod, quando, & quomodo factum sit docuimus: secundò in nobis ipsis reapse. Et hanc vivificationem esse tùm justificationem, tùm regenerationem nostri.

Nunc ad beneficia secundi generis transit Apostolus: & duobus verbis ea explicat, resurgendi, & sedendi in coelo: quorum primum ad resurrectionem corporum pertinet, alterum ad plenam aeternae vitae possessionem. Sed haec etiam beneficia duplicem habent considerationem: (sicut & de vivificatione diximus) unam in Christo, alteram in nobis ipsis. Deus in persona Christi,

 tan-

tanquam in capite nostro, nos unà cum illo resuscitavit à mortuis, quando corpus Christi resumto spiritu suo vivificatum e sepulchro excitavit. Tunc autem consedere nos fecit cum Christo in coelo, quando illum fecit sedere ad dexteram suam in illis supercoelestibus locis, & aeterna frui gloria ac beatitudine, & rerum omnium potiri. Haec prima est horum beneficiorum consideratio: in persona, scilicet, Christi.

In nobis autem ipsis reapse beneficia ista suum habebunt complementum, cum nostra corpora, resumtis animabus, excitabuntur à mortuis, ac resurgent ad vitam immortalem, vitáque fruentur sempiterna. Hic alter modus, quo intelligenda & consideranda esse diximus nostri resurrectionem & sessionem in coelo, non videtur opus habere longiore explicatione, quoniam omnes intelligunt nostra corpora verè resurrectura, & nos reipsa futuros in coelis cum Christo, aeternáque gloria fruituros. Sed de priori non inter omnes convenit, nempe quomodo intelligendum sit nos jam cum Christo revera resurrexisse, & cum illo in supercoelestibus sedere.

Quidam, quod de resurrectione scribit Apostolus, referunt ad spiritualem resurrectionem, quae fit à morte spirituali ad vitam spiritualem, qua non ampliùs peccato sed Deo vivitur, justitiaeque servitur. Et huc aiunt pertinere dictum Apostoli: Rom. 6. Nos baptizatos fuisse in mortem Christi (ut scilicet moreremur peccato) & cum illo excitatos à mortuis, ut in novitate vitae ambulemus. Sed hoc beneficium diximus significatum fuisse nomine vivificationis: de quo dictum est versu superiori. Itaque interpretes ferè omnes de resurrectione corporum intelligunt: & meritó. Sed in sensu verborum, quomodo jam simus resuscitati à mortuis, non eadem est omnium sententia: aliis dicentibus nos resuscitatos cum Christo fuisse, νῦν μέν τῇ δυνάμει, ὕστερον δε καὶ ἐνεργείᾳ (sed etiam ante Christi resurrectionem omnes pii resurrexerant δυνάμει). Aliis asserentibus dici nos resuscitatos propter certitudinem, quam ex resurrectione Christi concepimus: sed omnes pii à condito orbe de hac fuerunt certi, sicut de futura Christi resurrectione causa nostrae. Apostolus autem ait, nos resuscitatos jam esse cum Christo, id est, quando Christus fuit suscitatus à mortuis, nos quoque fuisse cum illo resuscitatos: cùm tamen nondum essemus in rerum natura, multò minus à mortuis excitati.

Altera igitur Scholiastae interpretatio veram affert hujus loci intelligentiam. Ait enim nos in Christo, tanquam in capite, & tanquam in primitiis resurgentium, excitatos fuisse. Et ita etiam de sessione in coelis idem confirmat. Quando enim in veteri Testamento benedicebantur primitiae frugum & aliarum rerum, dicebantur & reliquae fruges benedici ac benedictae esse in primitiis: Quomodo? potentiáne, aut spe, hoc est, quia certò essent & ipsae postmodum benedicendae? Minimè verò, sed actu erant benedictae: licet in templum non essent perlatae, nec sacerdotis benedictio immediatè super illas cecidisset. Quomodo igitur erant actu benedictae? in primitiis ipsis. Quid ita? quia in primitiis continebantur omnes reliquae ejusdem generis fruges & res. Si item quis conjiciatur in profluentem, ibíque maneat per triduum, & postmodum excitetur inde potentiâ divina, ita ut capite solo extans ex aquis inde enatet, réliquis corporis membris sub aquis manentibus: annon tamen reliqua membra

membra dicentur ex aquis liberata esse atque erepta? Omninò, & verissimè; sed quomodo, cùm adhuc sub aquis lateant? Quia cum capite conjuncta sunt, ideò etiam in capite verè dicuntur actu ex aquis liberata esse. Si maritus & primogenitus absens à corpore & à fratribus aliquod occupet Regnum, suo & uxoris & fratrum nomine; annon dicentur & uxor & fratres jam actu regnum illud cum marito & fratre primogenito occupasse? Quomodo? Non δυνάμει, non certa spe, sed re ipsa, quamquam ipsi, utpote absentes, illo nondum in se ipsis fruantur, sed in fratre & marito. Christus est primitiae omnium mortuorum, est caput nostrum, est sponsus totius Ecclesiae, & primogenitus inter multos fratres. Quicquid ille obtinuit, illud & nos in eo re ipsa obtinuisse dicimur, victoriam contra mortem, resurrectionem, haereditatem aeternae vitae, quamquam in plenam possessionem nondum perducti simus. Actu enim jus in nobis jam habemus illius beatae resurrectionis, & gloriosae sessionis in Christi regno, & verò etiam possessionem, sed in capite tantùm. Possidet enim regnum illud Christus, non suo tantùm sed nostro etiam nomine. Haec est prima & immediata eàque verissima hujus loci intelligentia: ex qua pendet altera, nimirum de certitudine illa, qua certò novimus tandem fore, ut nostra etiam corpora reapse resurgant gloriosa, sedeántque, id est, regnent cum Christo in coelis. Quid ita? quia jam ibi habemus caput nostrum, cui triplici eóque indissolubili nexu copulati sumus: *nexu aeternae praedestinationis, nexu carnis, & nexu spiritus.*

1. Primùm enim ita in Christo electi fuimus, ut essemus ejus membra, & pro ejus membris agniti fuimus à Patre. Hic est primus nexus.

2. Deinde ipsius Filius carnem nostram sumendo, sibique ὑποστατικῇ unione copulando, sese nobis adglutinavit, ut de spirituali conjugio disserens Apostolus docuit. Hic est secundus.

3. Rursus suo nobis communicato spiritu nos sibi arctissimè conjunxit, faciens nos carnem de carne sua, & ossa de ossibus suis. Quid igitur mirum, quód dicamus nos jam verè, non δυνάμει sed ἐνεργείᾳ, resurrexisse & in coelis sedere, nempe in capite nostro: tanta cùm sit unio inter eum & inter nos? Et sic locuti sunt Patres, praesertim Tertullianus & Bernardus, in coelis nos esse & regnare, quia ibi caro nostra est & regnat.

Ad hanc interpretationem pertinet eàmque confirmat, quod in fine addit Apostolus, *In Christo Jesu.* Dixerat, *Deum nos cum Christo resuscitato resuscitasse & cum eo sedente in coelis sedere fecisse.* Et mox addit, *In Christo Jesu.* Non solum cum Christo, sed in ipso etiam Christo ait nos resurrexisse & sedere in coelis. Docet igitur se non loqui immediatè de eo quod futurum est de nobis, & in nobis ipsis, sed de eo quod accepimus jam, sed in Christo, tanquam capite nostro. Nos cum Christo jam surreximus, & nondum surreximus à mortuis. Et cum Christo jam sedemus in coelis, & nondum sedemus. Surreximus quidem & sedemus cum Christo, non simpliciter, sed in ipso tantùm Christo, ut membra in capite: nondum verò surreximus, neque sedemus in coelo, nostris corporibus jam excitatis à mortuis & in coelum evectis: sed tantùm hujus resurrectionis & sessionis futurae certissimam hoc facit spem, quia jam conresuscitati sumus in Christo, & jam consedemus in coelo in ipsius persona, tanquam membra in capite. Ergò quia omnino futurum est, ut etiam nostra haec misera corpora

resur-

resurgant ipsamet & regnent in coelo cum Christo: ideo respectu hujus certitudinis dicimus etiamnum resurrexisse, & sedere in coelis. Adde quòd mente etiam & spiritu veri pii versantur in coelis, tanquam à mortuis excitati. Philipp. 3. πολίτευμα *nostrum in coelis est. Et totum hoc virtute Christi jam excitati à mortuis & sedentis ad dexteram Patris.*

Observationes.

Ita nunc apertis oculis videmus quanta sit non solùm misericordia, sed etiam potentia Dei erga nos qui credimus: de qua capite 1. dixerat, se precari Deum daret nobis oculos, quibus possemus videre quanta sit superexcellens magnitudo potentiae roboris ejus in nos qui credimus: & quam in Christo exeruit, cùm suscitaret eum à mortuis. Restabat, ut declararet quomodo eam quoque erga nos patefaciat. Manens igitur in eodem proposito de divina actione, quâ suscitando Christum & sedere illum faciendo in coelestibus, suam in eo exeruit potentiam: concludit Deum eodem modo eandem suam potentiam declarasse erga nos: *quia primùm vivificavit, resuscitavit, & sedere fecit nos in coelestibus,* in persona Christi: Secundò, *quia Spiritu Christi nos in nobis ipsis vivificavit, justificavit, regeneravit, inque novam vitam excitavit,* & ut spiritu in coelis versemur efficit. Tertiò, quia tam certo excitaturus nos est à mortuis, & sedere facturus in coelis, ut hoc dici possit jam quodammodo esse factum. Nos itaque haec videmus, qui habemus oculos fidei: quantáque sit Dei potentia unà cum misericordia bonáque voluntate, facilè intelligimus. Sed interim ipsi mundo vita nostra abscondita est, nempe cum Christo in Deo: Coloss. 3. 3. Et ideò ab eo damnamur, persecutiones patimur, quemadmodum ante nos prior passus est Christus, ut fiamus hac etiam in parte ei similes, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam.

Nos verò hac praediti cognitione, nos scilicet jam in coelo esse cum Christo, quid tam durum, difficile, ac molestum in mundo esse potest, quod non debeamus possimusque superare?

2. Sicut verò haec doctrina sublevat mentes nostras ad coelum, & facit ut mente & affectu ibi versemur, ubi caput nostrum est, & nos in ipso sumus extra hunc mundum: Ita contra doctrina de ubiquitate, déque coelo ubiquitario, mentes hîc depressas detinet, quando tam hîc est corpus Christi, quam supra sphaeras coelestes.

Hactenus causas salutis magnitudinémque beneficiorum, quae Deus in Christo contulit electis, tam Gentibus quàm Judaeis, *cum essent omnes mortui in peccatis, filii contumaciae, mancipia Diaboli, filii irae,* paucis quidem verbis, sed summae sapientiae & majestatis divinae plenis explicavit Apostolus.

Sequitur tertia particula.

V. 7. *Ut ostenderet in seculis supervenientibus superabundantes divitias gratiae suae in benignitate erga nos in Jesu Christo.*

Potuisset iste versus conjungi cum superioribus tribus, cum hîc etiam causam

sam salutis in Christo praestitae contineat, nempe finalem. Placuit tamen seorsim explicare, quia videtur mihi finem continere non solum cur voluerit Judaeos & Gentes, qui fuerunt ante nos, servare ex gratia, & per mortem ac resurrectionem Christi, ut proximis tribus versibus explicatum est; verùm etiam cur hoc modo servare voluerit, nempe permittendo priùs *omnes concipi in peccatis, nasci filios irae, ambulare in peccatis, facere voluntates carnis & cogitationum, fieri filios contumaciae mancipiaque Satanae:* sicut explicatum est primis tribus versibus: ac tum demum, misso Filio, qui illorum peccata expiaret sua morte, eos à peccatis liberatos vivificare, *cum Christo à mortuis excitare, & cum eodem in supercoelestibus locis in tanta gloria collocare.* Totius hujus consilii divini causa finalis hîc explicari mihi videtur; ea est, ut hac ratione ingentes, & omnem humanum captum superantes divitias gratiae suae toti posteritati singulis temporibus ostenderet, & in servatis Judaeis ac Gentibus, tanquam in exemplari & speculo quodam illis qui postmodum servandi erant contemplandas proponeret: & ita nos, qui secuturi eramus, haec quae gesta fuerunt, vel scripta legentes, vel audientes narrari, nunquam ob ulla quantumvis magna & innumerabilia peccata, nunquam de misericordia & gratia Dei desperaremus: sed confugientes ad Christum, illúmque animo fideli amplectentes, firma fide crederemus, Deum non minùs erga nos futurum in Christo liberalem dispensandis divitiis suae misericordiae, quàm fuerit erga Patres nostros: ac proinde persuasum haberemus propter eandem misericordiam nos quoque esse jam in Christo vivificatos, condonatis peccatis, resuscitatos item & collocatos in coelo, & tandem cum corporibus etiam istis nos futuros in coelo cum Christo, aeternáque felicitate fruituros; atque ita Deum perpetuò glorificaremus, immensamque ejus erga nos in Christo bonitatem praedicaremus.

Haec est finis ille, quem hîc tradit Apostolus, de consilio divino in servandis per Christum & in Christo electis omnibus, mortuis in peccatis: ut semper posteri, audita & credita misericordia de mortuis in Christo facta, ipsi quoque ejusdem fierent participes, per fidem in eundem Christum.

Sunt autem tria membra hujus versus. Primo explicat finem, dicendo: *Ut ostenderet superexcellentes*, seu immensas, *divitias gratiae suae. Altero* docet, quibúsnam & quando hunc finem voluit ostendere, eóque praedicari & offerri has divitias gratiae suae posteris omnibus, qui seculis supervenientibus futuri erant in finem usque mundi. *Tertio* docet, quomodo voluit ostendere: ait, *in benignitate erga nos in Christo Jesu*, id est, per benignitatem illam, quam in Christo capite nobis praestitit, posteris praedicatam. Illud igitur *erga Nos*, intellige Paulum illósque fideles omnes, tam Gentiles quam Judaeos, qui fuerant ab adventu Christi usque ad ea tempora, quibus haec scribebat. Facit enim discrimen inter eos qui tum erant electi ac pii, & inter illos qui futuri erant in seculis superventuris. Ita sensus est perspicuus. Per benignitatem Dei, defunctis Patribus in Christo praestitam, posteris autem praedicatam, ipsos quoque posteros intellecturos, quantae sint divitiae misericordiae & gratiae divinae in Christo; eóque spem concepturos, Deum, tam divitem in misericordia, futurum erga se liberalem, si eundem Christum fide amplectantur, eique adglutinentur: & ita omnes credentes per eandem benignitatem & gratiam Dei in Christo

Christo servatum iri. Haec est genuina hujus loci intelligentia, quanquam multi alii aliter interpretentur: nempe, ideo Deum nos in hoc seculo spiritualiter vivificasse & resuscitasse cum Christo, & per spem sedere fecisse in coelo, ut postea futuro in seculo immensas divitias suae misericordiae & gratiae reapse nobis ostendat, cùm scilicet re ipsa nos excitabit à mortuis, & collocabit in regno coelorum, per eandem suam benignitatem, quam hactenus etiam communicavit in Christo Jesu. Atque huc spectare, quod alibi Apostolus ait, *Quae oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* 1 Cor. 2.

Sed *primùm* quidem illud verbum ἐνδείκνυμαι non significat simpliciter ostendere, sed specimen rei praebere, & aliquid in exemplum proponere. *Deinde* non de aliis divitiis loquitur, quàm de illis de quibus suprà. *Deus autem, cum dives sit in misericordia, convivificavit nos etiam cùm essemus mortui.* Ideóque sensus non est, quòd Deus sit in coelo reipsa ostensurus ampliores divitias, introducendo scilicet nos in regnum coelorum: sed quòd divitias, exhibitas olim Judaeis & Gentibus, sit propositurus in exemplum futuris populis omnibus. *Tertiò,* non dixit Apostolus, ut ostendat divitias in seculo futuro (hoc est, in altera vita, ut isti interpretantur) sed in seculis supervenientibus, & perpetuò sibi succedentibus. Est autem seculum spatium 100 annorum. Significavit ergo Apostolus Deum velle omnibus temporibus, in finem usque mundi, *has divitias gratiae suae*, olim praestitas Judaeis & Gentibus, in posterum reliquis etiam Gentibus patefieri, & in exemplum proponi. In quem verò finem? *ut etiam posteri earundem divitiarum gratiae Dei participes fiant*, credendo Evangelio, quo hae divitiae praedicantur, proponuntur, exhibentur. *Denique* Apostolus ipse in 1. ad Timoth. 1. exemplo sui ostendit, quomodo locus etiam iste, qui est de misericordia Dei, tum sibi tum aliis Judaeis & Gentibus praestita, intelligendus sit.

Primùm ait, Christum venisse in mundum, ut peccatores salvos faceret, quorum primus (inquit) ego sum. Deinde subdit: sed ideò misertus est mei, ut in me primò ἐνδειξηταί (idem est verbum quod etiam hîc) ostenderet Jesus Christus omnem clementiam πρὸς ὑποτύπωσιν, id est, ad exemplar τῶν μελλόντων πιστεὺειν ἐπ᾽ ἀυτοῦ, in vitam aeternam; id est, ideò in me magnam suam declaravit misericordiam, ut essem ego aliis exemplar misericordiae Dei, eóque ut illi credendo in Christum, & fidendo misericordiae Dei, vitam consequerentur aeternam. Non alio sensu locutus est etiam hîc ad Ephesios. Confirmatur à contrario. In quem finem Deus tam severas, sed justissimas tamen, poenas sumsit de Angelis peccantibus, de hominibus tempore Noë, de Sodomitis tempore Loti? Ut in illis ostenderet magnitudinem suae irae adversus peccata per omnia secula in finem usque mundi: quò disceremus omnes timere Deum, & evitare similia flagitia. Hoc est quod Petrus usus est his exemplis ad incutiendum aliis timorem irae Dei in 2. Epist. cap. 2.

Ita contra magnas divitias suae misericordiae praestitit ac communicavit Apostolis, & aliis nunc temporis credentibus in Christum: ut in illis sanctis ac fidelibus declararet & nobis posteris, quantae divitiae bonitatis divinae nos & alios in Christum credentes maneant: atque ita confirmentur in fide de salute aeterna per solum Jesum Christum, in quo solo hae divitiae coelestes communicantur.

Obser-

Observationes.

1. *Primò*, observandus est hic locus, quia inde discimus, quid sperandum sit nobis & aliis omnibus credentibus in Christum: illae nimirum divitiae, illíque thesauri bonitatis divinae, quos etiam Prophetis & Apostolis aliisque primis fidelibus, partim in hoc mundo partim in coelo, communicavit Deus in Christo, & per Christum. Imò discimus, quicquid praestitum est capiti nostro Christo, id toti ejus corpori, eóque singulis membris partim jam esse praestitum, partim etiam ampliùs praestandum esse, gloriosam scilicet resurrectionem & sessionem in coelo, hoc est, plenam aeternae coelestísque haereditatis possessionem.

Secundò, observandum & illud, quod repetit de superexcellentibus istis divitiis gratiae Dei: diximus nonnihil anteà. Addam tamen & hoc, quod Ambrosius ait, inde apparere quàm dives sit aliquis, si de suis divitiis communicet abundè omnibus petentibus: quid verò si etiam non petentes quaerat, ut eis communicet? Talis est Deus. Addamus verò nos, ex altera particula, nempe supervenientibus seculis, addamus, inquam, quid, si talis dives communicet suas divitias omnibus & petentibus & non petentibus, non uno die aut mense, aut anno, sed semper, omnibúsque seculis? argumento fuerit divitias esse verè superexcellentes, quae nunquam exhauriuntur. Hoc facit Deus. Proindè:

Tertiò, observandum Deum suas divitias patefacere, & demonstrare omnibus seculis, non solùm praedicatione, sed etiam perpetua communicatione: ita nunquam deficiant, nec deficere possint. Tam amplae sunt jam nobis, qui vivimus post Christum natum seculo decimo sexto, quam fuerunt etiam primo seculo, seu prima annorum centuria. Annon & solis splendor tam lucidus est, & tam amplè se diffundit jam, quàm etiam antè & ab initio mundi? *multo minus exhauriri possunt divitiae misericordiae & bonitatis Dei.* Ac si tam efficax fuit malum Adae, ut nunquam cessarit, aut cesset, quin ex aequo omnes posteros omnibúsque seculis invadat: putabimúsne beneficium Christi & thesauros misericordiae Dei minoris esse efficacitatis, aut exhauriri posse? Apostolus docet ad Rom. 5. longè majus esse beneficium Christi maleficio Adami. *Nemo igitur diffidat, nemo desperet, sed omnes Christum amplectamur, & salvi erimus.*

Quartò, observandum, in quem usum proponantur sancti Prophetae, Apostoli, Martyres: in eum nimirum usum, in quem etiam *Deus gratiae suae divitias in illis collocavit:* nempe, non ut invocentur, adorentur à nobis, sed ut in iis, tanquam in speculis, divitias bonitatis divinae contemplemur: indéque fiduciam concipiamus in Deum & in Jesum Christum: quòd cum ipsi sicut & nos fuerint sua natura concepti in peccatis, nati filii irae, multáque admiserint scelera: quia tamen crediderunt in Christum, Deus illos convivificarit cum Christo, Spiritu suo repleverit, & in coelum adduxerit. Futurum igitur ut & nos repleat divitiis bonitatis suae, si firmam fidem in Christum retineamus. Quò pertinet illud, *Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Unde etiam sequitur, sicut Patres majorésque nostri, qui decesserunt in Domino, exemplaria nobis fuerunt ingentium opum misericordiae Dei: sic nos, si constantes simus in fide Christi, futuros nostris posteris instar speculorum, in quibus contemplantes *quantae*

sunt

sunt divitiae benignitatis & gratiae divinae, ipsi quoque confidant *se propter Christum consecuturos misericordiam, omnium peccatorum remissionem, vitam aeternam.* Hoc enim modo, cum alii aliis sint exemplaria misericordiae immensae erga credentes in Christum, unius salus alterius adjuvat promovétque salutem.

Quintò, observandum, *cum tantae sint divitiae gratiae Dei, & misericordiae per se*, quia immensae & inexhaustae: quid cogitandum de illis Dei divitiis est, cùm accesserit thesaurus meritorum Christi? Sive igitur quaeramus misericordiam, sive merita, utrumque habemus in Christo immensum & inexhaustum, nunquam deficiens. Quis igitur de salute sui dubitare queat, si Christum fide retineat? Est haec doctrina ut certissima, sic omnis consolationis plenissima.

Sequitur nunc quarta particula hujus prioris contextus.

V. 8. *Gratia enim estis servati per fidem, ídque non ex vobis, Dei donum est.*

V. 9. *Non ex operibus, ne quis glorietur.*

V. 10. *Ipsius enim opus sumus, conditi in Christo Jesu ad opera bona, quae Deus praeparavit, ut in iis ambulemus.*

Summa horum versuum haec est. *Primùm*, confirmat praecedentem doctrinam, salutem nostri totam esse gratuitam. Haec enim est illud ipsum, quod & superioribus versibus & hoc praesenti contextu cumprimis confirmare voluit Apostolus. Ac proinde iis tribus versibus idem repetit, quanquam diversis verbis, modò affirmando, nos per gratiam esse servatos, modò negando, nos ex operibus nostris consecutos esse aut consequi posse salutem. Affirmat ter, primùm dicendo, *Gratia estis servati:* secundò dicendo: *Dei donum est*, nempe tota salus vestra: tertiò dicendo: *Ipsius opus sumus (seu factura) creati in Christo Jesu.* Negat verò bis salutem esse ex operibus nostris: primùm, dicendo, *ídque non ex vobis:* secundo dicendo, *non ex operibus*, addita etiam ratione finali, *Ne quis glorietur.* Ita apparet hoc esse praecipuum caput, quod Apostolus his tribus versibus probare voluit: *Nos gratis servari ex misericordia Dei, & propter solius Christi merita:* cujus rei confirmationes & argumenta ad finem hujus prioris partis colligam tum ex praecedentibus, tum ex iis tribus versibus.

Secundo verò loco, cùm supra explicarit causas efficientes salutis nostrae, nec non & impulsivàs, & verò etiam finalem quandam tantae erga tam miseros praestitae misericordiae; hîc tradit causam instrumentalem, qua salus percipitur: haec est fides in Christum; ideò ait, Servati estis gratia per fidem: quasi dicat, salute & gratia per fidem recepta.

1. *Tertiò*, docet de bonis operibus. Etsi per illa non justificemur: ea tamen non separari à justitia, aut à fide, & effecta esse gratiae, Deúmque velle ut in eis ambulemus, hoc est, vitam nostram transigamus, donec in aeternam vitam, coelestísque haereditatis possessionem introducamur. Ita hîc insignem locum de bonis operibus tradit nobis Apostolus. Nunc singula percurro.

Versus octavi tria sunt membra: primum est hoc, Gratia enim estis servati per fidem. Illud γάρ, τῇ γάρ χάριτι, estis servati, potest & αἰτιολογίαν continere, & explicationem.

Αἰτιο-

Αἰτιολογίαν, ejus scilicet quod dixerat, versu praecedenti, Deum voluisse ostendere divitias gratiae suae; cur appellantur à Paulo divitiae gratiae? Quia (inquit) Gratia servati estis: haec enim est fons salutis vestrae, unde & dilectio, & misericordia & merita Christi, imò & fides vestra, bonaque opera omnia, & vita aeterna, eóque tota salus. Potest etiam habere explicationem illius χρηστότητος, de qua proximè dixerat, Deum voluisse ostendere divitias gratiae suae posteris successivè per omnia secula. Quomodo? Per benignitatem (dixit) erga nos in Christo Jesu: qua scilicet erga nos usus est in Christo. Quaenam ista est χρηστότης, seu quanam in re consistit? in hoc, quòd gratia sua vos servavit, & non ex operibus vestris, quae nulla habebatis bona; donata etiam fide, qua salutem perciperetis. An non haec est magna benignitas Dei erga nos? Haec magis placet interpretatio, quia similem locum habemus etiam ad *Titum* 3. At postquam χρηστότης καὶ φιλανθρωπία apparuit servatoris nostri: non ex operibus justitiae quae fecerimus nos, sed secundùm misericordiam suam, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.

In hoc igitur apparet, quanta fuerit & sit ἡ χρηστότης Dei erga nos in Christo, quia non expectatis nostris bonis operibus praevenit nos sua gratia & servavit.

Quòd vero ait, Servati estis, non solùm justificationem, sed totam salutem, intelligit Apostolus, ut liquet ex toto contextu, ubi resurrectionis etiam & sessionis in coelo mentionem fecit, dicendo: nos esse resuscitatos, & sedere in coelis.

Ita hînc intelligamus, contra Sophistas, non solùm primam (ut vocant) justificationem: sed etiam secundam, adeóque totam salutem, soli gratiae adscribi: negari autem operibus nostris omnibus, tam post quàm ante justificationem praestitis, si in se considerentur.

Quaestiones duae.

1. Quomodo verò ait, Nos jam servatos esse, cum nondum simus plenam salutem consecuti? Ex iis quae suprà dicta sunt liquet responsio: Nos primum in Christo capite plenam salutem consecutos esse. Secundo, in nobis ita inchoatam esse salutem, ut tam certo sit perficienda, quàm certum etiam est, eam esse inchoatam in nobis, & perfectam in Christo. Itaque propter hanc certissimam spem dicimur jam esse servati. Quò illud Apostoli spectat ad *Rom.* 8. Spe (certissima) salvi facti sumus. Etsi enim adhuc in nobis haereat peccatum, & subinde labamur: tamen primum quidem nulla peccata imputantur, nihilque damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant, Rom. 8. Deinde contra in conspectu Dei reputamur justissimi, & non habemur ampliùs pro perditis, sed pro perfectè servatis, quatenus nos in Christo considerat Deus. Tertio, Spiritus Sanctus in nobis regnans mortificat peccatum, & facit ut ejus reliquiae non possint nobis esse mortiferae. Adde, quod certissimè ventura est mors, per quam peccato etiam inhabitante liberabimur. Iis igitur de causis rectè dixit Apostolus, nos jam esse servatos.

2.

2. Cur verò Apostolus, cùm antè dixerit tam de se & Judaeis, quàm de Gentibus, Deum suam benignitatem in Christo erga se declarasse, τῇ χρηστότητι (inquit) erga nos: nunc ad solos Gentiles convertens sermonem, ait, Servati estis? cur non, Servati enim sumus gratia?

Resp. Non excludit se aut alios Judaeos, nam post. v. 10. ait de omnibus, *Ipsius enim opus sumus, conditi in Christo.* Sed de Gentibus hoc inprimis expressit: *Gratia servati estis,* quia ad ipsos Gratiam Dei non pertinere putabant Pseudoapostoli, nisi legem Mosis admitterent: & salutem volebant perfici per opera. Imò Apostolus, Jam vos, inquit, estis servati a Gratia Dei: ut non sint vobis ad salutem necessaria opera legis. Accedit alia ratio: quia Gentibus nulla facta fuerat promissio, sicut Judaeis, ideò ex mera gratia eos servatos esse ubique inculcat. Et hoc discrimen Rom. 15. adfert Apostolus, dicendo: Christum factum esse ministrum circumcisionis pro veritate, ad confirmandas promissiones Patribus factas pro veritate (inquit), id est, ut appareret Deus verax in suis promissis. De Gentibus autem subdit dicendo, Et ut Gentes pro misericordia glorificent Deum. Audis discrimen? Deus enim videbatur aliquid debere Judaeis, quia se obstrinxerat promissionibus, gratuitus tamen. Sed Gentibus nil, quia non ita promiserat illis, sicut Judaeis: idcirco quod sint vocati ad Christum & servati Gentiles, gratiae soli & misericordiae id solet semper Apostolus adscribere: quanquam neque Judaei alia ratione servantur, quam per gratiam, si singulae spectentur personae.

Quid autem voce *Gratiae* intelligat, paulò antè dictum est: nempe non quaevis dona Spiritus Sancti gratuita, quae & ipsa nomine Gratiae nonnunquam significantur: neque etiam habitus aliquis (ut nonnulli fingunt) infusus, seu patibilis qualitas, ut alii loquuntur, per quam justificemur, quae significatio nullum habet testimonium in sacris literis; sed illorum opinio falsissima est. Verùm significatur favor Dei gratuitus, quo nos in Christo ab aeterno complexus est, unde dilectio atque misericordia, & tota salus nostri oritur: quemadmodum fusè disseruimus in libro de attributis Dei, lib. 4. c. 2. de Gratia.

Excludit autem haec vox sua significatione omnia humana opera atque merita: juxta illud Apostoli, *Rom.* 11, Si ex gratia, non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia. Quo ex loco collegit Augustinus, & ait, *Gratia non est gratia ullo modo, si non est gratuita omni modo.*

Proinde haec propositio, *Gratia estis servati*, non solùm propositio est, sed sui etiam confirmationem adjunctam habet. Est enim sensus, Vos sola gratia, simpliciter & absolutè, servati estis, ita ut vestra salus omnibus modis tota sit gratuita, quid ita? quia gratis salvi facti estis. *Gratia autem non est ullo modo, si non sit gratuita omni modo.*

Sed addit, *per fidem*, scilicet, *vestram.* Quomodo igitur sola Dei gratia: si etiam per fidem suam servati fuerunt Ephesii: ac proinde quomodo illorum salus gratuita fuit omni modo? Resp. Fides non hìc consideratur ut opus quoddam nostrum, à Deo in nobis excitatum: sed ut instrumentum, quo recipimus & amplectimur salutem ac gratiam. Est autem necesse accipias salutem & gratiam, si servari velis. Quomodo verò recipitur? per fidem, seu manu fidei. Inde fit, ut licet gratia & salus detur gratis, & citra opera nostra

recipi

recipi tamen non possit, nisi fidei manu eam apprehendas. Non igitur fides justificat propriè, aut servat vel in totum, vel ex parte, sed tantum salutem & justitiam recipit. Et eatenus dicitur servare, quatenus salutem recipit. Itaque instrumentum est, salutem recipiens, non autem promerens. Solet tamen etiam dici servare & justificare, respectu objecti, id est, Christi apprehensi, qui propriè justificat sua gratia. Itaque Fides tantùm abest ut aliquid detrahat Gratiae, ut Gratia sine fide in nobis (de adultis loquimur) locum habere non possit. Ideò in sacris literis optimè inter se conjunguntur: cùm tamen aliud effectum sit Gratiae, aliud autem Fidei. Itaque Fides quatenus instrumentum est recipiens salutem, nihil impedit, quin salus tota sit gratuita: quia in justificatione & salute nostri propriè promeretur nihil, sed tantùm recipit. Et ita meritò etiam Apostolus utrumque conjungit, Gratiam & Fidem: quia una recipitur, altera recipit: una verò efficienter salvat, altera dicitur servare, quia salutem recipit.

Quid autem Fidei nomine intelligamus, declaratum fuit in capite primo, in loco de Fide.

Si fide recipitur salus, quomodo igitur servantur infantes, qui fide carent? Resp. *Primùm*, Fides, qua quae nobis praedicata & cognita sunt credimus, non requiritur nisi ab illis, qui etiam possunt verbum audire & intelligere; *Fides enim est ex auditu*, *Rom.* 10. Cùm igitur pueri non possint, etiamsi essent in natura integra, audire: neque etiam ab illis haec fides exigitur.

Secundò, Spiritum habent Fidei, hoc est, Spiritum Sanctum, qui salutem illis applicat atque communicat.

Vocant alii fidem occultam, nempe ipsis etiam infantibus: alii fidem habitualem, habitu scilicet infuso à Spiritu Sancto: alii aliter. Sed magis placet uti locutione Spiritus Sancti, qui ait, *Habentes autem eundem Spiritum Fidei.* Certè infantes actu non ratiocinantur, neque in uteris maternis existentes aliquid vident: quis tamen dicet, eos expertes esse animi aut facultatis videndi? Si suas vires jam non exerunt ratio & videndi facultas, exerent tamen, Deo volente, suo tempore. Interim tales infantes ut sunt veri homines, sic etiam in numero fidelium habendi sunt. Manifestum est, eos esse in foedere & Christo insitos, si Spiritum habeant Christi: hoc autem ad perceptionem salutis ex Christo sufficit.

Cum igitur Apostolus dicit, *Gratia Dei servati estis per fidem*, de adultis propriè eum loqui manifestum inde est, quia ad Ephesios, qui à se audierant Evangelium, loquitur. Atque haec de primo membro.

Alterum est, *Idque non ex vobis.*

Confirmat propositionem affirmativam, *Gratia estis servati per fidem*, negando esse ex nobis, hoc argumento: Vos non estis servati ex vobis ipsis: Ergò Gratia servati estis. Assumtum manifestum est ex praemissis: Qui mortui sunt, certè à se ipsis non excitantur ad vitam, neque ad eam accipiendam aliquid è suo conferunt. Vos fuistis mortui in peccatis. Quòd igitur vivificati à Deo & servati sitis, hoc non est ex vobis, sed ex ipsius gratia: imò quòd etiam hoc modo servati sitis, nempe per fidem, ex vobis non est, sed ex gratia Dei, qui fidem donavit, qua salutem gratis oblatam reciperetis. Illud enim *Idque*, ad utrumque est referendum: ad id, quod dixit, *Servati estis*, & ad illud *per Fidem*. Itaque docet neutrum esse ex nobis: sed ex gratia Dei.

Illud

Illud, *Non ex vobis*, intelligo neque ex dignitate personarum vestrarum, neque ex viribus vestris, neque ex ullo vel desiderio vestro, vel petitione, seu ex invocatione. Sic enim esse intelligendum docent superius dicta de mortuis per peccata. Mortui per peccata, & in peccatis, dignine sunt qui vivificentur? quid idem virium habent mortui ad sui vivificationem? neque etiam petere possunt, ut vivificentur, mortui cum sint. Ergo hoc membro tollit in negotio Salutis nostrae omnem personarum dignitatem, omnes nostras vires, omnia merita, imo omnem actionem, & relinquit tantummodo in nobis passionem, sed passionem perficientem: quemadmodum etiam Philosophi dixerunt sensus sentiendo pati ab objectis; sed has esse passiones sensum perficientes. Sic fit in nostri justificatione & salute. Opera enim Spiritus Sancti recipitur fides: Et per fidem salus. Sequitur ergo, Primum *sola gratia nos servari:* Secundò *per solam fidem* salutem recipi, quae etiam effectus gratiae est.

Tertium membrum affirmat, quae modò dicta sunt: primò salutem nostram, deinde etiam fidem, per quam servamur, non ex nobis esse, sed ex Deo utrumque gratis donante. *Dei* (inquit) *donum est.* Si donum, & quidem Dei: Ergo gratuitum, quia indebitum, & ex mera liberalitate est. Quare tum tota salus, tum fides per quam *servati estis*, ex mera sunt gratia Dei, opponit enim hîc donum indebitum praemio debito. Esse autem salutem nostram donum indebitum, liquet ex superioribus, ubi conclusit, *omnes esse filios irae, filios contumaciae.* Talibus certè hominibus debetur mors aeterna, *quia stipendium peccati mors.* Si ergo non solùm liberentur reatu hujus mortis, sed etiam vita donentur & serventur, dato etiam medio, per quod vitam recipiunt & salutem, nempe fide: annon totum hoc fuerit singulare & indebitum donum? Quod si donum indebitum, ergo gratuitum: quare gratia salvi fimus. Tale igitur est argumentum.

Quicquid datur dono datur nullo ex debito, sed ex gratia. Quod enim debetur donum non est, sed debita merces & praemium.

Atqui vobis donata est vita & salus. Hoc liquet, quia propter peccata vestra debebatur mors & damnatio aeterna. Quod igitur servati estis, hoc est ex gratia.

Emphasin autem habet particula Dei, *Donum Dei.* Nam cùm vera sit illa propositio apud omnes gentes, quod datur dono, illud ex gratia est, quia non debetur: ea multo magis locum habet in Deo erga nos: quia etiamsi non peccassemus, & peccato non commeruissemus aeternam mortem, nihil tamen nobis ille deberet, multo verò minus aeternam salutem. Ratio est, quia liberrimus & absolutissimus est Dominus noster: quos si etiam ab aeterno destinare voluisset aeternis cruciatibus pro sua libera voluntate, quae injusta esse non potest, nullam nobis fecisset injuriam: ut Apostolus docet ad *Rom.* 9 de reprobis. Aliquando homines aliis donant hominibus, sed non sine aliquo debito, vel consanguinitatis, vel affinitatis, vel amicitiae, vel officii alicujus accepti. Item nonnunquam dona dantur ut aliquem nobis demereamur, & postea ab illo officia accipiamus. Ita fieri potest, ut dona non sint simpliciter & omni ex parte gratuita. At verò in Deo nihil horum locum habet. Oportet igitur dona Dei simpliciter esse à gratia: *quae si non sit gratuita omni modo, non erit gratia ullo modo.*

Quare

Quare firmissimum est Apostoli argumentum, *Donum Dei est*, quod sitis servati, idque per fidem vobis à Deo donatam, qua possitis salutem percipere: *Ergo sola Dei gratia servati estis.*

Gratia & sanguis Christi an repugnent.

Oritur hîc quaestiuncula, quae nonnullos exagitavit; concludit hîc Apostolus totam nostri salutem esse à sola Gratia. Alibi tamen docet nos servari per sanguinem & propter merita Christi. Et quidem hoc facit in altera hujus capitis parte, ubi causam materialem salutis nostrae propriè explicat. *Quomodo igitur ex sola gratia est & dono?*

Resp. Salus nostri omnium & merum Dei donum est gratiáque indebita, & praemium etiam est, ídque debitum, sed diversis respectibus. Respectu nostri ad Deum merum est donum, ut ante explicatum est. Nam quod etiam Christum dederit, qui pro nobis justitiae Dei satisfaceret: totum illud fuit à gratia Dei, qua nos in Christo complexus est ab aeterno. Et hoc est quod hîc concludit Apostolus adversus Pseudoapostolos, qui opera legis necessaria ad salutem esse docebant.

At verò respectu Christi, qui pro nobis satisfecit justitiae Dei, nósque suo redemit sanguine: praemium certè fuit, sanguinis & mortis Jesu Christi debitum. Empti estis (inquit Apostolus) *pretio*: Item dedit ἀντιλύτρον pro nobis. Et de hoc agit in altera etiam parte hujus capitis. Non pugnant ergo inter se diversis spectatis respectibus, *nos servatos esse gratia Dei, & meritis ac satisfactione Christi.* Et salutem nostram, nostríque redemtionem esse donum Dei gratuitam, & esse praemium, non nobis sed meritis Christi debitum. Apostolus autem salutem nostram hîc consideravit, non respectu Christi, qui illam nobis acquisivit sanguine suo, sed respectu nostri, qui eramus mortui in peccatis. Et hoc respectu dicit esse donum Dei, eóque totam gratuitam, & à gratia proficisci. Proinde cùm etiam loquitur de operibus, negátque illis eam deberi, ut modò sequitur, non de operibus Christi, sed de nostris verba facit. Quis enim nesciat operibus Christi illiúsque obedientiae eam deberi? Sed nostris minimè debetur, cum mors potiùs debeatur. Subdit igitur:

V. 9. Non ex operibus, ne quis glorietur.

Hîc duo habemus, primum confirmationem propositionis, *Nos servatos sola gratia:* quid ita? quia ex operibus non estis (inquit) servati. Non esse autem ex operibus bonis servatos comprobabit novo argumento, versu insequenti, hoc est 10. nempe quia bona opera non possunt fieri nisi à regenerato nováque creatura. Ergò ante regenerationem, quae per solum Jesum Christum habetur, nimis stultum est dicere aliquem ex operibus servari posse. Argumentum igitur tale est, quod hîc habemus.

Vos non estis servati ex operibus;
Ergò ex sola gratia.

Hîc etiam apparet gratiam & opera inter se pugnare, sibique invicem esse con-

contraria, non simpliciter (bona enim opera effecta sunt gratiae) sed secundùm quid, hoc est, in officio justificandi & servandi. Quò pertinet illud ad *Rom.* 11. Si per gratiam, jam non ex operibus, alioqui gratia non est gratia.

Gratia enim justificamur, deinde justificati bona praestamus opera, unde illud Augustini, Bona opera non praecedunt justificandum, sed sequuntur justificatum. Quomodo igitur bona opera causa esse possunt justificationis? Ac quod dicimus de justificatione, & regeneratione hìc inchoata, idem de perfectissima regeneratione, quae erit in fine mundi concludimus, hoc modo: inchoata obedientia non praecedit regenerationem, sed sequitur: Ergò perfecta obedientia non praecedit perfectam regenerationem, sed sequitur. Nam in coelo duntaxat verè totam legem servabimus, quae in dilectione Dei & proximi perfectissima consistit. Quare salus nunquam ex operibus nostris pendet, sed semper ex gratia. Putant interpretes idem esse, quòd suprà dixit, V. 8. *Non ex vobis*, cum eo quod hìc ait, *Non ex operibus*. Ego tamen crediderim aliquid esse differentiae inter unam & alteram locutionem: nimirum illa priore tolli in genere à negotio salutis & conversionis ad Christum quicquid est in homine, omnem personae dignitatem, omnes facultates, vires, virtutes: posteriore verò speciatim quicquid ab homine sit, quod speciem habeat boni operis.

Sed hìc oritur quaestio, quomodo Apostolus neget ex operibus, ante regenerationem factis, salutem contingere: cùm de operibus Cornelii dixerit Angelus, *Act.* 10. Orationes & Eleemosynas ejus ascendisse in conspectum Domini. Et Petrus ait, In veritate comperi, quód Deus non sit acceptor personarum: sed quod in omni gente quisquis timet Deum & operatur justitiam, is acceptus est illi.

Resp. Primùm negamus opera, quae praestitit Cornelius & de quibus loquitur Angelus & Petrus, fuisse ab illo facta absque cordis purificatione per Spiritum Dei: tametsi nondum vel distinctam perfectámque Christi cognitionem consecutus fuerit, vel Baptismum susceperit. Dixit enim Spiritus ad Petrum, Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris! Deinde licet ea opera non fuerint ingrata Deo, quia ex fide & ex corde purificato facta fuerunt: negamus tamen inde potuisse justificari aut servari: ratio, quia omnia etiam justorum hominum opera imperfecta sunt, & sunt ut pannus menstruatae foeminae, *Jes.* 64. Quò illud Prophetae pertinet, Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nemo vivens apud te justificabitur. *Ps.* 143.

Et illud Augustini, Vae universae justitiae nostrae, si remota misericordia judicetur. Rectissimè igitur Apostolus dixit, Non ex operibus esse salutem.

1. Quia ante regenerationem omnia sunt peccata.

2. Quia post regenerationem etiam non satisfaciunt legi Dei, ac proinde in se considerata Deo placere non possunt, eóque nec aliquid prodesse ad salutis consecutionem seu perceptionem.

Alia verò ratio est, quatenus ea in Christo considerantur. Nam quicquid in illis est peccati condonatur, & accepta sunt Deo propter Christum. Per haec enim, tanquam per rectas semitas, deducit Deus suos in aeternae vitae possessionem, ut post dicemus.

Sed merita non sunt verae causae vitae aeternae & salutis. Stat enim propo-

propositio Apostoli, Gratia servati estis per fidem, non ex vobis neque ex operibus.

Sequitur alterum membrum: Ne quis glorietur. Bifariam exponi potest haec particula: Primùm ut illud, ἵνα, ut, sit loco ὥστε, ita ut ne quis glorietur.

Et ita quidam volunt esse amplificationem muneris, quo servamur, per gratiam scilicet & non ex operibus, ut talis sit sensus: usque adeò sola gratia ac dono Dei servati estis, & non ex vobis, aut ex operibus vestris, ut nemini vestrûm relictum sit aliquid, unde in causa salutis suae gloriari possit. Potest etiam accipi, ut sit causa finalis, nempe cur Deus hoc nos servet modo, non ex operibus nostris, sed ex gratia sua: nimirum, ut ne quispiam nostrum gloriari possit ullo modo in negotio salutis, quasi aliquid de suo ad sui salutem attulerit. Quae interpretatio mihi magis placet: quia consentanea est cum aliis locis scripturarum quibus docemur, Deum ideo voluisse solum Christum esse nostram justitiam, sapientiam, sanctificationem, redemptionem, ut ne quis in seipso glorietur, sed in solo Domino, 1. *Cor.* 1. Item conclusisse omnia sub peccato, ut omnium misereretur: & ita soli Deo daretur gloria salutis nostrae. Et sic etiam *Rom* 3. idem concludit Apostolus, dicendo: ubi igitur est gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? operum? non, sed per legem fidei. Summa est, ideo Deum permisisse omnes labi in peccata varia, & voluisse per solum fidem in Christum homines justificari: ut ne quis posset in seipso gloriari, sed in solo Deo. Quare hinc etiam argumentum deduci potest, quo confirmetur, quod modò dixit, Non ex operibus nos servari, sed sola gratia: quia scilicet Deus non vult, ut quispiam possit gloriari in seipso de sua salute. Argumentum igitur tale est:

Si homo possit aliquo modo suis operibus servari, posset etiam habere, unde gloriaretur in seipso de sua salute.

Atqui non potest habere, unde glorietur in seipso. Deus enim non vult, ut in negotio salutis quis glorietur in seipso, sed in solo Domino, & in Jesu Christo. Et hanc ob causam permisit omnes peccare, omnésque sub peccato conclusit.

Ergo non ex operibus vestris, sed sola gratia Dei, per fidem, servati estis.

Hoc argumentum diligenter retinendum est: quia hoc omnia humana merita, tam antè quàm post justificationem, refelluntur. Sed colligamus ex textu plures rationes.

ARGUMENTA EX APOSTOLO.

Hominem sola Dei gratia servari per Fidem.

I. *Fuimus omnes ante conversionem peccatores, mortuíque in peccatis, spiritualiter,* vers. 1.

Ergo nihil boni potuimus ad nostri vivificationem praestare.

Quid enim possunt mortui praestare eorum, quae sunt propria vivorum? aut quomodo seipsos, vel in totum vel ex parte, vivificare?

II. *Ambulavimus in peccatis,* vers 2. Id est, totam vitam traduximus in peccatis.

Nihil ergo boni fecimus, quo servari possemus.

III.

III. *Fuimus filii irae nostra natura*, vers. 3.

Non igitur potuimus ante conversionem quicquam boni facere, quo placeremus Deo & servaremur.

IV. *Deus propter multam caritatem, qua dilexit nos, convivificavit cum Christo, & conresuscitavit:* V. 4. 5. 6.

Non igitur propter opera nostra.

V. *Finis, cur permiserit nos mori in peccatis, & postea per Christum voluerit servare, fuit, ut qui seculis succedentibus erant futuri, iis ostenderet summas divitias gratiae suae:* vers. 7.

Atqui summae divitiae gratiae Dei non fuissent, si per propria opera aliqua ex parte fuissemus servati.

Non igitur propter opera, sed sola Dei gratia, servati sumus.

VI. *Gratia servati sumus:* v. 5 & 8.

Atqui gratia non est gratia ullo modo, si non est gratuita omni modo.

Gratia item non est, si aliquo modo nostra accedent opera ad idem, scilicet, officium, nempe servandi: *Rom.* 2.

Sola igitur gratia servati sumus.

VII. A dictione *servati estis.*

Nomine Salutis tota salus intelligitur, nempe etiam resurrectio & sessio in coelo, id est, plena coelestis vitae possessio: *v.* 5 & 6.

Tota igitur ex gratia.

Ejusdem argumenti confirmatio.

VIII. *Vocatio, justificatio, glorificatio, effecta sunt aeternae electionis.* Rom. 8. Et Eph. 1. Si igitur electio ex sola gratia est, & non ex operibus: vocatio quoque & justificatio & glorificatio gratuitae sint oportet, eóque tota salus gratuita.

Atqui Electio ex sola gratia fuit, Eph. 1. v, 5. 6. 8.

Ergo etiam justificatio est gratuita.

A dictione *per fidem.*

Per fidem servati sumus. v. 8.

Non ergò per opera: ac proinde sola gratia.

Servari enim per fidem, est servari recipiendo & passivè: servari autem per opera, est servari dando & activè. Qui enim credit, recipit: qui operatur, dat alteri, vel sibi acquirit. Sunt autem haec contraria. Si igitur per fidem servati sumus, non certè per opera: quare sola gratia.

X. A dictione, *non ex vobis, v.* 6.

Quòd vel simus servati, vel quòd jam crediderimus, neutrum est ex nobis.

Tota igitur salus, & quicquid ad salutem percipiendam necessarium est, à sola Dei gratia est.

XI. A nomine *Doni.*

Sicut fides recipiens, sic salus recepta merum est donum Dei, v. 8.

Dona

Dona autem Dei prorsus gratuita sunt: alioqui dona non essent, sed praemia. *Quod igitur simus servati per fidem*, totum est ex gratuita Dei gratia.

XII. A negatione, *non ex operibus*.

Salus nostra non ex operibus nostris, *tanquam ex meritis*, v. 9.

Ex sola igitur gratia.

Si enim ex operibus, jam non esset gratia: Si ex gratia, jam non ex operibus, Rom. 2.

XIII. Ex eo quod ait, *Ne quis glorietur*, v. 9. Si quis possit, vel in totum vel ex parte, ex suis propriis operibus servari: habebit etiam in negotio salutis, de quo possit aliqua saltem ex parte in seipso gloriari.

Atqui hoc nemo hominum habet, nec habere potest, *quando ne Abraham quidem pater credentium habuit*, Rom. 4. Et Deus vult hanc sibi uni, & redemtori Christo, gloriam dari: háncque ob causam permisit omnes peccare, & conclusit omnia sub peccato, ut omnium miserendo omnibus materiam gloriandi in seipsis eriperet, & sibi soli servaret.

Nemo igitur ex operibus suis aut servatus unquam fuit aut servari potest: Sed ex sola gratia, per fidem recepta, ne quis glorietur. Sed si quis velit gloriari, in Domino glorietur, non in seipso.

XIV. Ex eo quod ait, *Ipsius enim factura sumus*.

Bona opera fieri non possunt nisi à renatis factísque in Christo novis creaturis, v. 10. Unde & Christus: Non potest arbor mala bonos fructus facere. *Item*, Sine me nihil potestis facere.

Ergò ante conversionem & regenerationem nemo dici potest ex suis operibus aliquo modo servari.

XV. Ex dictione, *Quae praeparavit*.

Si quid bonorum operum praestare debemus, illud priùs à Deo in nobis praeparetur necesse est: V. 10. Praeparat autem, cùm ipse per suum Spiritum & illuminat intellectum ad cognoscendum, quid Deo placeat, & movet voluntatem, ut illud velit, & dat vires, ut illud perficiamus, juxta illud *Phil*. 2. Ipse operatur in nobis, & ut velimus, & ut perficiamus.

Atqui hoc non facit nisi in iis, qui renati sunt in Christo, v. 10. Et quidem etiam pro sua bona voluntate & gratia, ut Apostolus ad Phil. docet.

Quomodo igitur quis ante regenerationem dici ullo modo potest ex suis operibus servari?

Sed neque post regenerationem posse hoc argumento à fine, cur Deus bona opera in nobis renatis praeparet, id est, excitet, & efficiat ut ea faciamus, ducto evincitur.

XVI. Deus in renatis praeparat bona opera, non ut per illa, tanquam per merita nostra, servemur; hoc enim nullibi dicit scriptura. Sed ut in illis ambulemus (inquit Apostolus v. 10.) id est, ut totam vitam nostram in illis, securi jam de salute per solum Christum, pérque Dei gratiam, transigamus: ad gloriam nimirum Dei, ad utilitatem & aedificationem proximi, atque ut declaremus nos verè esse vivificatos in Christo, factósque novas creaturas. Et denique etiam, ut per ea, tanquam per rectas semitas, in aeternae haereditatis possessionem inducamur.

Nemo igitur ex operibus, tanquam ex meritis, servari potest.

Quare sola gratia Dei servatur, quicunque servatur; ut meritò dixerit Apostolus: Gratia servati estis per fidem, & hoc non ex vobis.

Haec argumenta observavi in Apostoli contextu. Scio ad pauciora posse contrahi: sed quando ipse Apostolus, quod poterat uno verbo dicere, maluit multis explicare, quò meliùs doctrina salutis mentibus nostris infigeretur: neque ego sum culpandus, quòd hunc contextum in multa argumenta resolverim. Nam hoc etiam facio, ut praemonstrem viam fidelibus, atque inprimis Theologiae studiosis, examinandi singula in sacris literis.

V. 10. Nunc versus hic 10, qui de bonis est operibus, examinandus nobis est.

Primùm illud γάρ, *Ipsius enim sumus factura*, cujusnam rei sit probatio anteà dictum est: nimirum primariae praepositionis Apostolicae, Ephesios non esse servatos ex operibus, quae fecerint ipsi, bonis & justis, *sed ex gratia Dei per fidem*. Ratio, quia quòd nunc ad Christum conversi bona faciant opera, haec ideo faciunt, quia per gratiam regeniti sunt, facti nova creatura in Christo, & quia Deus eam in illis praeparavit, & operatur. Non igitur ante conversionem potuerunt ex operibus servari, cum ne ea quidem facere potuerint. Nam, antequam nos possimus bona opera nostra facere, necesse est fiamus nos opus Dei.

Sed neque post regenerationem ex operibus bonis, quae agimus, expectandum est salutis complementum: quia non in eum finem ea Deus nobis praeparavit, & operatur in nobis; sed ut in illis ambulemus, vitámque nostram totam transigamus ad ipsius gloriam, juxta illud Christi, Sic luceat lux vestra, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem, qui in coelis est. Matt. 5. Et illud Apostoli, Sive editis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1. Cor. 10.

De bonis Operibus.

Caeterùm versus iste, praeterquam quòd confirmationem habet praecedentis doctrinae, ut modò vidimus, summam etiam doctrinae de bonis operibus continet, & commodum superiori de salute ex sola gratia, & per solam fidem. Subjecta fuit ab Apostolo haec etiam doctrina de bonis operibus contra calumnias Pseudo-apostolorum, qui per doctrinam Apostolicam de salute ex sola gratia per fidem vociferabantur bona everti opera. Apostolus igitur ostendit, non ita se rem habere, imo stabiliri; quia non fiunt nisi à renatis in Christo, & in quibus ea praeparat operatúrque Deus per suum Spiritum: sed & alia esse illa bona opera, in quibus Deus vult nos ambulare, quàm ipsi legis doctores praedicent: & alium etiam esse bonorum operum usum, quàm illi putent & doceant.

Sunt autem capita septem, quae hîc habemus ab Apostolo, de bonis operibus.

Primum ex sententia totius versus colligitur. Est autem hoc, per doctrinam gratiae & fidei non tolli aut extenuari bona opera, ut jam vidimus: imò stabiliri, quia non possunt fieri nisi ab iis, *qui gratia Dei per fidem sunt servati*. Ideò sequitur:

Secun-

Secundum, à quibúsnam bona fiant opera: à justificatis tantùm renatisque, & factis nova in Christo creatura: sicut etiam boni fructus non nisi à bona arbore fieri possunt.

Et hoc habemus in primo membro, & secundo. Primum enim membrum est illud, *Ipsius enim factura seu opus sumus*. Secundum, *creati in Christo Jesu*.

Tertium, Undénam sit facultas bona opera faciendi: ab eo, à quo etiam fimus novae creaturae, nempe à Deo. A quo enim habet arbor ut sit bona, ab eodem etiam habet, ut bonos proferat fructus. Et hoc membro primo, *Ipsius enim factura sumus*.

Quartum, in quónam propriè opera nostra verè bona sint, placeántque & grata sint Deo: In eo nimirum, in quo & fimus novae creaturae & nostrae placent personae, nempe in Christo. Sicut enim nos, quia nondum perfectè sumus renati, & pristinam Dei imaginem consecuti, non possumus verè placere Deo, nisi in persona Christi; sic neque opera nostra aut verè bona sunt aut placent Deo, nisi in Christo, & propter Christum. Et hoc docet membro secundo, dicendo: *Creati in Christo Jesu*.

Quintum, In quemnam finem regeneremur, fiamúsque novae creaturae: non certè ut otiemur, aut ut secundum carnem vivamus, sed ut bona faciamus opera. Sicut etiam in hunc finem bonae fiunt & plantantur arbores, ut bonos proferant fructus. Et hoc tradit membro tertio dicendo, *ad bona opera*, nempe *creati sumus in Christo*.

Sextum, quaenam sunt bona renatorum in Christo opera: non certè quae sibi deligunt homines, aut etiam quae renati agunt ex infirmitate carnis suae; sed quae Deus ipse per suum Spiritum in nobis praeparat, & facit ut faciamus: hoc est, qui sunt veri fructus Spiritus. Et hoc tradit membo quarto, dicendo, *Quae praeparavit*, προετοίμασεν ὁ θεὸς.

Septimum, Ad quem finem praeparet Deus in nobis bona opera, ac proinde cur velit à nobis fieri? non ut per illa justificemur, vitámque aeternam promereamur: sed ut in iis ambulemus, sicque nos vere vivos esse & renatos testificemur; eóque is, qui nos regeneravit, quique illa in nobis praeparavit & operatur, glorificetur, pérque illa pergamus recta semper, donec in aeterna recipiamur tabernacula. Hoc docet ultimo membro dicendo, *Ut in iis ambulemus*.

De quibus singulis capitibus postea seorsum fusiùs suo dicemus loco.

In praesentia verba tantùm percurremus.

Ipsius factura seu opus sumus, creati in Christo Jesu.

Observationes.

1. Cùm suprà dixerit ad Ephesios, *Vos gratia servati estis per fidem, non ex vobis, nec ex operibus* (vestris), *ne quis glorietur;* hîc verò probans quod dixerat, mutat personam, & dicit, *Ipsius enim sumus* (scilicet omnes etiam nos Judaei ad Christum conversi) *factura*. Manifestè docet, quod concluserat de Gentibus, idem quoque de se omnibúsque piis Judaeis voluisse esse conclusum: neminem scilicet servatum esse servarive posse ex operibus legis, *sed omnes* sola gratia Dei per fidem in Christum servari; ac proinde non esse,

cur

cur Ephesii sinant se deduci à Doctoribus legis, quasi ea sit ad salutem necessaria; quando neque ipsis Judaeis prodesse potuit ad salutem. Contineant igitur se in fide Christi, per quam solam servati sunt omnes, tàm Judaei quam Gentiles. Admiranda est prudentia Apostoli in scribendo. Non sine causa mutaverat personam, solis Gentibus dicens, *Vos servati estis gratia per fidem*, ut suprà vidimus: sed neque sine causa hîc denuò mutat. Ne putemus igitur Apostolum quidpiam scripsisse temerè aut imprudenter, vel tantum propter elegantiam sermonis, mutare personas, aut aliud quid scripsisse.

2. Observandum & illud, quòd probaturus neminem ante conversionem ad Christum posse bona opera facere, nec per illa servari, non dixit, *Deus enim juvabit vos, ut possitis bona opera operari*, quasi potuerint & ipsi aliquid afferre de suo ad bona opera facienda, modo Deus aliquid auxilii attulisset. Sed ait: *se jam esse opus Dei, & creatos in Christo:* significans tunc temporis, cùm scilicet essent extra Christum, eos nihil fuisse aut potuisse ad salutem quod attinet operari. Suprà dixerat fuisse mortuos: hîc innuit, eos nil fuisse, quia jam sint opus & creatura Dei. Creatio autem ex nihilo fit. Ergò hîc etiam magis ac magis deprimit vires liberi arbitrii in homine non renato: quia homo non renatus est ceu nihil. Sic *Joh.* 3. Oportet nasci denuò.

3. Docet etiam renascentiam totam esse è supernis, & opus Dei; nil igitur ad illam valent praeparationes nostrae, & vires nostrae, aut opera nostra. Quis enim seipsum fecit vel creavit? Sumus igitur opus Dei, non hominum.

Caeterùm, ne putaremus Apostolum loqui de primo opere Dei, déque prima creatione, qua, scilicet, omnes nos creat in uteris maternis: adjunxit, *Creati in Christo Jesu.* Duplex est creatio hominum: prima & secunda. Et utraque in Christo & per Christum. Prima, Deus creavit omnia per λόγον: Secunda creat nos spiritualiter per eundem λόγον: ídque ut simus boni, & servemur in vitam aeternam: de qua plenae sunt scripturae. Utramque tamen debemus acceptam ferre Christo; in quo creati & recreati sumus.

4. *Creati in Christo ad bona opera.* Hinc sequitur,

Primum, Quicunque renati sunt in Christo, non ad otium, vel ad mala opera, sed ad studium bonorum operum destinatos esse: Et ita finis regenerationis est studium sanctitatis. Sic *Lucae* 1 Zacharias de fide redemtionis dixit: Visitavit & redemit plebem suam, ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus. Sic ad *Titum* 3. Apparuit benignitas Salvatoris nostri, non ex operibus justitiae, quae fecerimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae; ut, abnegantes impietatem & saecularia desideria, sobriè, piè & justè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriae magni Dei & servatoris nostri Jesu Christi. Falsum igitur est, per gratiam & fidem tolli simpliciter opera bona. Tolluntur officio, sed non re; officium enim gratiae & fidei non convenit operibus.

Secundo sequitur, nisi quis fiat opus Dei, eum non posse facere opera sua bona. Nam illi soli ad opera bona creati sunt, qui opus Dei sunt, id est,

nova

nova creatura. Nemo autem fieri potest opus Dei, *nisi in Christo & per Christum recreentur,* id est, regenerentur. Quicunque enim recreantur, in Christo recreantur. Ideo etiam Apostolus ait, *Si quis est in Christo, nova est creatura.* 2. Cor. 5. 17. Fuit enim hoc aeternum Dei consilium, *ut omnia per Filium fierent & refierent, crearentur & recrearentur:* omnia, inquam, id est, quae refiunt & recreantur, per unum Christum refierent & recrearentur. Illud, *Quae praeparavit Deus,*

5. Ambrosius & Augustinus de praeparatione aeterna, id est, de praedestinatione interpretantur. Sed nihil ad rem. Προετοίμασεν ab ἑτοιμάζω, quod est promptum, paratum & expeditum reddo, multùm differt à verbo προορίζειν & praedestinare praepararéque ab aeterno. Rem ipsam admitto, nos ad ea bona opera esse in Christo creatos, id est regenitos, ad quae etiam fuimus ab aeterno electi, pro sua quisque vocatione: alius ad opus Apostolatus, alius ad opera politica, alius ad alia, omnes verò ad opera fidei, sanctitatis, & caritatis, quo & illud spectat, *Act.* 13. Et crediderunt, quotquot praeordinati fuerunt ad vitam aeternam. Sed ad mentem Apostoli hoc in loco nihil pertinere videtur: non enim ait, praeparatos fuisse ad opera: sed opera ipsa praeparata esse. Alii itaque referunt ad legem moralem, ut sit sensus, illa esse bona opera, quae in lege morali praescripsit Deus: quòd ita perstringere voluerit Apostolus illos, qui caeremonias urgebant. Alii ad cujusque vocationem referunt, quòd illa sint bona opera, ad quae quisque à Deo vocatur & praeparatur. Alii aliter interpretantur. Sed (ut antè dixi) Apostolus videtur loqui de praeparatione, qua Deus per suum Spiritum disponit & afficit, promptámque facit mentem, voluntatem & cor nostrum ad opera bona, tam omnibus Christianis communia, quàm cujusque vocationi propria.

Persistit enim in hoc, ut ostendat, *quicquid boni in nobis est, aut à nobis sit, totum illud esse à gratia Dei per fidem in Christum.* Proinde hunc locum explico per illum ad *Philipp.* 2. Deus operatur in nobis velle & perficere, seu, ut velimus & perficiamus. Et per illud *Jer.* 31. Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me, *Item,* Sribam legem meam in corde eorum. *Et alibi,* Faciam ut ambulent in praeceptis meis. Dum enim ita nos disponit & idoneos facit ad bona opera, ipsa opera praeparat in nobis. Ac mihi videtur haec particula opponi illi, qua dixit Ephesios ambulasse in peccatis secundum principem potestatis & spiritus operantis efficaciter in filiis contumaciae. Contra igitur hîc docet illos ambulare in bonis operibus, quae Deus efficaciter in eis praeparat, id est, prompta & expedita & factu facilia in eis efficit per suum Spiritum Sanctum, ínque eis operatur. Tria enim hîc paucis verbis tradit Apostolus. Primum, Deum sua gratia nos, ex mancipiis Diaboli, facere opus suum in Christo, quasi è nihilo nos creando, novásque creaturas faciendo. Deinde tales nos in Christo creari, non ad otium, sed ad bona opera facienda novis creaturis digna. Tertiò, nec solùm ad haec nos creasse & ordinasse, sed etiam ea ipsa opera in nobis per suum Spiritum prompta & facilia efficere, illuminato intellectu, flexa voluntate, purgato corde, suppeditatis viribus ad ea promptè expeditè & libenter praestanda. Ideò subdit, quorsum spectet haec praeparatio. *Ut,* inquit, *in eis ambulemus,* id est, ut re ipsa in bonis istis operibus transigere vitam nos-

nostram facilè possimus. Hic mihi videtur esse verus ac genuinus sensus. Dicitur ergo bona opera praeparare, nempe in nobis, ut in suis principiis, *dum suo Spiritu mentem illuminat, cor purgat, voluntatem flectit, virésque & facultatem in eis ambulandi suppeditat.* Non solùm autem Deus suppeditat vires, nósque idoneos facit ad bona opera facienda, & ad vocationis nostrae munia perficienda: verùm etiam comitatur, regit, adjuvat ac operatur in nobis in finem usque, juxta illud *Phil.* 1. Qui incepit in vobis bonum opus, illud perficiet in finem usque. Eóque felices successus dat operibus nostris. Ita omnibus istis modis dicitur Deus προετοίμαζειν bona in nobis opera, quia efficit ut in illis promté, laeto animo, & expeditè ambulemus, id est, vitam nostram traducamus.

6. Causas salutis nostrae denuò hîc à Paulo indicari liquet: efficientem primam, quia Deus nos facit opus suum & reformat: causam efficientem secundam ac proximam, quia Christus hanc regenerationem, tanquam mediator, promeritus est, & nos in ipso, ut in capite, & per ipsum reformamur: formalem, quae est ipsa regeneratio: & finalem, quia in hunc finem regenerat, & ad bona opera creat, eáque praeparat in nobis, ut in eis re ipsa promtè, libenter, & constanter ambulemus, totámque vitam nostram transigamus.

PARS ALTERA CAPITIS SECUNDI.

v. 11. *Quapropter mementote, quod vos quondam Gentes in carne, qui vocamini* (οἱ λεγόμενοι) *praeputium* (omnes enim Gentes adhuc etiam tunc ita vocabantur in Israel) *Qui vocamini ergo praeputium, ab ea quae vocatur circumcisio in carne* (&) *quae manibus fit: Mementote, inquam,*

v. 12. *Quod* (vos) *eratis in tempore illo sine Christo, abalienati à Republ. Israelis, & extranei à pactis* (seu à Testamentis) *promissionis, spem non habentes, & ἄθεοι in Mundo.* Syriac. in v. 11. illud ἐν σαρκὶ, Gentes in carne, habet carnis, id est, qui fuistis carnales, seu toti caro. In vers. 12. illud τῆς πολιτείας Israëlis vertit conversationem, *Alieni eratis a conversatione Israelis, id est, quibus cum Israele nihil commune erat in iis, quae ad religionem pertinent.* Scholia sensum utriusque versus sic exprimunt paucis, θέλει εἰπεῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκρόβυστοι ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ἀλλότριοι ἦτε τοῦ Θεοῦ καὶ ἐπαγγελιων: Id est, *eratis sine Deo propitio: quia sine Mediatore: eratis extra Ecclesiam, eóque sine verbo Dei.*

v. 13. *Nunc autem in Christo Jesu vos, qui quondam eratis longè* (μακρὰν pro longinqui) *propè* (ἐγγὺς pro propinqui) *facti estis, in sanguine Christi, id est, per sanguinem Christi.* Medium enim ostendit, per quod facti sint propinqui: per sanguinem Jesu Christi, quia per illum sublatae inimicitiae, ut postea explicabit. Hoc autem contigit illis, cum in Christo fuerunt, id est, per fidem Christo insiti. Ita placet primum vertere, ut sonat, *in Christo Jesu:* alterum *Per sanguinem Christi.*

v. 14. *Ipse enim est pax nostra* (ἡμῶν, quasi dicat, nostri omnium) *qui fecit utraque unum.* Sic etiam Syr. *utrosque.* Alii *ex utrisque unum.*

Et (qui) *intermedium parietem maceriae solvit: inimicitiam in carne sua,* id est, *per carnem suam.* Μεσό-

Μεσότοιχον τοῦ Φραγμοῦ vocant Latini intergerinum parietem, quo scilicet domus una à domo alia dividitur. Et Φραγμὸς, à verbo Φράττω, quod est sepio, ideo septum & sepem seu maceriem significat. Syr. explicat dicendo: *Et dissolvit maceriem, quae erecta stabat in medio.* Sic ille. Haec autem fuit lex de ritibus & cultu: ideo subdit:

v. 15. *Legem mandatorum in decretis* (sitam) *abrogans: ut duos conderet* (crearet) *in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem.*

Syr. sic legit: *Et inimicitias per carnem suam & legem mandatorum cum mandatis ejus abolevit: ut utrosque conderet in semetipso in unum filium hominis novum, & fecit pacem.* Beza etiam à superiori versu sejungit illam intergerini parietis explicationem, & conjungit cum vers. 15. sic legens. *Inimicitiis, id est, lege mandatorum, quae in ritibus posita est, per carnem suam abolitis: ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem.*

v. 16. *Et ut reconciliaret utrosque in uno corpore Deo per crucem, peremta inimicitia per eam.*

v. 17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longè* (id est, qui longinqui eratis), *et iis qui propè* (id est qui propinqui erant) hoc est Gentibus & Judaeis.

v. 18. *Quia per illum habemus adductionem utrique in uno Spiritu ad Patrem.*

Syr. *Quoniam per ipsum facta est ascensio nobis utrisque in uno Spiritu ad Patrem.* Beza etiam vertit προςαγωγὴν aditum seu accessum.

v. 19. *Igitur non amplius estis hospites & incolae* (alii inquilini) *sed* (estis) *concives sanctorum, & domestici Dei.*

Syr. habet, *Filii civitatis sanctorum, & filii domus Dei: pro cives & domestici,* Hebraica Φράσει.

v. 20. *Superstructi* (seu superaedificati) *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum: Existente* (ad verbum) *summo* (alii imo) *angulari lapide ipso Jesu Christo.* Seu (ut alii vertunt) cujus (scilicet fundamenti) imus angularis lapis est ipse Jesus Christus.

Syr. *Et aedificati estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Et ipse factus est caput anguli aedificii Jesus Christus.*

v. 21. *In quo omnis structura seu totum aedificium congruenter coagmentatum crescit in templum sanctum in Domino.*

Συναρμολογουμένη: ἁρμεσομαι est coaptor, ἁρμολογοῦμαι rationabiliter & congruenter coaptor: συναρμολογοῦμαι igitur est unà cum aliis congruenter aptor, & accommodor in aedificio.

Syr. *Et per eum* (Christum lapidem angularem) *conjungitur totum aedificium, & crescit in templum sanctum in Domino.*

v. 22. *In quo & vos coaedificamini* (nempe nobiscum unà aedificamini) *in habitaculum Dei* (id est, ut sitis habitaculum Dei) *per Spiritum* (Sanctum).

Syr. conjungit cum superiori versu hoc modo, *Totum aedificium per Christum crescit in templum sanctum in Domino: Dum & vos in eo aedificamini in habitaculum Dei per Spiritum.*

Hactenus tam de Gentibus, quam de Judaeis, duo conclusit: unum, *omnes ex*

ex aequo fuisse mortuos in peccatis, & natura filios irae, id est, aeternae damnationis haeredes: alterum, *utrosque ex aequo per misericordiam Dei in Christo vivificatos esse, & jam in coelo cum Christo & in Christo sedere: eóque nullis ipsorum meritis, sed sola Dei gratia per fidem in Christum servatos esse, & jure aeternae vitae donatos:* ut jam illis nil aliud restet cogitandum, quàm ut facti jam novae creaturae in Christo ambulent, id est, totam vitam transigant in illis bonis operibus, ad quae sunt in Christo recens creati, & quae illis praeparavit Pater facienda: ut per haec *tum Deus glorificetur, tum proximus aedificetur, tum ipsi in possessionem aeternae coelestisque haereditatis perducantur.*

Summa & partes.

Nunc eandem doctrinam ad Gentes speciatim applicando, & peculiarem illorum statum, in quo antea fuerant, cum praesenti conferendo, demonstrat, Ephesios habere aliquid amplius causae, cur memores tanti beneficii debeant gratiam habere Deo per Christum, & in ejus fide perseverare. Ea ratio haec est: quia cùm Gentiles magis procul abessent à Deo, quàm Judaei (ii enim, comparatione illorum, erant propinqui Deo) attamen tam illos, quàm hos collegit sub se, tanquam sub uno capite Christus, & diruta macerie, qua populus gentilis arcebatur ab Ecclesia, conjunxit illos cum populo Dei, & fecit cives Sanctorum, & domesticos suos, imò membra sua per Spiritum Sanctum. Magis autem procul fuisse Gentes à Deo, eóque in statu miserabiliori quàm fuerint Judaei, hinc demonstrat: quia ad externa quòd attinet (nam internè *omnes ex aequo fuisse filios irae,* & contumaciae, superiori parte demonstratum fuit) quia igitur, ad externa quod attinet, Judaei habebant foedus cum Deo, habebant promissiones de Christo servatore, habebant oracula Dei, sacrásque literas, & Sacramenta, eóque erant Ecclesia ipsa Dei; Gentiles verò erant sine Christo, sine promissionibus, sine Deo in mundo: idcircò concludit Apostolus, Judaeos fuisse propinquos, Gentiles autem longinquos à Deo & à salute. Cùm autem collecti & ipsi sint à Christo in unum corpus cum Judaeis, & sub uno capite, *quod est Christus ipse, & per eundem Spiritum simul vivificati, Deo uniti, & Ecclesiae consociati,* habent cur gratias agant Deo, & cur debeant manere in fide Christi constantes. Hic est scopus Apostoli, & hìc, & in tota Epistola. Ubi interim observandum est, Apostolum hìc incipere explicare id, quod uno verbo dixerat cap. 1. v. 10. De officio Christi nempe aeternum Dei decretum fuisse, ut in plenitudine temporum Christus restauraret & recolligeret omnia in unum corpus, *tam quae in coelis, quàm quae in terris.* Nunc describit Apostolus ex parte, hanc ἀνακεφαλαίωσιν: cùm narrat per quem, & quomodo, non solùm Judaei, qui propter peccata divisi erant à Deo, denuò fuerint recepti in gratiam, sed in primis Gentes, quae avulsae erant à Deo, & separatae ab Ecclesia, tum reconciliatae sint Deo, tum consociatae Ecclesiae Dei, ita ut omnes, tam Judaei quàm Gentiles, in unum Ecclesiae corpus sub eodem capite coïerint.

Omnes mortui cùm essent in peccatis, fuerunt avulsi à Deo fonte totius vitae, tam Judaei quàm Gentiles: fuerunt etiam avulsi à se invicem per Legem unum

unum populum ab altero dividentem, unde ortae erant inimicitiae inter ipsos. Haec fuit ἀνακεφαλαίωσις utriùsque populi: quam descripsit partim initio capitis, & partim hîc, ver. 11 & 12, de Gentibus speciatim loquens. At per Christum tollentem peccatum, & inimicitias, legémque & ejus maledictionem abolentem, omnes fuerunt recollecti, adglutinati Deo, & sibi invicem consociati in unum corpus, imò in unum tantummodo hominem. Haec fuit ἀνακεφαλαίωσις, quam partim supra, sed maximè hîc manifestè & luculenter describit.

Nunc tenemus scopum & summam eorum, quae hîc agit Apostolus. Ita duo sunt praecipua capita hujus partis. *Caput primum*, quo describitur specialis Gentium avulsio à Deo, & ab Ecclesiae corpore: v. 11. & 12. Et caput *secundum*, quo explicatur ejusdem populi, tum cum Deo, tum cum corpore Ecclesiae conglutinatio, & ἀνακεφαλαίωσις: à v. 13. in finem usque; caeterùm quia hoc etiam caput, ubi explicatur reconciliatio cum Deo, & cum ejus Ecclesia, varia habet membra, ideò majoris perspicuitatis causa, totam hanc partem seco in quatuor particulas: quarum *prima* continetur duobus prioribus versibus, 11 & 12. In hac demonstraturus magnitudinen beneficii, quod per Christum acceperunt, quia consociati sunt Deo, & Ecclesiae ejus, describit miserabilem statum, in quo antea fuerant, & quot quantísque bonis fuerint privati.

Secunda continetur vers. 13. 14. 15. 16. In hac describit per quem, & quomodo reconciliati fuerint Deo, adeòque & cum ejus familia, cum populo scilicet, seu Ecclesia Dei: & per Christum inimicitias suo sanguine tollentem, eòque legis maledictum & litem abolentem.

Tertia continetur v. 17 & 18. in qua describitur, quomodo beneficii per Christum parti, antea descripti, facti fuerint participes: per Evangelii scilicet praedicationem, qua non solùm Judaei qui erant propè, sed etiam Gentes qui erant procul, ad Christum vocati sunt, & in ejus Ecclesiam asciti.

Quarta v. 19. in finem usque. In qua conclusio continetur eorum, quae praedicta sunt: Gentiles ad Christum vocatos, & in Ecclesiam ascitos, jam non esse ampliùs advenas & peregrinos: sed cives sanctorum, domesticos Dei, & Ecclesiam ex Judaeis & Gentibus simul jam constantem. Et qualis sit haec Ecclesia, quomodóque à Christo semper vivificetur, sustentetur, in finem usque servetur, & in quem finem.

Haec summa est benificii per Sanguinem Christi nobis Gentibus parti: pro quo vult Apostolus nos perpetuò benedicere & laudare Deum per Jesum Christum, *quod omni benedictione spirituali nos benedixerit in Christo.*

Finis enim totius hujus narrationis, & beneficiorum Dei in Christo explicationis, est cum primis ille, de quo in capite 1. *Benedicendum esse Deum, quòd benedixerit nos: Benedicendum, inquam, corde, lingua, opere seu studio sanctitatis.*

Nunc singulas particulas & versus percurro. Et quae inde colligenda sit doctrina, demonstro.

v. 11 *Quapropter mementote, quòd vos quondam Gentes in carne,* οἱ λεγόμενοι *praeputium ab ea quae vocatur circumcisio in carne manu facta.*

v. 12. *Mementote, inquam, Quòd vos quondam Gentes eratis in tempore illo, &c.*

Summa

Summa est, Vult Paulus, ut Ephesii & nos in ipsis memoria perpetua teneamus tum miserum statum, in quo fuimus, antequam per gratiam Dei pérque fidem servaremur: tum ipsum Christi beneficium grato animo recolamus. Ac primùm de statu priori nostro agit, dicendo, *Mementote.* &c.

Hujus autem memoriae finis est, ut hinc meliùs etiam beneficium Christi, quod sola Dei gratia per fidem consequuti sumus, intelligamus, & gratiam Dei ne contemnamus. Proinde notanda est particula διὰ, propterea, *seu*, Quapropter mementote. Pendet igitur haec adhortatio à superioribus. Quid autem concluserat? Nos gratia Dei, sine operibus nostris, per solam in Christum fidem servatos esse: ita ut si quid etiam bonorum operum nunc faciamus, totum illud sit à gratia Dei, qui nos fecit opus suum, & recreavit in Christo, bonáque opera in nobis praeparat, ut in eis ambulare possimus. Cùm igitur hoc singulare sit & immensum Dei beneficium per se, meritò debetis, Ephesii, grata memoria cogitare, quales antea vestra natura fueritis, ut meliùs quales jam sitis per gratiam Dei intelligere valeatis: eóque & gratos vos Deo praebere, & ut in hoc praesenti statu perseveretis, operam dare faciliùs possitis. Haec est vis illius particulae διὰ, quapropter.

1. Hinc docemur, quò plura & majora post conversionem ad Christum beneficia accepimus à Deo per ipsius gratiam: eo magis nos debere nostrorum malorum, in quibus ante conversionem fuimus, miseríque status, unde liberati sumus, meminisse. Quorsum verò haec memoria? Ne insolescamus, néve gloriemur: sed semper humiles vivamus in conspectu Dei & Ecclesiae: qui est primus salutis gradus. Hinc etiam gratia Dei illustratur. Ideò etiam Paulus semper meminerat status sui, cùm persequabatur Christum.

2. Unde etiam discimus veram & Christianam sapientiam in his duabus rebus consistere, in cognitione nostri, id est, miseriae nostrae, infelicísque naturae, & in cognitione Dei, beneficiorúmque ejus erga nos: quando etiam Apostolus utramque cognitionem quam diligentissimè hîc commendat Ephesiis: Mementote quòd fuistis Gentes, praeputium sine Christo. Nunc autem per Christum vos, qui eratis longè, facti estis prope.

Ponit autem primùm propositionem brevem, v. 11. Deinde illam per partes explicat, vers. 12.

Propositio haec est, Vos quondam eratis Gentes in carne, & praeputium. Sed quid hoc significat? Sequitur explicatio per partes principales; *Eratis sine Christo, alieni à Republica Israelis, extranei à pactis promissionis, spem non habentes,* ἄθεοι *in mundo.* En quid sit esse Gentes & Praeputium: iis enim duobus nominibus vocabantur omnes, qui non erant ex Israel, & de populo Dei.

Ad propositionem igitur quod attinet, duo illis in memoriam revocat: unum quod fuerint quondam Gentes in carne, nempe unà cum aliis etiam Gentibus, quae adhuc sunt Gentes in carne. Utitur enim titulo quo omnes Ethnici, & qui erant extra Ecclesiam Dei, appellari solebant, nempe Gentes in carne.

Quid autem est *esse Gentes in carne?* Ambrosius interpretatur carnales esse. Et sic Apostolus omnes non renatos ait esse in carne, ad *Rom.* 8. *Qui in carne sunt* (id est, non renati, & viventes secundùm carnem) *Deo placere non possunt:* Esse autem in Spiritu eos vocat, qui renati sunt: ideo subdit

subdit ibidem, *vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Siquidem Spiritus Dei habitat in vobis.* Christus vocat simpliciter carnem, *Joh.* 3. Quod natum est ex carne caro est. Ita esse in carne, & esse carnem, idem sunt.

Quid igitur est *esse Gentes in carne?* nil aliud, quàm esse homines Deo abominabiles & invisos: juxta Pauli interpretationem. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* Eóque est *esse filios irae & perditos.*

Quare quod quidam interpretantur *in carne*, id est, secundùm carnem, non potest híc quadrare. Ait enim, *quondam eratis in carne:* Significans, nunc igitur non esse ampliùs in carne. Atqui etiam post conversionem erant Ephesii Gentes secundùm carnem, quia nati ex Gentibus quoad carnem.

2. Alterum quod in hac propositione dicit, est: ita Gentes solitas fuisse vocari *praeputium:* ut qui etiam ad Christum conversi sunt, si non admittant circumcisionem, séque toti legi subjiciant, ii à nonnullis soleant etiamnum vocari praeputium, quasi execrabiles & immundi. A quibusnam ita vocantur etiam in Ecclesiam asciti? non quidem ab omnibus Judaeis, sed ab illis tantùm, qui circumcisi sunt in carne tantum, non autem in corde. Nam qui verè pii erant inter Judaeos, non vocabant fratres ex Gentibus praeputium, seu incircumcisos: agnoscebant enim eos esse verè circumcisos, nempe in corde: sed illi tantum hoc nomine per contumeliam eos appellabant, qui tantùm circumcisi erant in carne, circumcisionem cordis ignorantes. Hoc est quod ait, οἱ λεγομένοι ἀκροβυστία, *ab ea quae dicitur circumcisio in carne.*

Nam quòd tunc etiam conversos ad Christum fratres ex Gentibus falsi & carnales Judaei hoc nomine appellarint, eóque habuerint eos pro execrabilibus & immundis, hinc liquet:

Primò, quia Pseudoapostoli urgebant circumcisionem Gentibus, dicentes, illos non posse servari, nisi circumciderentur, ut Paulus testatur Act. 15.

Secundò, inde, quia Petrus fuit ab illis, qui erant ex circumcisione, reprehensus, quòd ingressus fuerit ad eos, qui habebant praeputium (id est, in domum centurionis) quem tamen audierant credidisse in Christum: ita, inquam, ea de re contenderunt cum Petro fratres, qui erant ex circumcisione, ut opus ei fuerit longa ἀπολογίᾳ. Act. 11. Constat igitur Apostolum non exprobasse Ephesiis, quòd fuerint incircumcisi, cùm adhuc etiam haberent praeputium: sed narrasse, quàm abominabile esset apud Judaeos nomen praeputii, nempe ita ut etiam tunc quicunque non circumciduntur, utut conversi ad Christum sint, per contumeliam vocentur praeputia, id est, Deo execrabiles, dignique qui excindantur. Simul verò etiam perstringit illos Judaeos, à quibus fratres ex Gentibus vocabantur praeputium: quòd scilicet tales Judaei hypocritae essent, habentes circumcisionem duntaxat in carne, carentes autem circumcisione cordis: Nam significare voluit illa ἀντιθέσει, Gentes in carne & circumcisionem in carne, Judaeos illos non minùs carnales esse quàm olim fuerint Gentiles: Eóque illorum judicium de fratribus ex Gentibus esse falsum, quòd qui circumcisi sunt corde, uti erant fratres ex Gentibus, ideò tamen eos praeputia appellarent, quòd carnis circumcisionem non admitterent; sed utut isti Judaei fallerentur, sensus Apostoli est perspicuus, Ephesios unà cum aliis Gentilibus fuisse quondam immundos & execrabiles in conspectu Dei, & totius Ecclesiae

clesiae, eóque illorum statum fuisse miserabilem & infelicissimum. Haec est summa propositionis.

De Circumcisione duplici.

1. Hìc primò observandum, duplicem esse circumcisionem: unam carnis, alteram cordis.

Circumcisio carnis erat illa, quae, (ut hìc docet Paulus) fiebat in carne tantum, & manibus hominum. Haec solis Judaeis mandata fuerat, nihílque aliud erat quàm signaculum justitiae fidei, ut Rom. 4. docet Apostolus: Et (ut Paulus loquitur) constabat litera, non spiritu. Et ideò temporaria, usque ad Christum. Circumcisio cordis est illa, qua per fidem & Spiritum Sanctum corda purificantur: & quae ideò etiam Spiritu constare dicitur: haecque erat justitia interna, cujus symbolum erat circumcisio in carne. Ac proinde haec erat anima prioris: & ideò etiam perpetua: et communis omnibus Electis, tam ex Gentibus quam ex Judaeis: de qua praeceptum apertum extat *Deut.* 10 vs. 30. Circumcidite praeputia cordis vestri. Hanc volebat Deus per se, alteram propter hanc: usque adeò, ut si, quae in carne fit, careret illa, qua circumciduntur corda: Deus hanc per Prophetas damnaret & abominaretur: quid ita? quia mera erat hypocrisis. Idem de baptismo, qui successit circumcisioni, sentiendum est: Unus est Aquae, alter Spiritus: Et ille propter hunc institutus est, ac proinde, si baptismus Aquae careat baptismo Spiritus, mera est hypocrisis. Et gloriatio in tali Baptismo vana est & inanis.

Ex illa duplici circumcisione tria circumcisorum genera constituebantur: Alii circumcisi tantùm erant in carne, ut Judaei hypocritae: quos etiam hìc perstringit Apostolus. Alii Spiritu tantùm, & in corde: ut pii ex Gentibus, ut ante Christum Jobus, Naaman Syrus: Et post Christum, centuriones, Ephesii. Alii utraque erant insigniti: ut pii inter Judaeos, Apostoli.

2. Apostolus improbat ac perstringit illos fratres ex circumcisione, qui ideò Gentiles ad Christum conversos praeputia, id est, incircumcisos vocabant, quòd carnalem circumcisionem non admisissent: & utut cordis spiritualíque circumcisione essent ornati. Non dissimiles certè illi Judaeis sunt, qui nos jam damnant & execrantur, quoniam licet edamus corpus Domini spiritualiter, & per fidem, non tamen admittimus carnalem manducationem, quasi spirituali manducatione non simus verè Christo incorporati. An igitur ipsorum judicium probetur Apostolo, ex hoc loco manifestum est. Sicut vera circumcisio illa est, quae fit in corde per Spiritum: sic vera manducatio corporis Christi est, quae fit per fidem & Spiritum.

Sequitur explicatio propositionis, vers. 12. Quid est esse Gentilem & praeputium? Docet per partes quinque.

1. *Eratis sine Christo.*
2. *Alieni à Republica Israelis:*
3. *Extranei à pactis promissionis:*
4. *Spiritum non habentes:*
5. *Sine Deo* ἄθεοι *in mundo.*

Quid

Quid horribilius, quid infelicius excogitari potest his malis? Talia autem mala sequebantur illos, qui erant Gentes & praeputium. Quid igitur pejus, quam esse Gentilem & praeputium? Tales autem vos fuistis, ô Ephesii.

Quaestio moveri potest: Quomodo Ephesii jam conversi fuerunt aliquando sine Christo, cum fuerint electi in Christo, & per Christum in cruce redemti, antequam nascerentur.

Resp. Si electionem spectemus, fatemur fuisse in Christo electos: si redemtionem, per Christum fuisse redemtos: sed de hac re non loquitur Apostolus.

Illi propriè dicuntur esse in Christo, qui Spiritu Christi illi sunt adglutinati, eóque & renati: De qua *Rom.* 8. Qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. Et de hac etiam hîc loquitur.

Observandus est iste ordo.

Primum ait, eos fuisse sine Christo. Sicut habere Christum est fundamentum bonorum omnium, quia ipse est janua & ostium in possessionem bonorum vitae praesentis & futurae: Sic carere Christo initium est omnium malorum, quae hîc ordine narrantur ab Apostolo, & quae se invicem consequuntur. Explico.

Qui Christo, Ecclesiae capiti, adglutinatus est: is etiam toti corpori est associatus, eóque membrum est Ecclesiae, & communionem habet cum sanctis omnibus. Usque adeò sunt inseparabiles Christus & Ecclesia, caput & membra, ut Ecclesia nonnunquam in scripturis Christus ipse appelletur: 1. Cor. 12. Christus inquam totus & perfectus. Contra igitur qui Christo non adhaeret, is neque cum Ecclesia habet communionem. Ideo rectè, postquam dixisset, *Eratis sine Christo*, subjecit, *alieni* à *Republica Israelis*, id est, ab Ecclesia: quae diversis respectibus & Respublica & regnum vocatur.

Qui in Ecclesia est, is etiam foedere conjunctus est cum Deo, & habet promissiones de salute vitáque aeterna. In ea enim sola verbum Dei purum habetur, sinceréque praedicatur: quae est nota verae Ecclesiae: unde columna & firmamentum veritatis vocatur 1. Tim. 2. Tam enim non potest Ecclesia carere verbo, quam civitas legibus: imò quam corpus vivum anima. Ergo contra, qui extra Ecclesiam est, is verbo verbíque vera cognitione destituatur necesse est. Ideo rectè postquam dixisset *alieni* à *Republ. Israelis,* subjecit, & *extranei à pactis promissionis.*

Διαθήκη, & Hebraicè ברית, foedus est, in quo continentur pacta: quale solet esse inter principes & subditos: Princeps stipulatur à subditis fidem & obedientiam, ipse vicissim promittit illis pacem & commodam vitam. Deus foedus init cum Adamo primùm, postea cum Abrahamo renovavit, & cum aliis Patribus: promissio Dei, de qua hîc loquitur, fuit; Ego *Deus tuus, & seminis tui post te, foedere sempiterno.* Quid est Deum esse Deum alicujus? Christus docet, dicendo, *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.* Matt. 22. Est igitur esse donatorem & autorem vitae illis, quorum dicitur esse Deus. Cujus verò vitae? Et praesentis, & maximè futurae, Apostolo interprete, ac dicente, *Pietas promissiones habet praesentis vitae pariter & futurae,* 1. Tim 4. Haec verò haberi non poterat nisi per Christum: ideò in illa promissione continebatur Christus.

Quare haec est promissio, de qua hîc loquitur; & eadem semper fuit à

condito

condito orbe. Ac proinde in singulari unam vocat ἐπαγγελίαν: quae est foederis substantia. Caeterùm conditiones, quas stipulabatur Deus, ad summam & in substantia eaedem fuerunt. Fides, scilicet, viva cum dilectione Dei conjuncta, et obedientia : sed, pro diversitate temporum, in accidentibus fuerunt variatae : quia ante Mosen paucas instituit caeremonias, per Mosem multas. Per Christum abrogatae istae fuerunt, & pauciores ac faciliores substitutae.

Atque hoc sibi voluit Apostolus, cùm unam promissionem nominavit, & plura pacta.

Ab iis ait extraneos fuisse Ephesios: quare? quia extra Ecclesiam erant, in qua sola sacrae literae continebantur & praedicabantur. Quid hinc sequebatur? aliud ingens malum, nempe: Quòd nullam poterant habere spem vel remissionis peccatorum, vel aeternae vitae. Ratio, quia spes nititur fide. Fides autem verbo Dei, *Hebr.* II. Fides est substantia sperandarum rerum. *Rom.* 10. autem ait, Fides ex auditu. Item ait idem Apostolus, *Rom.* 15. Omnia, quae scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Nititur ergo & ipsa scripturis. Quare cùm Gentes non habuerint scripturas & promissiones: quomodo potuerunt ullam habere spem salutis? Item 1. *Tim.* 1. Christus vocatur nostra spes: cùm ergo essent sine Christo, spem salutis habere non poterant Gentes extra Ecclesiam positae, & extra Christum. Cùm dicit, *spem non habentes*, intellige veram ac firmam, veritatíque verbi Dei nitentem. Nam alioqui etiam Gentiles lactabantur spebus à suis sacerdotibus: sed spebus inanibus & vanis ac falsis. Sequitur, *Et ἄθεοι in mundo.*

* Ἄθεοι erant, *quia non cognoscebant vivum Deum, neque eum colebant, sed negligebant:* ἄθεοι etiam, *quia negligebantur à Deo sinebantúrque ambulare in peccatis.*

Caeteroquin ἀθέος etiam dicitur, qui aut negat ullum esse Deum, aut eum res mortalium non curare contendit: aut qui nulla numinis religione tenetur. Hoc modo & sensu non videtur Apostolus voluisse dicere Ephesios fuisse ἀθέους, cùm multos Deos adorarint, & habuerint templum Dianae. Sed tantùm quòd non habuerint verum Deum.

At dices, quomodo fuerunt sine Deo, cùm Apostolus dicat in *Actis* 17. Deum non longè abesse ab unoquoque mortalium: Et probet Arati dictum, *Jovis omnia plena?* Item *Rom.* 2. Deum esse Deum non solùm Judaeorum, sed etiam Gentium? Resp. Non negare Apostolum, quin Gentiles fuerint creati à Deo vero, & ab illo regerentur, omniàque haberent bona: sed negare, eos verum Deum habuisse, i. cognovisse, coluisse, propitium habuisse. Fuerunt igitur sine Deo, nempe à se culto, à se amato, eóque & propitio; sed non fuerunt simpliciter sine Deo creante, mundúmque regente, & implente. *In mundo*, opponitur Ecclesiae. Ecclesia est coetus sanctorum: mundus verò coetus impiorum, cujus Satan princeps esse dicitur.

Alludit ad id, quod supra dixerat, *eos ambulasse in peccatis* juxta saeculum mundi hujus. Ideò ad superiores particulas omnes referendum est. *Eratis in mundo sine Christo:* in mundo sine Ecclesia. Qui enim sunt hoc sensu in mundo, extra Ecclesiam sunt, *omnésque sine Christo, sine promissionibus Dei,*

sine

sine spe, sine Deo. Qui eripiuntur ex mundo hoc, liberantur omnibus iis malis, & contrariis bonis donantur. Et sic erepti fuerunt Apostoli. *Ego* (inquit Christus) *elegi vos de mundo.* Sic Ephesii, sic nos per gratiam Dei erepti fuimus.

Meminerimus igitur & nos, quales fuerimus in mundo, inter profanos homines, inter idololatras, sine Christo, *alienati à vera Ecclesia,* destituti sacris literis, id est, vera puráque verbi Dei praedicatione, spem firmam salutis non habentes, denique sine Deo. Nunc autem nos inde ereptos esse gratia Dei; eóque fimus grati.

II. Sequitur ergo particula secunda, de beneficio redemtionis nostrae, conjunctionísque cum vera Ecclesia, per Christum factae.

V. 13. Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui quondam eratis longè, facti estis prope, per sanguinem Christi.

Primum totum hunc contextum brevi ἀναλύσει resolvam in suas partes. Deinde singulos versus explicabo; & quae inde colligenda sit doctrina, indicabo.

1. Proponit propositionem de vocatione Gentium è mundo, eorùmque conjunctione cum Deo, & ejus Ecclesia per Christum facta: quam postea propositionem explicat. Propositio est in V. 13. Haec autem est, *Qui quondam eratis longè* (nempe à Christo, ac Ecclesia, à foedere, & promissione, à spe, à Deo:) *nunc per Christum, pérque ejus sanguinem facti estis prope* (id est, copulati Christo, conjuncti cum Ecclesia, uniti foedere cum Patribus, & fide ac spe cum Deo.) Haec est propositio. Propositionis explicatio & expolitio reliquis versibus continetur.

Versu itaque 14. *primò* explicat causam efficientem hujus reconciliationis, pacis, ac κοινωνίας cum Deo, & cum populo, Ecclesiáque Dei. Facta est enim unio & conjunctio in persona Christi, & per Christum, cum duobus, cum Deo, & cum ejus Ecclesia: sublatis scilicet inimicitiis, quae erant inter Deum & homines, & inter utrumque populum.

Et utramque simul tractat: sed incipit à notiore, hoc est: ab ea conjunctione, quae cum Ecclesia Dei facta est, dicendo, in V. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum.* De ea, quae facta est cum Deo, loquitur in V. 16. Utriusque causa efficiens est Christus.

Deinde in hoc eodem V. 14. explicat modum, quo fecit ex utrisque unum Christus: modum hunc explicat simili.

Intermèdium parietem, inquit, *maceriae diruit.* Quòd disertis explicat verbis vers. insequenti. Ergo vers 15. primùm perspicuis verbis modum illum declarat, quo utrumque populum conciliavit simul, dicendo,

Inimicitiis sublatis (quae scilicet erant inter utrumque populum) *per carnem suam.*

Secundò docet, unde illae fuerint ortae inimicitiae: ex lege per occasionem, quatenus propter legem Judaei contemnebant & oderant Gentes, qui talia non praestabant, quae ipsi; & vicissim Gentes oderant Judaeos, à quibus videbant se contemni; morum enim dissimilitudo & religionis ceremoniarúmque animos alienat hominum à se invicem. Ideò volens tollere effectum Christus, id est, inimicitias: sustulit causam, legem cum suis tot mandatis & ritibus. Idcircò ait, legem mandatorum in decretis sitam abrogans sustulit etiam legem, id est,

est, maledictionem legis, unde inter Deum & populum utrumque erant inimicitiae.

Ideò tertiò causam finalem hujus abrogationis legis duplicem affert, unam in hoc v. 15, dicendo,

Ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem: alteram in ver. 16. dicendo, *Et ut reconciliaret utrosque in uno corpore Deo.*

Causam autem, quam alii vocant materialem salutis, alii meritoriam, seu promerentem, qua totum hoc beneficium promeruit & obtinuit, impetravítque à Deo Patre Christus, quater repetit in singulis nimirum versibus. Vers. 13. dicens, *Per sanguinem Christi*, v. 14, dicens *per carnem suam*, v. 15 dicens *in semetipso* v. 16. dicens, *per carnem.*

Haec est horum quatuor versuum resolutio & summa.

v. 13. *Nunc autem in Christo Jesu vos, qui eratis longè, facti estis propè, per sanguinem Christi.*

Quatuor sunt hîc, in hac contrariorum (ut vocant Rhetores) conflictatione, quae hoc v. 13. continetur, consideranda.

1. Primùm, mutatio Ephesiorum, *vos eratis* (inquit) *longè.* A quo, vel à quibus longinqui fuerunt Ephesii? Diximus antè, nempe à *Christo, ab Ecclesia, à participatione promissionum, à spe salutis, à Deo ipso. Sed nunc facti estis* prope, i. propinqui Christo, Ecclesiae, Deo, id est, consecuti estis κοινωνίαν cum Christo, cum ejus Ecclesia, cum Deo, illisque estis incorporati, & unum simul effecti. Hoc significat factum esse vicinum, & propè. Sicut contra, esse ab iis longè, est communionem cum ipsis non habere. Alludit ad Prophetiam Jesaiae *Creo pacem ei, qui longè est, & pacem ei, qui propè* Jes. 57. 19.

In quanam autem re consistebat ista longinquitas & propinquitas? non in locorum spatiis, non in carne & sanguine, aut in natione; sed in spiritu, & in corde, in cognitione Dei, in fide, in amore, denique in vera κοινωνίᾳ. *Jes.* 29. Labiis me honorat populus hic, cor autem longè est à me, i. me non norunt, me non amant, me non colunt, de me non cogitant. Contra de quodam adolescente, qui declarabat se Deum nosse & amare, dixit Christus, Non longè abes à regno Dei, *Matt.* 12. Et Apostolus ait, Per fidem Christum habitare in cordibus nostris. Ephes. 3 In spiritu igitur atque in corde consistit haec longinquitas vel propinquitas, tam à Deo vel cum Deo, quàm ab Ecclesia, vel cum Ecclesia. Ideò licet Christus suo corpore sit procul à nobis, spiritu tamen & fide fimus illi propinqui, & ille nobis, ut nihil magis propinquum esse possit. Fimus enim una caro. *Et qui adhaeret Deo* (ait Apostolus) *unus spiritus efficitur cum illo.* Hinc & communio Sanctorum. Qui sunt in Oriente fideles, sunt nobis propinqui, quia omnes unum corpus sumus in Christo. Qui domi sunt impii, procul sunt: quia non est illis pars nobiscum in sorte hac Christiana.

Hinc sequitur, esse longè à Christo & à Deo est esse perditum, juxta illud, *Qui elongantur à te, peribunt.* Ergo contra, esse propinquum est esse servatum. Et sic intelligit Apostolus, *vos qui mortui eratis, & perditi, jam servati estis.*

Haec est magna mutatio Gentium, non localis, non corporalis, sed spiritualis.

Secundò

Secundò observanda est particula, *nunc autem.* Opponitur enim haec illi alteri particulae ποτὲ, &c. antè, *quondam erant filii irae, mortui in peccatis, longinqui à Deo, ab Ecclesia, à Christo, à salute: nunc facti sunt prope.*

Est igitur rerum omnium vicissitudo, non solùm in rebus naturalibus, sed etiam in spiritualibus & supernaturalibus. Aliquando fuimus pueri, nunc senes; aliquando insipientes & imperiti rerum, nunc prudentia aliqua donati. Nunc videmus per speculum in aenigmate: aliàs videbimus facie ad faciem. Nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid futuri simus in coelo. *Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.*

Fuistis igitur *(inquit)* aliquando longè, nunc autem prope.

Ergo nunquam despondendus est animus: sed tam in rebus spiritualibus, quam in corporalibus & hujus vitae, expectandum est tempus, quo Deus nostrum mutet statum è malo in bonum. Et contra qui bene habent jam ne insolescant, quia mutari potest conditio & status in pejus. Exemplum est ad Rom. cap. 11. de ramis excisis.

3. Sed illud in primis considerandum est, in quo sit facta haec Ephesiorum mutatio, ut è longinquis facti sint propinqui. Ait, *In Christo Jesu.*

Opponitur haec illi superiori, ἐν τῷ κόσμῳ: *in mundo cùm essetis, eratis longè à Deo:* quia sine Deo. *In Christo autem facti estis prope.* Christus igitur & mundus sunt contrarii: ut simul esse in utroque non possis. In mundo qui sunt, extra Christum sunt; eóque sunt sine Deo, sine spe salutis. Qui in Christo, prope sunt.

Et meritò, Christus enim est mediator. Nemo venit ad Patrem, nisi per me: Ego sum ostium, si quis per me introierit, servabitur. Joh. 14.

Doctrina igitur haec retinenda est: neminem accedere ad Deum posse & ei fieri propinquum, nisi priùs fiat propinquus Christo, eique uniatur: id quod fit per fidem, & per Spiritum Christi: In solo enim Christo Jesu, qui sunt longè, fieri possunt prope: *quia solus est mediator, & solus via & ostium ad Patrem.*

Et observanda est locutio *in Christo Jesu.* In ipsius enim persona sumus jam etiam in coelo apud Patrem.

4. Quomodo Christus nos fecit è longinquis propinquos? In seipso, seu in sua persona. Per sanguinem suum: hoc est per sacrificium corporis & sanguinis sui pro nobis oblatum Patri. Quòd enim hìc dicit Apostolus, *per sanguinem Christi,* infra dicet, *per carnem suam.* Item, *per crucem.* Hoc enim sanguine impetravit nobis remissionem peccatorum, quibus Deus fuerat offensus, è quibus ortae inter illum & nos inimicitiae, & quibus denique valde procul recesseramus à Deo. Quando igitur per sanguinem Christi expiata fuerunt peccata, eóque sublatae inimicitiae: tum etiam nos dicimur facti fuisse propinqui, quia scilicet per sanguinem suum impetravit nobis Christus, ut praefinito tempore, tum Deo, tum Ecclesiae reipsa uniremur: id quod fit, cùm vocati per Evangelium, Christum fide amplectimur, qua de re post dicet versu 17.; ubi sic legimus:

Et veniens evangelizavit pacem. Nunc enim tantùm agit de beneficio, per sanguinem omnibus electis impetrato: mox de medio, per quod facta est beneficii communicatio, dicturus.

In persona igitur Christi tunc facti fuimus propinqui, cum suum pro nobis effudit sanguinem, quia tunc expiata fuerunt peccata nostra: beneficii autem hujus communione & participatione quisque fit propinquus, cùm per Evangelium vocatus credit in Christum, & remissionem peccatorum per sanguinem Christi partam amplectitur.

Hactenus propositio de Redemtione. Sequitur explicatio.

V. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque* (τά ἔθνη) *unum: &* (qui) *intermedium parietem maceriae diruit, inimicitias per carnem suam.*

Quatuor facit hoc versu Apostolus.

Primò explicat illud, *In Christo Jesu.*

Secundò illud, *Facti estis prope*, quid hoc significet.

Tertiò, modum, quo facti sint prope, id est, *unum.*

Quartò, quod dixerat, *per sanguinem* explicat, dicendo, *per carnem.*

De primo igitur ait, *Ipse enim est pax nostra.* Observanda est locutio, quia magnam habet emphasin, & non caret mysteriis.

Primùm, cum dixerit, *Vos facti estis propinqui in Christo,* videtur dicendum fuisse, ipse enim est appropinquator noster, vel propinquitas nostra; hujus autem loco dixit: *Ipse enim est pax nostra.* Docet igitur è longinquis fieri proximos Deo aut Ecclesiae nil aliud esse, quàm redire in pacem seu in gratiam & reconciliari cum Deo, & cum Ecclesia, atque ex inimicis amicos fieri: id quod pòst confirmat, dicendo: *Sublatis inimicitiis.*

Quomodo verò sublatae sunt inimicitiae? dum Christus nostras abstulit offensas, quas admisimus legem Dei transgrediendo: sicut postea in hoc versu explicat, & clarius etiam 2. *Cor.* 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illius peccata ipsorum. In remissione igitur peccatorum cum primis consistit haec reconciliatio, pax, propinquitas.

Ita intelligimus ex his etiam verbis Apostoli, quid sit è longinquo fieri propinquum: nempe condonatis expiatísque peccatis reconciliari, & ex inimico fieri amicum: id quod factum est per sanguinem & carnem Christi pro nobis oblatam. Et sic *Rom.* 5. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.

Christus cur & quomodo pax nostra.

Deinde, non sine causa Apostolus non dixit simpliciter Christum esse nostrum pacificatorem, sed pacem nostram; id quod de ullo alio an legatur in scripturis, non memini.

Deus Pater ipse quoque est noster reconciliator & pacificator, ut Apostolus docet, dicendo, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi:* 2. Cor. 1. Sed solus Christus vocatur nostra pax. Ergo aliquid amplius hac locutione significavit Apostolus de Christo, quàm illum simpliciter causam esse pacis.

Moses quoque fuit pacificator inter Deum & inter populum: sed nunquam pax ipse: *solus Christus est pax nostra.* Ratio est: quia solus etiam est mediator inter Deum & homines. Et solus ille est, propter quem & in cujus gratiam facta est pax inter Deum & homines, & inter utrumque populum:

Et

Et solus est ille, in quo pax haec firmata & constabilita est. Simili explico. Si uxor propter injurias marito factas nunquam potuerit viro reconciliari, nisi in gratiam filii ex sua carne uteróque nati; ita ut maritus ei significet, se in unius filioli gratiam illi esse reconciliatum & pacificatum: an non meritò posset mater dicere, *hic filius est pax mea?* quo sensu? quod scilicet, in hujus gratiam & propter hunc vir reconciliatus mihi sit uxori.

Triplici igitur de causa Christus dicitur *pax nostra*. *Primò*, quia sese interposuit inter Deum Patrem & inter nos: ídque tum intercessione ad Patrem, tum verbis ad nos, hoc est, hujus suae apud Patrem pro nobis intercessionis significatione, ut sublatis inimicitiis, causisque inimicitiarum, nos Patri reconciliaremur. *Secundò*, quia per ipsius sanguinem (ut post explicat Apostolus) expiatis peccatis nostris, satisfactum fuit justitiae divinae, eóque illius ira placata, & mors aeterna, quae nobis debebatur, à nostris cervicibus aversa est, atque ita propter solum Christum, & in solius Christi gratiam nos reconciliati sumus Patri. *Tertiò*, quia in ipso Christo firmata est & constabilita pax: quatenus in ipso acquiescit Pater, & in ipso carissimos habet omnes, qui Christi membra sunt, totámque gratiam, quam Christus habet apud Patrem, nobis etiam imputat & largitur. Meritò igitur Christus, sicut non solum est noster justificator, servator, redemtor, sed ipsa etiam nostra justitia, salus, redemtio; sic etiam non solum est noster pacificator, sed ipsa nostra pax. Quare, sicut in ipsius persona sumus perfectissimè justi, perfectissimè sapientes, perfectissiméque sancti: sic in ipso quoque ita pax & reconciliatio nostri firmata & perfecta est, ut nihil irae supersit in Patre adversus eos, qui Christo sunt insiti per fidem, pérque Spiritum Sanctum. Sicut & *Rom.* 8. Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. Hoc significare voluit Apostolus, cùm dixit Christum esse pacem nostram, pacem, scilicet, perfectam, pacémque aeternam: ac proinde de reconciliatione cum Deo non esse dubitandum iis, qui sunt in Christo per fidem.

Docere item voluit, extra Christum pacem cum Deo non esse quaerendam, sperandam, expectandam: quia solus est pax nostra, eóque etiam solus vita, & salus nostra; ut summa fiat Christo injuria, si quis ad perfectam cum Deo reconciliationem, & salutem, putet Mosen quoque & ejus legem esse necessariam. Si enim Christus solus est pax nostra, eóque perfecta: non igitur per legem pax, justitia, salus. Atqui haec de primo membro.

II. De secundo, ubi explicat quid sit factum esse propè, ait, *Qui fecit ex utrisque unum.*

Diximus initio duplicem factam esse pacem per Christum, unam inter Deum & homines, alteram inter utrumque populum. De hac altera hîc agit, dicendo: Qui fecit τὰ ἀμφότερα (ἔθνη) ἕν, nempe τὸ ἔθνος, gentem, inquam, seu populum alium: non enim gentilem convertit in Judaicum (ut volebant Judaei tempore Pauli) neque Judaicum in gentilem: sed utrumque mutavit in unum alium diversum, nempe in Christianum populum. Hoc significat, *Fecit utraque*, seu ex utrisque, *unum*, alium, scilicet, populum. Nisi malis accipere illud ἕν simpliciter pro uno; scilicet corpore, uni capiti adglutinato. Haec est enim explicatio ejus ἀνακεφαλαιώσεως, de qua cap. 1. Colligendi erant omnes Electi,

tam

tam ex Gentibus quàm ex Judaeis, in unum corpus sub uno capite Christo: & ita ambo, in unum collecti, Deo Patri reconciliandi & ad illum adducendi erant: ut postea sequitur v. 18. quòd per Christum utrique habemus προσαγωγὴν in uno Spiritu ad Deum: Hoc igitur est quod dicit, *Qui fecit utraque unum*, corpus scilicet unum sub uno capite Christo.

Quid igitur est, fieri propinquum Ecclesiae? Est fieri unum cum Ecclesia. Haec est unitas Ecclesiae: de qua postea dicemus suo loco.

Hanc primùm impetravit & fecit in cruce, in sua, scilicet, persona utrumque populum sibi uniens, tanquam corpus capiti, & ita totum offerens Patri. Quotidie etiam facit, per suum, scilicet, Spiritum, ad praedicationem Evangelii; perficiet verò & absolvet in coelo, cùm eo nos adducet, & subjiciet Patri, *ut sit Deus omnia in omnibus.*

Sed de prima, nempe cum Ecclesia, nunc loquitur; de secunda in vers. 17 & 18.

Observandum igitur hîc de hac unione, primùm, etiam antequam nasceremur, omnes nos fuisse factos unum in persona Christi, cum esset in cruce: quia expiatis omnium nostrûm peccatis, quae in se receperat, nos pro membris suis agnovit & Patri se obtulit: quanta igitur caritate debemus nos mutuò complecti? Deinde extra Christum nullam veram fieri posse populorum & Ecclesiarum unitionem: quia solus Christus facit ex utrisque verè unum, & in solo Christo sit haec salutaris multorum conjunctio. Tunc autem fit in Christo solo, cûm juxta ipsius doctrinam, fidem, & Spiritum fit.

III. De tertio, quo modo fecerit ex utrisque unum, ait, *Et intermedium parietem maceriae diruit, inimicitiam, &c.*

Hoc simili intellexit legem, ut versu sequenti explicat. Haec duo fiebant, unum per se, alterum per accidens: Per se unus populus ab altero, Judaicus à Gentili, Gens à gente, sicut domus à domo, discernebatur & dividebatur. Et in hunc finem tradita lex fuit à Deo, contraria nimirum moribus & caeremoniis Gentium. Unde apud Mosen semper cavetur, ne populus ambulet juxta vias Gentium, nec similes illis fiant. Hoc fuit per se. Sed per accidens ex illa lege fiebat, ut summae inimicitiae orirentur inter Judaeos & Gentiles: propter diversitatem, scilicet, religionis, politiae, morum, quam illa adferebat, diversa à moribus Gentium praecipiendo. Utrumque effectum indicat Apostolus paucis verbis. Primùm quidem effectum, dum vocat legem *intermedium parietem maceriae:* alterum verò, dum addit *inimicitiam*, seu ut alii, inimicitias.

Ut illi duo populi conciliarentur, & fierent unus populus Christianus, per se necessarium erat ut tollerentur inimicitiae: ut autem tollerentur inimicitiae, causa inimicitiarum tolleretur necesse erat. Meritò igitur sustulit legem Christus, quae, ne duo populi in unum conjungerentur, impedimento erat.

Lex caeremonialis cur maceriae conferatur.

Duo porrò hîc sunt observanda. Primùm, quam congruè legem illam comparit Apostolus muro maceriae: triplex enim occurrit similitudo & respectus inter parietem, & inter legem.

Primùm maceries constat ex multis lapidibus, sic lex illa Mosis. Unde Apo-

Apostolus vocat legem mandatorum (multorum) & in decretis sitam, nempe quamplurimis.

Secundò, lapides, è quibus maceries constat, duri sunt, nullo admixti cemento: lex dura fuit, & intolerabilis populo; unde Petrus: Ut quid tentatis imponere jugum, quod neque nos neque Patres nostri portare potuimus? *Act.* 15. Proinde meritò tollenda erat, quia & Judaeis servatu erat impossibilis, & Gentibus inutilis, & simul etiam intolerabilis.

Tertiò, maceries paries est imbecillus, non perpetuus, sed temporarius: sic Deus significavit legem illam caeremonialem & judicialem nòn duraturam in perpetuum: sed tantùm usque ad illud tempus, quo agri illi diversi in unius potestatem, hoc est, in potestatem Christi erant derivandi, & conjungendi. Cum Christus factus homo vixit inter Judaeos, non habuit nisi hanc vineam Domini Zebaoth: at in cruce impetravit à Patre totam etiam planitiem gentium: *Postula à me* (ait in Psalmo 2.) *& dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Hac igitur planitie impetrata, diruenda fuit maceries. Proinde post resurrectionem dixit, *Data est mihi omnis potestas*, &c. *Ite igitur in universum mundum.*

Maceries illa fuit à Deo erecta, ut populus ipsius à Gentibus discerneretur; ubi autem uniendi fuerunt, eam diruit: quia pluris erat facienda unio populorum, quàm maceries ipsa. Quantò magis igitur diruendae essent maceries humanae, traditiones ceremoniae, consuetudines, & alia multa humana, propter conjunctionem Ecclesiarum? Clamant omnes studendum esse unitati Ecclesiasticae, & ut omnes in unum uniantur: ô utinam. Sed quaenam est vera uniendi ratio? quam hîc docet Apostolus. Tollantur inimicitiae inprimis necesse est. Unde verò hae? Ex humanis legibus, decretis, mandatis, canonibus, de rebus, ritibus, ceremoniis, quae a verbo Dei dissident, vel saltem quae ex illo nullum habent testimonium. Et interim tamen illis gravantur conscientiae supra modum. Tollantur ergo ista. *Hic est paries maceriae.* Atque haec de tertio.

IV. De quarto ait, *Per carnem suam.* Cur, cùm suprà dixerit, per sanguinem Christi, hîc ait per carnem Christi? Significabat se non loqui de solo sanguine, neque de sola carne, sed de toto sacrificio, quod Patri obtulit: illud autem non fuit solus sanguis, nec sola caro: sed utrumque simul. Deinde neque etiam caro & sanguis separanda sunt à persona Filii Dei, eóque ab ejus Deitate: neque enim per se vim habuissent expiandi peccata, nósque Deo reconciliandi, nisi eam à Deitate accepissent. Proinde merito Apostolus Act. 20. dixit, *Deum sanguine suo redemisse Ecclesiam.* Sanguine redemit: sed vis redemtionis in sanguine inde erat, quia sanguis fuit non puri hominis, sed ejus, qui Deus etiam erat. Ideò etiam hîc totam personam significat Apostolus, cùm ait, nos factos esse propinquos, per sanguinem Christi: Et Christum fecisse ex utrisque unum, per carnem suam. Christi nomen nomen est totius personae: ideóque tota operata est salutem nostram. Secundum humanam naturam patiendo, moriendo; secundum divinam efficaciter salutem operando, vímque redimendi à peccatis sanguini praebendo & carni; ita ut distinctissimae fuerint in eadem persona actiones, quae erant secundum humanam, ab iis quae erant secundum divinam naturam: ita tamen unitae in eadem persona, ut aliae ab aliis non sejungerentur: actionibus verò distinctis

simul

simul & unitis, proprietates etiam utriusque naturae, eóque & naturae ipsae distinctae simul fuerint & verè in una persona unitae, necesse est. Eodem enim modo se habent in Christo Actiones, Propietates, Naturae. Naturae sunt unitae in eadem persona, nec tamen confusae, aut in se invicem mutatae, vel transfusae: Ergo & proprietates & actiones eodem se habent modo. Ac sicut realis est unio naturarum in una persona, sic etiam unio proprietatum realissima est in eadem persona: & sic etiam de actionibus dicendum est: actiones enim propriè sunt suppositorum. Et ita loquuntur Scripturae de Christo, id est, de tota persona: *Christus passus est*, *Christus mortuus*, *Christus redemit nos*, *Christus fecit utraque unum.* Qua de causa Patres actiones in Christo vocarunt θεανδρικὰς actiones: quia illius sunt, qui & Deus & homo est. Atque hoc observatum esto in hac locutione, & similibus de Christo: Christus fecit utraque unum, fecit pacem, &c. per sanguinem suum, per carnem suam.

V. 15 *Legem mandatorum in decretis* (sitam) *abrogans, ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem.* Explicatio est & expolitio superioris versus.

Primum, explicat quid sit, *intermedium maceriae parietem diruisse;* nil aliud, quàm legem mandatorum in decretis sitam abrogasse. *Secundò*, quid sit, Christum *utraque fecisse unum;* nil aliud, quàm duos populos in unum novum, non tam populum, quàm hominem condidisse. *Tertiò*, quid sit illud, *per carnem suam*, nempe in seipso: qua dictione apertè significatur persona Christi, non una Natura. Quartò, quòd suprà dixit, *Christum sustulisse inimicitiam*, hîc ait fecisse pacem. Ita non est hîc opus longa explicatione, cùm haec nil aliud sint quàm explicationes superiorum. Quaedam tamen sunt observanda.

De abrogatione legis.

Observanda est causa, cur Apostolus de abrogatione legis verba faciens, eam non vocavit vel תורה, seu doctrinam, vel simpliciter legem, sed legem mandatorum; nec hoc contentus adjecit, *in decretis* (nempe sitam). Causa est, quia voluit significare, non esse abrogatam nisi illam legis partem, quae inimicitias conciliabat inter utrumque populum, & quae impedimento erat, ne ex duobus populis unus fieret in Christo populus.

Haec autem erat ea potissimum pars legis, qua cultus, caeremoniae, & ritus in religione praecipiebantur; ab iis enim Gentes erant admodum diversae: et inde potissimum oriebantur inimicitiae.

Nonnihil etiam oriebatur inimicitiarum ex diversitate legum politicarum: sed cumprimis ex caeremonialibus legibus. Hanc igitur partem ait fuisse abrogatam per Christum: quam etiam legem mandatorum in decretis vocat, quia erant mandata de caeremoniis penè innumerabilia, tot & talia, quae à populo servari omnia non possunt, ut Petrus ait: Actor. 15.

At verò doctrinae quae habentur in lege, *de uno vero Deo colendo, de Fide, de Spe, de Caritate, de Timore Dei,* & aliae hujus generis doctrinae, non fuerunt abrogatae, imo stabilitae, per sanguinem Christi: id quod & de promissionibus

gra-

gratiae, quae in lege continentur, dictum esse volumus. Haec igitur causa est, cur non dixerit simpliciter legem aut Thora, sed legem mandatorum in decretis.

Quare hinc discamus, quid per Christum abrogatum sit & quid non sit abrogatum; id nimirum est abrogatum, quod impediebat, ne ex duobus populis fieret unus novus, id est, Christianus.

Atque tantum abest, ut doctrina *de Deo vero*, *de fide*, *de dilectione*, *item promissiones gratiae* impedire potuerint ne duo fierent unus populus Christianus: ut potius nemo queat esse Christianus sine hac doctrina, & studio horum verè bonorum operum, quae à fide & dilectione proficiscuntur.

2. Observanda est ista necessitas abrogandae legis. Ait Apostolus, Christum legem mandatorum abrogasse, ut duos conderet in seipso in unum novum hominem. Ergo non poterant condi in unum novum hominem in Christo, hominémque Christianum, nisi abrogaretur lex. Ratio multiplex est.

Una fuit, quod neque Gentilis cum Judaeo, neque Judaeus cum Gentili coire potuissent in unum populum, nisi animis pacatis & inter se amicis. Hoc docet Apostolus, dicendo: *sublatis inimicitiis factos fuisse unum:* v. 14. item dicendo: *facta pace* duos populos in unum novum hominem conditos fuisse in Christo. Atqui inimicitiae tolli non poterant, non sublata lege illarum causa. Ergo, &c.

Secunda ratio à regeneratione ducitur. Christianus esse non potest, qui aut Gentilis manet aut Judaeus. In Christo enim non oportet esse Judaeum aut Gentilem, sed novam creaturam: oportuit igitur & Gentilem suam deserere gentilitatem ac superstitionem, & Judaeum suum Judaismum, qui in caeremoniis & ritibus consistebat. Hoc enim erat Judaeorum proprium, quo ab aliis differebat populis: quando ipsa vera pietas debebat esse communis, sicut fuerat etiam ab initio mundi. Et revera multis Gentibus communis fuit cum Judaeis, sicut Jobo, Naamano, Cyro, & aliis multis.

Tertia à libertate petitur Christiana. Christianus esse non potest, nisi qui liberam habet conscientiam; & sub lege amplius non est, sed sub gratia. Hoc enim proprium esse Christiani hominis docet Apostolus ad Rom. & alibi.

Lege igitur liberari oportuit, qui in unum novum hominem creandi erant.

Quarta à fide, post adventum Christi. Ut quis verus sit Christianus, fide cumprimis in Christum opus habet, *qua jam credat Christum venisse, peccata expiasse, & Patri nos reconciliasse;* quemadmodum ante adventum necessaria erat fides, qua crederetur Christum venturum, & haec praestiturum. Atqui ritus omnes & caeremoniae fidem illam impediebant: praedicabant enim Christum venturum esse, peccata nondum esse expiata, sed expiatum iri per Christum, eóque post adventum Christi; negabant factum esse quod omnino factum erat, & quod jam factum esse fateri oportebat. Non poterant igitur populi illi duo in unum novum hominem, hoc est, in unam veram & Christianam Ecclesiam conjungi, nisi lex illa, de qua loquitur Apostolus, abrogaretur. Oportuit enim esse unam & eandem utriusque populi fidem, si debuerunt in unum hominem conjungi. Atqui non fuisset una & eadem, si Gentilis quidem juxta Evangelium credidisset Christum venisse, Judaeos verò juxta legem non venisse, sed duntaxat venturum esse. Ita apparet quae necessitas abrogandae legis fuerit: ut

meritò

meritò dicat Apostolus Christum abrogasse legem mandatorum in decretis, ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem. Ex quibus etiam facilè intelligitur, quid illi egerint, qui tempore Pauli ceremonias illas & ritus in Ecclesia tanquam necessarios ad salutem retineri volebant: nihil nimirum aliud, nisi ut negaretur Christum venisse, peccata expiasse, & salutem mundo attulisse: eóque impediretur, ne populi in unum novum hominem in Christo conderentur.

3. Neque praetereundum est, quòd Paulus usus sit hac locutione, ut non simpliciter dixerit, ut duo conderet in unum, sed in seipso: nec in unum populum, sed in unum novum, non populum, sed hominem.

Primùm, explicat quomodo intelligendum sit illud quod dixerat, *Qui fecit utraque unum*, nempe non ex Gentilis accessione unum tantùm Judaicum populum: sic enim non fuisset novus populus, sed vetus: neque etiam in Christo uterque populus coisset & coaluisset, sed in Mose. Multò minùs fecit unum, accessione Judaeorum ad Gentes, (haec enim fuisset manifesta à Deo Jehova ἀποστασία) sed ita fecisse Christus ex duobus populis unum intelligendus est, ut utrumque mutarit in alium populum, nempe in novum, in populum scilicet Christianum, in novam creaturam, in quo omnia renovarentur, sicut praedixerat se facturum per Jesaiam cap. 66. dicendo, *Vetera transierunt, Ecce nova facio omnia:* id quod fieri non poterat, nec potest, nisi in Christo, hoc est, per insitionem in Christum. Hoc igitur est primùm, quod ex illa locutione colligimus.

Deinde eadem dictione declaratur, qualis & quanta sit unitas piorum omnium in Christo: talis & tanta, ut quotquot Christo insiti sunt per Spiritum Sanctum pérque fidem, tum ex Judaeis tùm ex Gentibus (sunt autem infinita propè & innumerabilia hominum millia) omnes tamen dicantur ab Apostolo esse, & verè etiam sint unus tantum homo, unus, inquam, homo, cum ipso Christo: quia Christus hujus magni & ferè immensi hominis per totum orbem diffusi, ínque coelo & in terra existentis, caput est, singuli fideles membra. Quò pertinet, quod Apostolus totam Ecclesiam cum capite conjunctam vocat Christum ipsum 1. *Cor.* 12. Sicut enim corpus (inquit) unum est, & multa habet membra, omnia verò membra corporis unius, multa cùm sint, unum sunt corpus. Sic & Christus, id est, sic & Ecclesia, quae est corpus Christi. Et *Eph.* 1. Ecclesia πλήρωμα est illius qui omnia in omnibus implet, id est, Christi. An non magna & admirabilis est haec omnium electorum, à condito orbe in finem usque, tam ex Gentibus quàm ex Judaeis, partim in coelo existentium, partim in terris, ídque in omnibus terrae partibus degentium, unitas: qua fit, ut omnia sint verè unus homo, non simpliciter, sed novus? Quomodo verò unus sunt homo? non ratione personarum, quae revera sunt innumerabiles: sed ratione tum capitis unius, quod est Christus, cui omnes tanquam membra annexi sumus, tum respectu unius & ejusdem Spiritus, quo vivificamur, & quo capiti adglutinati sumus omnes. Cur enim etiam quisque nostrum unus dicitur esse, & verè est unus homo, cum tamen multa & varia sint membra? quia omnia & ab una eadémque anima vivificantur, & sub uno capite conjuncta continentur: adde etiam tertium respectum, quia una est & eadem omnium natura nova, *una caro de carne Christi, unum os ex ossibus Christi*, una natura divina, ut loquitur Petrus, omnibus communicata, quae nova vocatur creatura. Hanc rationem innuit etiam Apos-

Apostolus in contextu, quando ait, in unum hominum, non simpliciter, sed novum.

Unitas igitur haec, non ex personis, sed ex nova natura, *qua unum sumus in Christo capite, & ex Spiritu Dei, qui unus in omnibus est & omnes vivificat,* aestimanda est. Philosophi dicunt, multos homines individuos esse unum hominem specie: cur non & Christiani, personis multi, unus sint homo Christianus nova natura, *id est*, propter unam novam naturam, qua in Christo unus est & subsistit? De fidelibus in *Actis* 2. legimus, Erat illis anima una & cor unum; non simpliciter, sed in Deo: Et ita in Deo erant etiam unus homo: *Spiritu, fide, caritate, voluntate, consensu, novitate naturae.*

Intelligimus ergò, quanta & qualis sit esséque debeat omnium piorum in Christo unitas.

4. Quòd ait, *faciens pacem,* explicat quod antè dixerat de sublatis inimicitiis per carnem Christi, inimicitiis inquam, quae erant inter Judaeos & Gentiles. Si hae tollantur, quid superest aliud, quàm pax? Docet igitur populum non posse coire, nisi tollantur inimicitiae. Contra igitur, ubi caritas viget & vera amicitia, ibi non potest esse bellum, sed tantùm pax & consensio.

V. 16. *Et reconciliaret utrosque iu uno corpore Deo per crucem, peremta inimicitia per eam.*

Duplex suprà diximus fuisse Mediatoris pacificatorísque nostri officium. Unum, quo utrumque populum inter se conciliaret in unum. Alterum, quo utrumque simul conjunctum Deo reconciliaret & praesentaret.

De priore dixit; nunc de altero loquitur in hoc versu. Sic autem construenda sunt verba: Christus, pax nostra, legem abrogavit, ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem. Et, scilicet, legem abrogavit, ut reconciliaret utrumque in uno corpore Deo.

Docet igitur legis abrogationem non solùm ad hoc fuisse necessariam, ut duo populi simul inter se conciliarentur; verum etiam ad hoc, ut uterque populus in gratiam Dei simul rediret, in persona Christi.

Quatuor autem facit:

Primum, alteram causam affert abrogatae legis, ut scilicet utrumque populum Christus reconciliaret Deo.

Secundo, ubi facta sit haec reconciliatio: in corpore Christi.

Tertio, per quódnam medium: per crucem, inquit.

Quarto, quomodo? interempta inimicitia, per eandem crucem.

1. Ad primum quod attinet, oritur quaestio, quomodo fuerit necesse legem abrogari per Christum? quo possint Gentes Deo reconciliari. Nam de Judaeis non videtur ulla esse dubitatio: quoniam ipsi erant sub lege: proinde ab illa liberandi erant, ut possent esse sub gratia; sed quid illud ad Gentes, qui non erant huic legi obnoxii?

Respondeo; simpliciter non fuit necesse abrogari legem, quò Gentes servarentur; neque hoc dicit Apostolus: sed ut Gentes simul (nota illud *simul*) ut, inquam, Gentes unà cum Judaeis tanquam unus homo, vel saltem unus populus, reconciliarentur Deo: ad hoc demum necessaria fuit legis abrogatio. Quomodo enim simul poterant Deo recon-

reconciliari, si non erant simul in unum corpus conjuncti? Neque enim Christus seorsim populum Judaicum reconciliavit Patri, & seorsim Gentilem: sed omnes electos simul reconciliare voluit. Quò igitur simul possent cum Judaeis Gentes Deo reconciliari, abrogari legem Judaeis necesse fuit. Hinc apparet Apostolum hîc non loqui de conjunctione utriusque populi, qua realiter conjuncti fuerunt inter se, vocati pariter ad Christum per Evangelium: sed de ea, quam Christus in cruce per carnem & sanguinem suum impetravit. Tunc enim simul fuerunt Deo reconciliati. Res igitur ita se habet:

Christus in cruce per suum sanguinem abrogavit legem: unde & dixit in cruce, *consummatum est.*

Secundo, lege abrogata, impetravit, ut populus cum populo in unum corpus tandem coiret: Ergò utrumque populum, tanquam jam in unum hominem collectum. Patri simul reconciliavit, tametsi nondum reapse erant simul collecti; id quod postmodum factum est per praedicationem Evangelii.

Ita sensus est perspicuus: Christum ideò legem abrogasse, ut utrumque simul populum, inter se conciliatum & ceu unum factum hominem, Deo simul etiam reconciliaret.

II. De secundo, ubi facta sit haec reconciliatio, ait Apostolus, *in uno corpore*: intellige, in uno & eodem Christi corpore: quoniam idem Apostolus interpres sui est ad Coloss. 1. Vos (inquit) reconciliavit in corpore illo carnis suae, ut vos sisteret sanctos. Alii interpretantur, in corpore uno, nempe mystico: ut sit sensus, Christum omnes Electos, ceu jam in unum corpus collectos, tunc habuisse ante oculos, & in eodem corpore singulos Patri reconciliasse. Sed distinguendum est corpus mysticum totius Ecclesiae, quod reconciliatum est, à corpore carnis Christi, in quo illud fuit reconciliatum.

Et sic distinguit Apostolus loco ante citato ad Coloss. Et consentanea est haec interpretatio cum eo, quod etiam suprà dixit vers. 15. *Ut duos conderet in seipso in unum novum hominem.* Ibi ait, in seipso: hîc ait, in uno corpore; intellige cum Paulo, *carnis suae.*

Confirmatur hîc doctrina, quam antè etiam tradidit, omnes simul electos in una & eadem Christi persona fuisse in cruce Patri reconciliatos; ita ut quatuor hîc sint propositiones per se notae & certae.

Prima, extra personam Christi nemo unquam potuit aut potest Deo reconciliari: quotquot enim Christus reconciliavit, reconciliavit in corpore suo, hoc est in seipso.

Secunda, omnes simul electi, tanquam in unum corpus collecti, semel reconciliati fuerunt Deo per Christum in cruce: Ideò enim Christus omnes simul conjunxit, ut una & eadem oblatione omnes simul in uno & eodem suo corpore Deo reconciliaret: hinc sequitur

Tertia, Qui non fuerunt in cruce Christi, unà cum aliis, id est, cum toto Ecclesiae corpore reconciliati, speranda illis non est ulla alia reconciliatio.

Quarta, sicut fieri nequit ut tota Ecclesia pereat, quae semel fuit reconciliata: sic fieri etiam non potest, ut pereat, qui cum corpore Ecclesiae fuit semel per Christum Patri reconciliatus.

III. De tertio, hoc est, per quódnam medium simus omnes in corpore

Christi

Christi Deo reconciliati, ait Apostolus, *per crucem:* intelligit sacrificium in cruce oblatum. Quod enim suprà dixit, per sanguinem Christi, & postea per carnem suam, nunc dicit per crucem. Ergo, per crucem nil aliud est quàm per sacrificium corporis & sanguinis sui, in cruce oblatum, nos esse Patri reconciliatos. Quanti igitur aestimanda est haec reconciliatio, quae facta est per effusionem sanguinis Filii Dei in cruce effusi, & per sacrificium carnis ac corporis ejus in cruce peractum?

IV. Sed quartum consideratione dignum est, quomodo facta sit haec reconciliatio: ait, Peremta inimicitia per eam.

De inimicitia loquitur, quae inter Deum & nos propter nostra peccata exorta fuerat. De inimicitiis inter utrumque populum dixit eas fuisse solutas: λύσας (inquit) τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ τὴν ἔχθραν. Sed de inimicitia inter Deum & nos, ait, eam fuisse interemtam. Significatur, posse quidem renovari inimicitias inter populum & populum, inter hominem pium & pium: sed inter Deum & Electos nullam amplius esse posse: quia haec interemta est penitùs per crucem Christi. Quid enim hanc exsuscitare potest? peccata certè, quae sola excitarunt inimicitiam hanc, deleta sunt per sanguinem Christi, nec ampliùs imputari possunt electis, qui sunt in Christo Jesu: *Rom.* 8. Nihil damnationis, &c.

Ergò amicitia, cum Deo per Christum comparata, constans & sempiterna est, nec ab ea separare quidpiam nos potest: quid ita? quia inimicitia omninò & funditus peremta est. Hoc est quod Apostolus ait *Rom.* 8. Quis nos separabit à caritate Dei, &c.

TERTIA PARS.

De Evangelii praedicatione.

V. 17. *Et veniens* (καὶ ἐλθὼν) *evangelizavit pacem, vobis qui procul & iis qui propè.*

V. 18. *Quia per illum habemus adductionem utrique in uno Spiritu ad Patrem.*

Hactenus explicavit beneficium reconciliationis & pacis, quam Christus Electis omnibus, tam Judaeis quàm Gentibus, tùm inter ipsos tum cum Deo, in cruce comparavit, sublatis & interfectis inimicitiis per crucem. Nunc quomodo haec pax innotuerit Mundo, Judaeis & Gentibus, & quomodo communicetur, declarat: nempe per Evangelii praedicationem.

Duo autem sunt membra prioris, id est, 17. versus: Ac

Primò docet Apostolus, Christum, sicut autor fuit pacis, sic etiam primarium esse ejusdem publicatorem & donatorem: illum enim venisse, ac Evangelium hoc attulisse.

Alterò quibúsnam pacem hanc denunciet, nimirum non tantùm Judaeis qui erant propè, sed etiam Gentibus qui erant longè: hoc est, omnibus hominum generibus. Sed nos utrumque simul explicabimus. Ait ergó: *Et veniens* (quis? Christus: de eo enim hactenim locutus est) *Christus ergò qui est pax nostra, qui ex utrisque fecit unum, qui legem abrogavit, qui duos condidit in unum novum*

novum hominem, faciens pacem: qui utrumque populum simul reconciliavit, is idem veniens evangelizavit: id est, laetum attulit nuncium, quo nullum laetiùs adferri à quopiam poterat: Quid enim evangelizavit?

Pacem, pacem, scilicet, quam etiam fecit, & nobis acquisivit: pacem nimirum cum Deo, & pacem cum proximo, adeóque cum tota Ecclesia: de quibus hucúsque disseruit Apostolus: quarum prior, nempe cum Deo, causa est posterioris.

Ideo enim pax facta est inter utrumque populum, quia Christus pro utroque mortuus est, & sua morte utrumque reconciliavit Patri.

Haec est pax, quam Christus & fecit primum, & deinde etiam ἐλθὼν, *veniens* (nempe ad utrumque populum, tam ad eum qui procul erat, quam ad eum qui propè, ut mox sequitur in ipso Apostoli contextu) *utrique etiam evangelizavit: evangelizavit,* inquam, *pacem,* hoc est, *reconciliationem sanguine suo partam, & nobis à Patre impetratam: ac proinde peccatorum remissionem, liberationem à morte, è manibus Satanae, & denique vitam aeternam.* Nomine enim pacis mundo evangelizatae totum Christi beneficium, quod Evangelio praedicatur, complexus est Apostolus.

Sed oritur hîc quaestio de hoc Christi adventu & praedicatione ad Gentes. De illis enim qui erant propè, id est, de Judaeis, res est perspicua: Christum ad illos venisse & praedicasse; unde & minister circumcisionis appellatur, & Christus ipse dixerat se missum esse ad oves quae perierant domus Israel. Matth. 15. Et Jesaiae oraculum citavit, quo suam vocationem ad praedicandum comprobaret, dicendo. *Spiritus Domini super me, ad evangelizandum pauperibus misit me.* Luc. 4. Et quidem officium hoc fecit, tum ante pacem in cruce partam, omnibus Judaeis evangelizando, tum post resurrectionem per dies 40 loquens de regno Dei cum suis discipulis. Ita de adventu & praedicatione ad Judaeos nulla est quaestio: sed quod dicitur ad Gentes venisse, & illis evangelizasse, cùm nihil hac de re scribant Evangelistae, imò cum hoc neget Christus ipse, dicendo, se non esse missum, nisi ad oves quae perierant domus Israel: hoc aliquam dubitationem parit.

Resp. Solutio brevis est: Christus, secundùm praesentiam sui corporis, non venit ad Gentes, sed venit in Apostolorum personis, praesertim Pauli, & per illos locutus est: unde & dixit Apostolis, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri is est, qui loquitur in vobis:* Mat. 10. Spiritus autem Patris est etiam Spiritus Christi: Ergo Christus loquebatur in Apostolis per suum Spiritum: confirmante hoc Apostolo ipso ac dicente, *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* 2 Cor. 13. Verè igitur dixit Apostolus, Christum venisse & praedicasse etiam iis qui erant procul, id est, Gentibus.

Ita observanda est hîc majestas ministerii Ecclesiastici, quando Christus ille ipse est, qui in personis legitimorum ministrorum venit ad nos, & praedicat Evangelium per illorum ora, & Sacramenta administrat per ipsorum manus: per sese autem, pérque suum Spiritum, in Electorum cordibus veritatem Evangelii inscribit, & virtutem Sacramentorum efficaciter operatur. Duo enim Actionum genera sunt in ministerio, quando cum Electis agitur, una est

externa

externa, nimirum Evangelii praedicatio, & externa aquae, panis & vini administratio: altera interna, scilicet cordis à peccatorum sordibus ablutio ac regeneratio, interna veri corporis Christi manducatio, & veri sanguinis ejus potatio. Utriusque autem autor & effector est Christus: unius per se, ac per Spiritum suum, alterius per homines. Ita primarius verúsque minister Ecclesiae & Episcopus est Christus: quia is est, qui ad evangelizandum nobis pacem, & ad eandem per Sacramenta, non externis tantum actionibus sed maximè internis, confirmandam quotidie venit: ut eam nimirum cordibus nostris inscribat, insculpat, infigat.

Hinc etiam liquet ad alteram, quae fieri potest, quaestionem responsio. Quorsum (inquiet aliquis) haec pacis praedicatio? si facta est in cruce, citra omnem controversiam, omnes illi, quibus à Christo placatus & reconciliatus fuit Pater, servabuntur, etiamsi nihil unquam hac de re audire potuerint, ut liquet de infantibus fidelium.

Resp. Quod dicis, non inficiamur, imò confirmatum fuit à nobis paulo antè propositione quarta. Neque enim perire possunt, quos semel Christus servavit sanguine suo. Sed non sequitur, frustra ergo pacem hanc cum Deo factam praedicari. Habet enim suos usus, eósque magnos & salutares: quorum tres sunt praecipui, inseparabiles quidem à se invicem, sed tamen distincti inter se.

1. Primus est fides, *qua ex auditu Evangelii Christum pacem nostram beneficiúmque reconciliationis nobis per eum partae cognoscimus & amplectimur, eóque justificamur.*

2. Alter est pars conscientiae, *quam ex cognitione Dei nobis reconciliati & placati per Christum consequimur.*

3. Tertius est, *nostri vicissim cum Deo reconciliatio, eóque & regeneratio, mutatióque vitae, qua Deum glorificamus.*

Singulos breviter explico: sed si prius declarem, quid sit *Deum nobis reconciliatum esse per Christum*, seu quid sit *haec pax*, quam Evangelium annunciat per Christum factam esse inter Deum & inter nos.

Deus quomodo reconciliatus.

Quod legimus & audimus, Deum per Christum nobis esse placatum & reconciliatum: non est id ullo modo carnali & humana cogitatione intelligendum, quasi in Deo facta sit aliqua mutatio, sicut in nobis fit, *cum ex iratis placamur, & ex inimicis fimus amici, odio in amorem mutato.* Tales de Deo cogitationes procul absint à mentibus fidelium. Deus enim, & quicquid in Deo est, prorsus immutabile est: eóque & amor, quo nos electos suos amavit ab aeterno in Christo immutabilis ac sempiternus est: & odium, quo dicitur reprobos, impios odisse, nunquam mutatur: id quod & de ira, quae in Deo esse dicitur, omninò intelligendum est. Quid autem iis nominibus & attributis amoris, odii, irae intelligendum sit, in libro de Natura Dei abundè fuit explicatum. Certum tamen est, nominibus istis seu locutionibus, nimirum Deum esse placatum & reconciliatum, mutationem aliquam significari: quae cùm non cadat in Deum, eam aut in nobis fieri, aut in Dei effectis omnino necesse

necesse est. Sed quae fit in nobis ea vocatur nostri cum Deo reconciliatio, de qua 2. *Cor*. 5. Obsecramus pro Christo, reconciliemini Deo. Evangelium autem annunciat pacem, qua Deus placatus nobis esse dicitur.

Notandum igitur est, cùm scriptura dicit, *Deum in Christo & per Christum nobis reconciliatum esse*, seu *iram ipsius placatam*, his & similibus locutionibus hoc propriè significari: nempe, *Christum usque adeo sua obedientia, sanguine, morte, & sacrificio crucis, justitiae divinae pro peccatis nostris satisfecisse, ut ira illa immensa Dei & aeterna*, id est, *mors aeterna peccatis nostris debita* (ea enim effectum est irae, quae in Deo est, id est, justae voluntatis Dei decretíque divini, de puniendis peccatis nostris) ut, inquam, illa ira Dei, id est, aeterna mors, aversa à nobis sit propter Christum, imò in summam benevolentiam erga nos, *id est*, in donum aeternae vitae & felicitatis conversa: erga nos, *inquam*, qui electi fuimus in Christo ante Mundi constitutionem: & pro quibus propriè mortuus est, & satisfecit divinae justitiae Christus. Haec propriè est pax, quam Christus & fecit, & factam esse inter Deum & nos, per Evangelium annunciavit & annunciat. Sicut & ex Esaia Apostolus declaravit ad *Rom*. 10. Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, evangelizantium salutem. Posterioribus verbis explicavit priora, quod, scilicet, evangelizare pacem inter Deum & nos factam, nimirum nil aliud sit quàm evangelizare, propter satisfactionem Christi, nos ab ira Dei, id est, à malis, quae nobis debebantur, esse liberatos. Et contrà bona, quae non debebantur, esse consecutos, id est salutem vitámque aeternam. Iis enim effectis & beneficiis declaratur, Deum nobis esse propitium, nos amare & complecti, ut filios in Christo, qui amor Dei erga nos non tum coepit, cùm Christus pro nobis satisfecit in cruce, sed longè antè, id est ab omni aeternitate praecessit. Imò ex illo amore aeterno factum est, ut Christus sit missus ad tollenda peccata nostra in cruce, liberandosque nos ab ira Dei, cujus eramus natura filii, id est, ab aeterna damnatione nobis debita. Hoc demum est, Deum nobis placatum esse per Christum. Ita videmus, per hanc pacificationem & reconciliationem, nullam esse factam in Deo mutationem, sed in effectis: quia quae debebatur ira, id est, aeterna mors, mutata est in summam benevolentiam, id est, in donum vitae aeternae atque salutis, manifestum benevolentiae divinae testimonium.

Nunc intelligimus, quid sit Deum illiúsque iram placatam per sanguinem Christi: ac proinde quid sit illa pax, quam Christus fecit inter Deum Patrem & inter nos, quámque per Evangelium annunciavit & quotidie annunciat omnibus, tam iis qui longè, quàm iis qui propè. Hinc facilè etiam intelligimus, quanquam pax, semel facta per Christum in cruce, firmata & constabilita est, ita ut quibuscunque placatus est Deus, ii perire nullo modo possint: non interim tamen frustrà per eundem Christum pacem hanc evangelizatam fuisse, & evangelizari quotidie: sed habere suos salutares, imò ad fruitionem istius pacis, necessarios usus.

Primus igitur est, quod dum audimus praedicari nobis hanc pacem, inter Deum & inter nos, esse factam, ídque per Christum filium Dei, factum propter nos filium etiam hominis, & pro nobis in cruce mortuum. Et quidem totum hoc ex aeterno Patris decreto, & propter eximiam caritatem, qua dilexit nos,

nos, esse peractum. Ex auditu, inquam, hujus Evangelii gignitur in nobis fides, (ut est ad Rom.10) qua & Deum immensámque ejus erga nos bonitatem, & Christum, quis & qualis erga nos sit, & tam magnum atque admirandum hujus pacis per Christum factae beneficium, omnem humanum captum alioqui superans, cognoscimus, & cognitum amplectimur. Quid autem hac cognitione & fide magis necessarium? Haec enim est certa nostri justificatio & salus: cùm credimus Evangelio, hanc pacem annuncianti: quae justificatio tum remissione peccatorúm, eóque & liberatione à morte aeterna, tum imputatione justitiae, atque obedientiae Christi, eóque & donatione vitae aeternae constat.

Alter, est pax conscientiae, quae ex fide, de certissima pace cum Deo per Christum comparata, eóque ex justificatione nascitur: dicente Apostolo, *Justificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum.* Rom. 5. Nam antequam certiores fiamus de remissione peccatorum, eóque de Deo erga nos bene affecto propter Christum, conscientia nostra semper fluctuat, aestuat, variísque agitatur procellis, metuens ne Deus tandem aliquando peccata nostra ulciscatur. Nemo est enim, qui non sit conscius peccatorum. Et qui etiam ignoret Deum esse justum judicem & vindicem scelerum. Quomodo igitur potest conscientia esse pacata, antequam de pace cum Deo facta certior fiat? Fit autem certior ex Evangelii praedicatione, si illi credat. Quare non frustrà Christus factam à se pacem evangelizari etiam voluit & vult.

Tertius usus est, nostri vicissim cum Deo reconciliatio. Differt enim haec, qua nos quotidiè cum Deo reconciliamur, ab illa, qua ipse semel per Christum nobis placatus & pacatus fuit. Locus de utraque insignis est in 2. Cor. 5. à ver. 18. in finem usque capitis. Ubi primùm ait, Deum fuisse in Christo mundum sibi reconciliantem (id est, ut explicatè non imputantem illis peccata ipsorum). Atque hoc est quod Evangelium annunciat: Deum, scilicet, propter Christum placatum non imputare amplius nobis peccata. Deinde pro officio sibi injuncto rogat Apostolus Corinthios, ut Deo ipsis reconciliato, vicissim & ipsi reconcilientur. *Rogamus* (inquit) *reconciliamini Deo.* Quid autem est reconciliari Deo? Est iram, odium, & simultatem, quam adversus Deum conceperamus, deponere, illùmque agnoscere, & habere pro amico, pro benefactore, pro servatore, pro nostro Deo, pro Patre; illíque promittere fidem, amicitiam, obsequium, obedientiam. Sic enim solent & debent, qui alteri reconciliantur, facere.

Deum an quis oderit.

Sed fieríne potest, ut quis odio habeat Deum? Resp. Deum nemo simpliciter odit, *quatenus*, scilicet, *Deus est summum bonum omnibus benefaciens:* pugnat enim hoc cum natura, odisse beneficos, quatenus benefici sunt: imò omnes appetunt & amant bonum. Ergo Deum simpliciter, *quatenus est summum bonum,* nemo odisse potest. Sed omnes homines, ante conversionem ad Christum, Deum oderunt κατά τὶ, *quatenus* (scilicet) *est peccatorum nostrorum conscius, & justus Judex.* Nemo enim vellet peccata sua aliis, praesertim judicibus, innotescere neque etiam puniri, ut notum est. Cùm igitur omnes homines peccent, & omnes à natura edocti sciant Deum omnia nostra scelera videre,

&

& praeterea esse illorum vindicem: Philautia efficit ut omnes oderint in Deo has proprietates, sapientiam qua videt mala nostra, & justitiam qua eadem ulciscitur. Odisse autem haec in Deo, an non est odisse Deum? qualis enim Deus fuerit, si neque omnià norit ac videat, & si peccata non puniat, ac justus non sit? Ergò antequam quis persuasus sit de pace facta per Christum inter Deum & inter nos, eóque de remissione peccatorum: fieri nequit, ut Deo pareat, illum pro amico habeat, illíque velit esse subjectus & amicus. Hoc autem est nolle Deo reconciliari.

Atqui per Evangelium fimus certiores de pace facta: per Evangelium igitur hoc consequimur beneficium, ut certi de placato nobis Deo, nos illi vicissim libenter reconciliemur, depositóque odio, illum amare incipiamus, eíque ex animo subjiciamus nos ipsi, & ejus voluntati obtemperemus. Quid hoc autem est, quam renovatio cordis atque animi, totiùsque hominis regeneratio? Qui autem sic renovatus amicúsque Dei effectus est: is cum omnibus etiam amicis Dei, *id est,* cum piis omnibus pacem & amicitiam colet, quantum potest, in Domino, & perpetua sanctitate vitae Deum glorificare conabitur. Hi sunt tres praecipui usus praedicatae nobis pacis, per Christum partae.

Quò pertinet, quod in scripturis legitur & scribitur, de triplici pace, de pace cum Deo, de pace nobiscum & conscientiae, de pace cum proximo. Omnem autem pacem habemus à Christo, per Evangelium nobis manifestato: quia omnem etiam nobis suo sanguine comparavit.

Adde *quartum* usum, qui est ex accidenti: is est, quod dum praedicatur haec pax electis credentibus, reprobi non credunt, sed sua incredulitate illam reiiciunt. Hinc verò fiunt ipsi inexcusabiles, Deus autem, cum postea in eos fert sententiam, justus ab omnibus agnoscitur & praedicatur, eóque & glorificatur.

Quòd verò priori loco ait, Christum praedicasse hanc pacem iis, qui longè, *id est,* Gentibus, & post subdit, & iis qui propè, *id est*, Judaeis, cùm tamen legamus Christum priùs Judaeis per sese praedicasse Evangelium, & postmodum per Apostolos Gentibus: id non credo ab Apostolo factum esse imprudenter, aut voluisse Judaeis illam eripere gloriam, quam saepè illis attribuit, cùm ait, Evangelium esse in salutem omni credenti, Judaeo primum, & (deinde) Graeco, Rom. 1. Sed voluit significare Ephesiis, aliísque Gentibus, quanquam illi fuerunt longinqui, Judaei autem & loci vicinitate, & foederis societate propinqui, non propterea tamen Christum illos prae Judaeis contemsisse, aut posteriore loco habuisse in salutis & pacis cum Deo communicatione. Imò impleri jam coepisse, quod Christus saepè solitus fuit dicere, futurum, scilicet, *ut qui debebant esse primi, ii fiant novissimi. Et qui novissimi erant, fierent primi.* Proinde videmus non diu fuisse Evangelium post resurrectionem Christi praedicatum Judaeis, & quidem paucis etiam efficaciter fuisse praedicatum: sed illis hanc contemnentibus pacem, Apostolos se contulisse ad Gentes, illísque pacem hanc summo & maximo cum fructu per totum terrarum orbem annunciasse & evangelizasse. Futurum tamen dicit Apostolus ad Rom. 11. ut, postquam intraverit plenitudo Gentium, totus quoque Israel, qui reliquus fuerit, salvus fiat. Ita revera primi facti fuerunt novissimi: & qui novissimi esse videbantur, facti fuerunt primi. Et qui procul erant, facti sunt propius, nempe

nempe Gentiles, & qui propinquiores erant, ratione loci & foederis, facti sunt longinquiores in pacis receptione, si totum Israelem, de quo Apostolus ad *Rom*, respicias, qui ad finem convertendus est ad Christum, ablato velamine, quod adhuc manet super corda eorum.

Hanc puto esse causam, cur Apostolus primum dixerit, *Vobis qui longè*, & post subjecerit, *Et iis qui propè*. Pluribus enim & efficacius praedicavit Christus per Apostolos pacem hanc inter Gentes, in longinquis à Judaea regionibus, quam fecerit per sese in sua Palaestina suis vicinis Judaeis. Quia tamen eadem efficacitate evangelizaturus est ad extremum sub finem seculi etiam reliquis Judaeis: ideo secundo loco ponuntur, & Gentiles priori.

v. 18. Ὅτι δἰ ἀυτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγήν, *ambo in uno Spiritu ad Patrem.*

Bifariam exponi potest iste versus: *Primo*, ut illud, ὅτι, particula sit explicativa, quòd: quo sensu non semel & iterum accipi legimus in sacris literis: Vel sit αἰτιολογικὴ, enim. Si *prima* interpretratio admittatur, sensus fuerit iste, Christum evangelizasse pacem utrisque, Gentibus & Judaeis: quamnam pacem? nempe: Quod utrique accessum jam habent ad Patrem, placatus cum sit sanguine Filii.

Si secunda, quae magis probatur, & magis etiam recepta est, sensus fuerit, Christum ideò pacem evangelizasse, non solis Judaeis sed etiam Gentibus: quoniam utrique etiam, & non soli Judaei, accessum jam habeant seu adductionem ad Patrem: quasi dicat, quoniam utrique pacem hanc consecuti sunt, ideò utrisque etiam fuit annuncianda. Huic interpretationi favent illae tres particulae, Prima, οἱ ἀμφότεροι: Secunda, ἐν πνεύματι: Tertia, *ad Patrem*, nempe unum utriusque populi ex aequo communem. Placet haec secunda interpretatio: tantùm hoc velim addi, voluisse Apostolum probare, Christum non solum Patrem in cruce tam Gentibus quam Judaeis reconciliasse, verum etiam sua praedicatione fecisse hujus pacis participes, tam ipsos Gentiles quam pios ex Judaismo: unde probat? ab effecto, hoc est, ab invocatione ejusdem Patris, per eundem Christum, in eodem Spiritu, ut argumentum tale sit: *Utrique per eundem Christum, inque eodem Spiritu, ad eundem Patrem invocandum adducimur*, seu accessum habemus & accedimus: hoc assumit tanquam manifestum. Ergò tàm vobis Gentibus, quàm nobis Judaeis, & Pater per Christum est reconciliatus, & per eundem Christi Spiritum pax haec efficaciter annunciata est & communicata: ut de vocatione vestra ad gratiam Evangelii dubitandum non sit, quin fuerit à Christo per suum Spiritum, cum me ad vos misit, evangelizatum.

Cum hac interpretatione ita explicata optimè congruit conclusio, quae sequitur: *Ergo jam non estis amplius hospites & advenae, sed estis* (nempe reipsa propter efficacem Christi per meum ministerium vocationem) cives sanctorum, & domestici Dei, &c. Neque enim mihi dubium est, quin Apostolus voluerit concludere, Ephesios non solùm per Christum in cruce fuisse reconciliatos Patri: verùm etiam hujus reconciliationis & pacis, unà cum Apostolis alíísque piis inter Judaeos, per eundem Christum, communicato suo Spiritu in

 mini-

ministerio Pauli, jam reipsa factos esse participes. Non igitur permittendum esse, ut abducantur à Christo: id quod fieret, si sinerent sibi persuaderi, ad salutem non sufficere fidem in Christum, sed opera etiam legis esse necessaria. Haec est summa horum duorum versuum. Interim quaedam explicanda & observanda sunt in hoc v. 18.

Ex dictione ὅτι, quoniam: Seu ex eo, quòd probat ideò Christum praedicasse pacem non solùm Judaeis, sed etiam Gentibus, *quia utrique etiam accessum jam habeant ad eundem Patrem, per eundem Christum, & in eodem Spiritu:* colligimus causam, cur Evangelium praedicandum sit non solis Judaeis, nec solis Gentibus; sed tam unis quam alteris eam esse, quia nimirum neque solis Judaeis, aut solis Gentibus, sed utrísque simul patefecit Christus aditum ad Patrem utrisque ex aequo reconciliatum & placatum.

At, inquies: Ergò hinc etiam sequitur, non esse praedicandum Evangelium reprobis, quoniam illis non est reconciliatus Deus: Christus enim pro solis Electis mortuus est, & non pro reprobis, sicut idem dixit in sua oratione, *Non rogo pro mundo, sed pro iis qui credituri sunt in me.* Johan. 17.

Resp. Optimè dicis. Est enim regula Christi & mandatum, *Nolite sanctum dare canibus, & nolite margaritas spargere ante porcos.* Matth. 7. Sed hîc duo requiruntur: Primùm, ut noris qui sint reprobi, & qui non: Si enim non noris, quomodo poteris dissimulare illis Evangelium? Secundò, Etiamsi nosses, si tamen mixti sint cum Electis, Evangelium est omnibus proponendum propter Electos, ut ipsi salvi fiant. Exemplum habemus Christi: qui licet nosset, quínam inter Judaeos essent Electi, & qui reprobi: quia tamen cum reprobis mixti erant electi, idcirco in gratiam Electorum omnibus proponebat Evangelium, ut qui haberent aures ad audiendum, audire possent & servari.

De accessu ad Deum.

Sed majoris momenti est, quod scribit Apostolus de accessu nostro ad Patrem per Christum in eodem Spiritu. In hoc enim consistit Christiana pietas, nostráque salus: ut habeamus accessum ad Patrem, & ad illum verè accedamus. Est igitur diligenter hic locus de accessu ad Deum examinandus: praesertim quia frequenter occurrit in sacris literis. Sciendum igitur est duplicem esse accessum ad Deum: Unum, qui fit dum sumus in hac carne: alterum, qui fiet cùm exuti hac carne venimus praesentes in ejus conspectum, & ille erit omnia in nobis. De priori loquitur hîc Apostolus.

Observo autem in hoc contextu capita de isto accessu sex.

Primum. Quinam habeant accessum ad Patrem, nempe omnes quibus reconciliatus est Pater per Christum, in cruce; tam Gentiles, qui longè erant, quàm Judaei, qui propè: ii autem sunt tantùm electi ex utroque populo. Excluduntur ergò reprobi, quibus non est pars in hac pace & reconciliatione. Isti neque habent nec unquam habituri sunt hunc accessum, de quo Apostolus loquitur: eóque nec alterum in coelo.

Sunt porrò Electi, quibus Deus est reconciliatus per Christum, duorum generum: alii, qui annunciatam pacem ac reconciliationem per Evangelium credunt,

credunt, fidéque amplectuntur: ac proinde justificati & pacem consequuti ipsi quoque, posita omni falsa, quam de Deo conceperant, opinione, positóque omni odio, Deo vicissim reconciliantur. His non solum patet accessus ad Deum; sed etiam sumta fiducia ad eum reipsa accedunt, cùm invocant, deprecantur culpam, praeteritáque peccata omnia condonari petunt, promittunt fidem & obedientiam, & in summa confugiunt ad eum in omnibus suis necessitatibus, tanquam Filii ad Patrem. Alii sunt, quibus aut nondum praedicata est haec pax, aut qui annunciatam, sed nondum persuasam, nondum etiam sunt amplexi, amplexuri tamen suo tempore. Iis semper patet aditus ad Deum: verùm nondum audent accedere, quia nondum nòrunt Deum sibi esse placatum, accessuri tamen, ubi hanc pacem per Christum factam verè intellexerint, persuasámque habuerint.

Hoc est primum caput: de illis, qui accessum jam habent ad Deum. Electi nimirum, qui jam per fidem conscientias habent pacatas.

Secundum est, per quem habeatur iste accessus: neque enim cuipiam patet accessus ad Deum, nisi per Mediatorem aliquem & ductorem, qui nos adducat, & in conspectum Dei sistat. Proinde Apostolus hunc accessum non simpliciter vocavit accessum & aditum: sed προσαγωγὴν, adductionem, quia fit per alterius ductum & manum.

Romani habebant suos minores Deos, qui addúcerent ad Jovem. Alii suos sanctos, qui pro ipsis intercedant, & per quos adducantur ad Deum.

Apostolus autem ait nobis hunc esse Christum, nempe solum, per quem habeamus accessum ad Patrem. Ille enim, qui fecit pacem, qui Patrem nobis reconciliavit, qui vicissim nos reconciliat Patri, qui pacem item à se factam evangelizat, quíque aperuit aditum ad Patrem: is etiam solus est, per quem adducamur ad Patrem. Ideò ait Apostolus, δἰ αὐτοῦ *habemus*. Hoc idem Christus confirmat, dicendo: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Item, *Ego sum via*, scilicet, ad Patrem, Joh. 14.

Tertium de ipso est accessu, qualis sit: ait enim, nos habere προσαγωγήν. Primum, omnis ad Deum accessus amicitiam cum Deo significat: sicut, quod alicui semper pateat aditus ad Regem vel Principem, testimonium est amicitiae. Quod igitur per Christum pateat nobis aditus ad Patrem, significatur nos per Christum factos esse amicos Dei Patris. Deinde omnis liber aditus ad Deum, sicut & ad aliquem Principem, duplex est: Unus eorum qui semper fuerunt amici Dei, & eum nunquam offenderunt. Talis est aditus, quem habent Angeli boni ad Deum. Sunt enim & semper fuerunt in conspectu Dei, tanquam perpetui & constantes amici Dei. Alter eorum, qui in Deum peccarunt, eúmque iniuriis affecerunt. Talis est aditus noster: ac proinde qui duabus rebus opus habet. Primum, ut per quem fuimus reconciliati Deo, per eundem etiam ad Deum adducamur, qua de re supra dictum est. Deinde ut semper cum fiducia quidem & παῤῥησίᾳ propter Christum, sed tamen etiam cum humilitate animíque demissione accedamus ad Deum, memores iniquitatum nostrarum in eum admissarum, quanquam condonatas esse non dubitemus dubitaréve debeamus. Hoc modo affecti sancti omnes; nempe & fiducia propter Christum, & animi demissione propter factas injurias, licet condonatas, accedunt ad Deum, & accedere soliti semper fuerunt: quemadmodum multis exemplis ex sacris etiam literis demonstrari posset, si necesse esset. *Quar-*

Quartum est de eo quod dixit, Nos habere hunc aditum in Spiritu. Docet igitur, accessum hunc ad Deum non esse carnalem, sed spiritualem: nec fieri pedibus corporis, sed Spiritus. Idque jure: quoniam Deus quoque Spiritus est, & qualis Spiritus? immensus & ubique praesens: ac proinde, ad quem ut accedas, non est opus pedum & corporis motu: sed mentis tantùm ac spiritus actione. *Quo enim ibo à Spiritu tuo* (dicebat David) *aut quo à facie tua fugiam? si ascendero in coelum tu illic es &c.* Ps. 139. Quod David de fuga à Deo dixit: idem de accessu ad Deum nobis dicendum est.

Accessum (inquit Apostolus) *habemus in Spiritu.* Quid hinc sequebatur & sequitur? nimirum tam qui procul erant, quàm qui propè, eodem temporis momento, accedere potuisse ad Deum. Sequitur etiam, accessum nostrum in coelum, qui nunc fit ad Christi corpus in coelo existens amplectendum & percipiendum nobisque incorporandum, non opus habere longa mora, quia fit in Spiritu & spiritualis est.

Conclusio verò est, ad hunc accessum opus esse Spiritus Sancti auxilio: qui spiritum nostrum afficiat ducátque ad Deum, & ad Christum in coelo sedentem, *hoc est* inde dominantem & regnantem. Loquitur enim Apostolus de Spiritu Sancto nostrum spiritum regente.

Quintum est, quod non solum dicit, in Spiritu, sed in uno Spiritu. Ad unitatem semper Apostolus omnia revocat, cùm alibi tum praesertim in hac Epistola. *Unus est Deus, unus Mediator Jesus Christus, unus Spiritus, una Ecclesia ex duobus populis collecta, imo duo populi in unum hominem conditi.* Sicut ergo dixit, accessum nunc haberi per unum Mediatorem Christum ad unum et eundem omnium Patrem, sic etiam ait haberi in uno & eodem Spiritu.

Loquitur autem de persona Spiritus Sancti: de quo ad Rom. c. 8. quòd ipse interpellet pro nobis gemitibus inenarrabilibus: *id est*, quod faciat interpellare: & ad Gal. quòd in eo nobis donato clamemus *Abba Pater*, Gal. 4.

Docet igitur omnes fideles unum & eundem Spiritum habere, ab uno & eodem Patre, per unum & eundem Filium Mediatorem: omnes ab eodem duci & regi Spiritu Dei, eóque omnes in eodem Spiritu accedere ad Deum Patrem eúmque invocare. An non etiam singula corporis membra ab una & eadem anima ad suas quoque actiones & motus aguntur & reguntur? Hinc sequitur ejusdem corporis membra non esse, quae, non ab uno & eodem Spiritu, sed à diversis moventur & ducuntur. Et sic de corpore Ecclesiae sentiendum est. Omnes enim fideles, tam longinqui quàm propinqui, in eodem Spiritu (inquit Apostolus) accessum habent ad Deum Patrem, eúmque invocant. Si autem hoc, Ergo, qui diversa fide Deum invocant, diverso etiam Spiritu invocent oportet. Ut enim una est fides, sic etiam unus spiritus in mentibus fidelium.

Sextum est de eo, ad quem habemus accessum hunc: non dicit Apostolus, habemus accessum ad Deum, sed ad Patrem: Patrem inquam & Christi & nostrum: quò illud Christi, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum* &c. Joan. 20.

Docet igitur neminem habere hunc accessum ad Deum, nisi illum pro Patre, & Jesu Christi naturali & suo per gratiam, agnoscat. Proinde, cùm Christus etiam docet, quomodo debeamus accedere ad Deum & eum invocare. Primùm jubet

jubet nos agnoscere eum pro Patre nostro, qui etiam Pater est Christi, eúmque invocare, dicendo: *Pater noster qui es in coelis.*

Hinc etiam efficitur, accessum hunc non pertinere nisi ad filios Dei, qui Deum pro suo Patre agnoscunt: quod filiorum tantùm sit, Deum ut Patrem invocare. Quomodo igitur qui non credunt filios se esse Dei invocare Deum possunt ut Patrem, & dicere possunt *noster?* Atque haec de accessu ad Deum, per solum Christum, satis: quo manifestè refellitur doctrina quorundam de invocatione Sanctorum, ut per eos ad Patrem adducamur. *Nemo venit ad Patrem* (inquit Christus) *nisi per me.* Quomodo igitur per sanctos sanctorúmque intercessionem? Sed hac de re aliàs.

Summa igitur est, sicut per solum Christum Pater nobis reconciliatus est, & per solum Christum pax haec efficaciter nobis annunciatur & communicatur: sic per solum Christum nos habere accessum ad Deum Patrem, & cum sanctis omnibus communionem. Sequitur ergò totius capitis conclusio, quae est de consociatione duorum populorum in unum Ecclesiae corpus. Unde apparet quanta sit gratia Dei, per Christum Gentibus praestita.

QUARTA PARS.

V. 19. *Jam igitur non estis hospites & incolae, sed cives Sanctorum & domestici Dei, &c.*

Summa horum quatuor versuum haec est. Apostolus, posteaquam exposuit rationem, qua per Christum liberati fuerunt Ephesii ab omnibus illis malis, quae descripsit, partim initio capitis, partim fusiùs versu 11. & 12; & qua contra magnis donati fuerunt donis, reconciliati cum Deo, & cum Eclesia ejus conjuncti ac consociati: nunc breviter repetens, quales anteà fuerint, nempe alienati ab Ecclesia & ἄθεοι, concludit jam illos beneficio Christi factos esse cives Sanctorum & domesticos Dei, eóque vera esse membra Ecclesiae, cujus caput est Christus, & in qua sola Deus regnat & regnaturus est in sempiternum. Ita, occasione hinc accepta, describit Ecclesiam, quid sit, quantáque ejus felicitas: ídque tribus similibus, quorum unum praestantius est altero, & magis unitatem felicitatémque Ecclesiae exprimit. Primò comparat Ecclesiam civitati, dicendo: *estis cives sanctorum.* Secundò domui, ubi inter domesticos major etiam & arctior, quàm inter cives vigere soleat, esse debet amor & familiaritas. Tertiò comparat templo Dei, ubi lapides maximo & arctissimo nexu, & cum fundamento & inter se, sunt constructi.

Scopus & summa hujus capitis.

Scopus autem Apostoli est concludere, quando igitur sola gratuita Dei bonitate, per solum Christum, consecuti sint communionem cum Deo & cum sanctis omnibus, liberati à tot malis & adepti tot tantáque bona, maneant constantes in doctrina Apostolorum & Prophetarum, quae nil aliud docet quàm Christum: quòd per hunc

hunc solum habeatur salus; curéntque, ut in fide Christi incrementum faciant.

Caeterùm, quò melius totus iste contextus doctrináque, quam hîc tradit de Ecclesia, intelligatur: breviter quid quoque versiculo contineatur aperio.

Primo versu hujus quartae particulae, id est, ver. 19. concludens Apostolus ex praedictis: Ephesios consociatos Ecclesiae, & reconciliatos Deo, jam non esse amplius hospites & peregrinos, sed cives sanctorum, & domesticos Dei, doctrinam hanc generalem tradit: nempe quocunque per Evangelium à Christo efficaciter vocati sunt ad fruendum illa pace, quam ipse nobis cum Deo & cum sanctis omnibus suo sanguine comparavit, ac proinde *qui eundem Patrem, per eundem Christum, in eodem Spiritu Sancto invocant:* eos, cujuscunque sint nationis, & ubicunque sint locorum, ejusdem civitatis vel regni cives, imò ejusdem familiae Dei domesticos esse: id est, communionem habere cum Deo & cum sanctis omnibus, eóque esse ejusdem corporis Christi membra. Atque ita simul etiam innuit duplicem Ecclesiae definitionem. Unam, quòd sit civitas vel regnum, quod constat multis civibus illísque sanctis, qui ab uno & eodem rege Christo regantur, defendantur, multísque bonis ditentur, & qui vicissim regi fidem & obsequium praestent, & ad praescriptum legum ipsius vitam in pace & caritate instituant. Alteram definitionem, quod sit familia Dei, quae in ejus conspectu vivat, eíque ad ipsius voluntatem inserviat, haeres bonorum ipsius, eóque vitae aeternae.

V. 20. Dicens, *Ephesios esse aedificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, hoc est, super fundamentum, quod toti Ecclesiae superstruendae jecerunt Apostoli & Prophetae, & hoc fundamentum esse lapidem quendam imum angularem, id est, Jesum Christum, qui utrumque populum, tanquam duos parietes, simul in seipso conjungat: à tertio simili, nempe templi, definit Ecclesiam, esse eam templum Dei, cujus fundamentum sit Christus, tale, inquam fundamentum, quod non solùm totum aedificium sustentet, sed etiam, quod diversos parietes in seipso conjungat atque uniat: aedificatores templi esse Apostolos & Prophetas, adeóque omnes, qui juxta doctrinam Apostolorum & Prophetarum Christum praedicant: lapides, qui superstruuntur, esse Electos omnes.

Ecclesiae qualitates.

V. 21. Manens in inchoata Thesi de Ecclesia, ac qualis sit, quantáque ejus felicitas, describens, qualitates quatuor seu conditiones ac proprietates Ecclesiae explicat.

1. Quòd totum hoc Ecclesiae aedificium, eóque quòd singulae partes, atque adeò singuli lapides, qui superstruuntur, summa cum ratione atque prudentia simul coagmentati sint & coagmententur: ita ut quisque in Ecclesia suam habeat sibi congruentem functionem, pro qualitate donorum Spiritus Sancti.

2. Quod & fundamentum sit vivum atque vivificans, & lapides vivi, atque à fundamento vivificati: nempe instar arboris, cujus radix ac truncus vivit & vivificat, & rami vivi seu vivificati. Hoc docet, cùm ait, totam aedificationem crescere in templum. Neque enim tale incrementum fieri potest, nisi in rebus viventibus, & incrementum ex actionibus animae regenerantis & nutrientis capientibus.

3.

3. Quòd totum aedificium capiat incrementum, intellige non solum accessione lapidum, sed quòd inprimis lapides ipsi vivi, vitam & nutrimentum capientes à fundamento, cui sunt superstructi, quotidie crescant in pietate, & virtutibus Christianis, & inter se magis ac magis caritate coalescant: ídque tantisper, dum tandem compleatur totum templum & perficiatur.

4. Quòd hoc templum sit sanctum, id est, res non terrena, nec profana, aut immunda, sed coelestis, sana, munda, spiritualis, Domino soli consecrata; & abs te, quod sit templum, in quo solo Deus verè habitet, cognoscatur, ametur, colatur, invocetur. Haec est ἀνάλυσις versus 21.

V. 22. Rediens ad ὑποθεσίν, ac dicens affirmánsque Ephesios in Christo aedificari, proficere caperéque incrementum, ut sint κατοικητήριον Dei, ídque propter Spiritum Sanctum, à quo reguntur: docet, sicut erat unum tantùm templum Salomonis, multa autem habet κατοικητήρια, habitacula, è quibus constabat; sic Catholicam Ecclesiam unam quidem esse, sed multas habere particulares, è quibus constat, alias in Oriente, alias in Occidente. Et has singulares quotidie magis ac magis exaedificari in Christo per Spiritum Sanctum: nempe respectu Electorum veréque piorum, quibus illae constant Ecclesiae. Hi enim propriè aedificantur, & horum coetus crescit in Domino. Haec est perseverantia sanctorum in fide, per Spiritum Sanctum.

Haec est summa doctrinae, quam his quatuor versibus tradit Apostolus de Ecclesia. Nunc omnia erunt facilia ad intelligendum.

V. 19. *Jam igitur non amplius estis hospites*, ξένοι καὶ πάροικοι, &c.

Duo habet membra: in uno negat Ephesios esse jam ampliùs, quod anteà fuerunt, priusquàm, scilicet, credidissent Evangelio: in altero affirmat nunc esse quod non fuerant: postquam, scilicet, Evangelium amplexi sunt. Non sunt amplius ξένοι καὶ πάροικοι: sunt autem συμπολῖται *sanctorum & domestici Dei.* ξένος est peregrinus & extraneus, & refertur ad illud quod dixerat in vers. 12. *Eratis* ξένοι τῶν διαθηκῶν, *extranei à pactis.*

Πάροικος bifariam capi potest, aut pro exule ac peregrino, qui exulat à patria & à propriis aedibus, vagus & sine certo domicilio: πάρα enim significat etiam praeter, & sine. Ideò πάροικος, sine domo, exul ab aedibus suis, aut pro tali peregrino capitur, qui apud alios tamen domicilium invenit, veluti nos Itali, Belgae, Galli in his regionibus sumus hoc sensu πάροικοι.

Ad rem quod attinet, mihi dubium non est, quin etiam hanc dictionem referat Apostolus ad illud, quod suprà dixerat, *Eratis* ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ: Illa enim particula, οὐκετι, declarat Apostolum dicere Ephesios non esse ampliùs quod erant: fuerant autem ἀπηλλοτριωμένοι, *abalienati à Republica Israelis:* fuerant ergo πάροικοι, sine domo, Israël. Item ξένοι extranei à pactis promissionis. Ergo cùm nunc neget esse ampliùs quod erant, nil aliud sibi voluit his duabus dictionibus, quàm non esse ampliùs alienos ab Ecclesia, neque extraneos à foedere Dei. Sed contra, esse jam respectu Reipubl. Israelis, id est, Ecclesiae, *concives Sanctorum:* respectu foederis cum Deo, esse *domesticos Dei:* quod etiam ampliùs est, quàm esse simpliciter in foedere.

Sed

Sed de quibusnam sanctis loquitur Apostolus, cùm ait, Ephesios factos esse *cives sanctorum?* Ratio ἀντιθέσεως, qua supra dixerat, *eos fuisse alienatos à Republica Israëlis*, nunc autem factos *cives Sanctorum*, videtur postulare, ut de Sanctis, id est, de Israelitis, seu de sanctis in illa Republ. Israel, intelligamus: quod Israelitae fuerint nati cives, Ephesii autem facti concives.

De sanctis Israeliticis.

Sed duo sanctorum genera erant in illa Republica: alii nomine tantùm, alii etiam reipsa: seu, alii sanctitate duntaxat foederis erant sancti, & ita tota illa Gens sancta fuit vocata, quatenus omnes erant in foedere comprehensi: qua de re Rom. 11. *Si radix sancta, & rami.* Et alibi saepè populus Dei sanctus appellatur.

Alii, praeter generalem foederis sanctitatem, erant etiam sancti sanctitate verae fidei, quatenus verè credebant in futurum Messiam: quales fuerunt Abraham & caeteri. De quibus Apostolus ad Hebr. 11. *quod per fidem placuerint Deo,* &c. Destinctio haec certissima est. Nunc ad rem.

Manifestum est Apostolum non loqui de primo sanctitatis genere. 1. tum quia illa sanctitas erat tantùm ex carne Abrahae, non secundum Spiritum, eóque hypocritica, cùm erat sola: haec autem non probatur Deo; Apostolus autem loquitur de verè sanctis. 2. tum quia hac ratione Ephesii transiissent in populum Israelem, & ita ex duobus populis non fuisset factus unus tertius, sed unus conversus ad alterum. Apostolus autem dicit, Christum duos condidisse in unum novum hominem. Ergo non intellexit Apostolus Gentes transisse in censum Judaeorum secundum carnem, sed tantùm eorum qui erant Judaei etiam secundum spiritum: quales fuerunt ante Christum Abraham, Isaac, &c. Et pòst, Apostoli, Maria, Simeon aliíque pii. Itaque cùm dicit, *Concives sanctorum*, intelligendum est cum hoc adverbio, *verè sanctorum.*

Sed hinc etiam dubitare quis poterit: cùm loquitur Apostolus de veris sanctis, num de solis sanctis in Israële, an verò etiam de reliquis extra Israëlem intelligendum est Apostoli dictum? sunt qui ad sanctos tantùm in Israel referant, *h. e.* ad Abraham, & ad semen ejus verum, ad eos videlicet qui & secundum carnem erant ex Abraham, & secundum spiritum: & huic accommodant illud Christi, *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno coelorum.* Matt. 8.

Verùm cum Apostolus hîc de Ecclesia catholica loquatur, quae initium habuit à condito orbe: mihi extra controversiam est, Apostolum cum dixit, *vos estis cives Sanctorum*, intellexisse, omnium quotquot unquam fuerunt & sunt verè sanctorum: tum qui in coelo, tum qui in terra. Adde etiam hanc rationem, quòd Apostolus amplificat donum, quod acceperunt Ephesii ex fide in Christum. Et facit illud longè majus damno, quod anteà acceperunt ex sua gentilitate atque praeputio, quo fiebat ut extranei essent à Republ. Israelis, q. d. anteà *quia eratis praeputium, alieni eratis à sancta Rep. Israelis:* At nunc, quia credidistis in Christum, facti estis concives non solum sanctorum, qui sunt & fuerunt in illa Rep., sed omnium sanctorum, qui unquam fuerunt futuríve sunt, tam in coelo,

coelo, etiam Sanctorum Angelorum, quàm in terris omnibúsque mundi partibus. De societate Angelorum testimonium est Heb. 12.

Ad summam, loquitur hîc Apostolus de articulo Symboli, *Credo communionem Sanctorum*, scilicet omnium & verè sanctorum. Locus ad Heb. hunc praesentem explicat. Nunc tenemus sensum Apostoli. Quicunque credunt in Christum, hos fieri cives regni coelorum, eóque concives sanctorum omnium: tam eorum qui sunt in coelo, quàm eorum qui sunt futuríve sunt in toto terrarum orbe.

Ubi verò est haec civitas, his constans civibus sanctis? Est enim una tantùm civitas, quia una Ecclesia: ibi igitur est, partim in coelo partim in terra, totum coelum occupans, & in omnes mundi partes sese extendens: sicut describitur in Apoc., ad Hebraeos: in Isa. Gal. 4. Hierosoluma superna, quae est mater nostra. Omnes igitur sanctos complexus est Apostolus, & Angelos & homines, tam vivos quam mortuos, dicendo: *Vos estis cives Sanctorum.*

Subdit alterum simile. *Et domestici Dei.* Refertur partim ad illud contrarium quod dixerat, *Eratis extranei à pactis promissionis*, i. non habebatis foedus cum Deo: partim ad illud, eratis sine Deo. Nunc, inquit, non solum habetis Deum, & in foedere ejus comprehensi estis, facti ejus populus & cives, sed quod amplius est, facti estis ejus domestici & ex ejus familia. Est amplificatio beneficii, quod propter fidem in Christum acceperunt Ephesii. Plus enim est esse domesticum alicujus principis, quàm concivem civium ejus, & de populo ipsius.

Sed nunquid voluit dicere Apostolus, sanctos, quorum Ephesii facti fuerunt concives, fuisse tantum cives, Ephesios autem ampliùs quid consecutos esse, nempe ut essent domestici Dei? Minimè verò: *omnes enim erant & cives hujus civitatis Hierosolymae*, (spiritualis ac coelestis) *& domestici Dei.* Sed ut dictum est, amplificare voluit gratiam Christi: ideo non contentus dixisse, *eos factos esse cives sanctorum*, subjecit, imò & *domesticos Dei.*

Quid autem sibi vult esse domesticum Dei? apud nos domesticorum nomine non solùm liberi, sed etiam famuli & ancillae veniunt; sed apud Deum soli filii cohaeredésque Christi intelliguntur. Primùm enim Apostolus de sanctis loquitur: omnes autem verè sancti veri sunt filii Dei. Deinde nulli sunt veri servi Dei, nisi qui sunt etiam filii Dei: reprobos enim & impios pro servis non agnoscit Deus, nec illorum probat servitium, Jes. 1. & alibi. Non est igitur cur nomine domesticorum alios intelligamus, quàm eos qui & filii sunt & haeredes regni coelorum. Ita λυτότης est in verbis Apostoli, quia plus intelligit, quam disertis verbis explicet.

1. Hinc verò facile est colligere, quanta illorum felicitas, qui sunt domestici Dei: quando omnes domestici sunt ejus filii, & haeredes regni. Si item Deus est Pater familiàs istius; sequitur illum suorum curam gerere domesticorum, 1. Tim. 5. Nam apud nos, qui suorum & praesertim domesticorum curam non habet, is fidem negasse, & esse infideli deterior dicitur. Non potest igitur Deus non suscipere curam suorum domesticorum. Contrà intelligimus, quid nostri sit officii erga Deum, qui ejus sumus familia. Nemo in familia aliqua vivit, qui (nisi sit proditor) non servet. Fidem suo Domino obedientiámque & hono-

honorem praestet. Rursus intelligimus, quomodo debeamus nos gerere cum reliquis domesticis: *amicè, officiosè, modestè, honestè.*

2. Ex utroque porrò simili docemur, quid sit Ecclesia: Primùm civitas Dei, quo nomine nihil frequentius in sacris literis: cujus typus fuit Hierusalem, de qua tum apud Apostolum saepè ad Galatas & alibi, tum apud Joh. in Apoc. Si civitas est, suum igitur habet principem seu regem, à quo regitur; hic est Christus; suos item habet cives; hi sunt Electi fideles: suas leges, ad quarum praescriptum vivunt & reguntur cives; hae sunt verbum Dei; locum ubi sita est; hic est coelum & terra universa: nullibi enim locorum conclusa est, sed longè latéque patet diffusa atque dispersa.

Deinde Ecclesia domus est Dei: quod etiam nomen frequentissimum est in sacris literis: Ecclesia, inquam, tota etiam quae in coelo est: & coelum ipsum, ubi Ecclesia triumphans habitat, domus vocatur, juxta illud Christi, *In domo Patris mei mansiones multae sunt:* Joh. 14. Hoc testimonium est de domo coelesti, déque loco majestatis divinae.

At de militante Ecclesia est locus, 1. *Tim.* 3. *Ut scias* (inquit) *quomodo oporteat te in domo Dei versari, quae est Ecclesia Dei viventis.*

V. 20. *Superstructi* (superaedificati) *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum,* ὄντος ἀκρογωνιαίου ἀυτοῦ Ιησοῦ Χριςοῦ: existente (ad verbum) *summo vel imo angulari lapide ipso Jesu Christo.* Sic etiam Beza.

Erasmus, *Ubi summus lapis angularis est ipse Jesus Christus;* Ubi, id est, in quo aedificio seu in qua extructione.

Alii, Cujus imus angularis lapis, &c. Cujus, (id est, vel fundamenti vel aedificii) imus angularis (lapis) est ipse Jesus Christus.

Ἄκρον significat omne extremum, tam imum quam supremum seu summum. Ideò alii vertunt imum, alii summum: sed utrumque credo significari hîc ab Apostolo, quia voluit explicare quódnam sit illud fundamentum, quod jecerunt Apostoli & Prophetae, & quale. Fundamentum est Christus, ideò est imus lapis, cui totum innititur aedificium: sed tale est fundamentum, & ita constructum atque paratum, ut etiam ascendat ab uno latere ad summitatem usque, tanquam angulus, diversos conjungens in se parietes. Ideò est etiam summus angularis lapis idem Christus.

Non sunt igitur duo lapides, unus pro fundamento, in ima parte positus, & alter pro angulo supremo, conjungens parietes diversos: sed unus est atque idem magnus lapis, imus in fundamento, & summus in angulo, *id est*, paulatim ascendens, ab imo in summum: nempe Jesus Christus.

Talis enim lapis describitur *Jes.* 28. 16. qui sit & fundamentum firmum, & angularis lapis, & vocatur à LXX. Interpretibus ἀκρογωνιαῖος lapis. Ego (inquit) immitto in fundamenta Sionis lapidem pretiosum, electum, ἀκρογωνιαῖον, & gloriosum in fundamento fundatum. Apostolum autem allusisse ad hunc locum Prophetae, dubium non est. Cùm igitur Propheta faciat hunc lapidem talem, qui & fundamentum sit pertingens, qui diversos parietes conjungat in sese: non dubium est, quin Apostolus hîc etiam idem facere voluerit.

Est

Est igitur Christus ἀκρογωνιᾶιος lapis, *id est*, & imus & summus, propter diversa officia, ut modo explicatum est. Atque hoc pro explicatione hujus loci. Nunc ad res ipsas.

Tria erant apud Judaeos insignia aedificia.

Primò, Urbs ipsa, in qua cives simul vivebant. *Secundò*, Domus regia, in qua familia regis, arctiori quàm cives necessitudinis vinculo conjuncti, serviebant & ministrabant Regi. *Tertiò*, templum, in quo Deo sacrificabatur, & is invocabatur ac colebatur. Comparavit Apostolus Ecclesiam primùm civitati, nempe Hierosolymae, dicendo, *Estis concives sanctorum:* Secundò, domui, id est, familiae regiae, dicendo: *domestici Dei.* Nunc transit ad templum: ut doceat Ecclesiam esse templum Dei. Nec immerito. Ecclesia enim cum Christo capite est unum & idem corpus. Christus autem dixit suum corpus esse templum, *Joh.* 2. Solvite templum hoc, &c. Summam ergo propinquitatem & conjunctionem cum Deo significare voluit Apostolus.

De Templo Dei.

Quinque autem de hoc templo, seu de hac templi aedificatione, tradit Apostolus. *Primò*, quae sit materia, ex qua construitur, homines electi, lapides vivi. Superstructi (scilicet vos Ephesii). Nam de iis vers. 22. In quo & vos coaedificamini, &c. Quales autem lapides sint, qui superstruuntur, docetur 1. *Pet.* 2. 4. Ad quem accedentes lapidem vivum & vos tanquam lapides vivi superaedificamini. In Apocalypsi lapides pretiosi vocantur. Illud *Superstructi*, significat unitos conglutinatósque esse cum Christo. Alibi, cùm aliis utitur metaphoris, vocat insitionem, ut *Rom.* 11. ramorum oleastri in bonam olivam. Alibi vocatur incorporatio, adglutinatio, unio duorum in unam carnem. Ad summam, nihil aliud his locutionibus significatur, quàm illa κοινωνία cum Christo, de qua. 1. Joh. 1. Hinc colligimus, Ecclesiam non constare nisi ex electis lapidibus Christo per Spiritum Sanctum ac fidem insitis.

Secundò, docet quodnam sit hujus templi fundamentum, dicendo, *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Si quis intelligat ipsas Apostolorum & Prophetarum personas, nimis foedè hallucinabitur: cùm & ipsi superstructi fuerint super idem fundamentum: unúmque & idem semper fuerit à condito orbe fundamentum Ecclesiae.

Proinde turpiter errare convincuntur illi, qui ideò volunt Petrum esse fundamentum Ecclesiae, quia Christus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam,* Matt. 16. refellente eos vel ipso Christo, qui discrimen fecit inter Petrum, & petram, super quam &c. Et Ambrosio, in hunc Apostoli locum, ubi exponens illud Christi ex Matt. 16. ait, *Super istam Petram*, id est, *in hac Catholicae fidei confessione statuo fideles ad vitam.* Haec ille. Alii igitur sunt, qui nomine fundamenti Apostolorum & Prophetarum intelligunt doctrinam Propheticam & Apostolicam. Et sic Ambrosius ait, *Super fundamentum &c.* hoc est super vetus & novum Testamentum collocati.

Interpretatio haec nihil habet absurdi, si rectè intelligatur, nempe non de omni parte doctrinae Propheticae & Apostolicae, sed de illa, qua promittebatur

batur Christus per Prophetas, & qua per Apostolos praedicatur, quae doctrina propriè Evangelium vocatur; & si doctrina accipiatur pro re contenta in doctrina, *id est,* pro Christo. Neque enim Ecclesia fundata est super comminationes Propheticas, aut super legem, quam urgebant & explicabant, neque (ut summatim dicam) super ipsorum verba, sed super Christum, quem illi promiserunt, & Apostoli annunciârunt: Et sic 1. Cor. 3. Apostolus sui est interpres, dicendo: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Jesus Christus.* Cum igitur ait, super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, intelligit fundamentum quod Apostoli & Prophetae jecerunt: *id est*, super Christum à Prophetis & Apostolis pro unico servatore, & totius Ecclesiae capite, vero Deo, vero homine, unico mediatore, nostra justitia & sanctificatione praedicatum.

Hîc primò observanda est haec particula, *Fundamentum Prophetarum & Apostolorum:* quia non quivis Christus est fundamentum Ecclesiae, sed ille tantùm quem praedicarunt Apostoli: Et talis per omnia, qualem illi praedicarunt. Arianorum igitur Ecclesiae non sunt fundatae in hoc fundamento Apostolorum & Prophatarum, quia non habent verum Christum, quem Prophetae *Jehovam*, & Apostoli *verum Deum*, Deúmque super omnia, crediderunt, confessi sunt, & praedicarunt. Neque Valentiniani, neque Marcionitae, nec Apollinaristae, & alii: qui aut negarunt verum esse hominem, aut corpus illi affinxerunt coeleste, aut anima humana eum spoliarunt, aut voluntatem humanam illi detraxerunt, aut corpus illi dederunt immensum, omniáque replens & invisibile.

Neque etiam illi verum habent Christum, verúmque fundamentum Apostolorum & Prophetarum, qui talem Christum praedicant, qui non sit perfectissima nostra justitia, sanctificatio, redemptio, cujus solius sanguine nolunt peccata ita esse expiata, ut quicunque Christo per filium insiti sunt remissionem habeant peccatorum omnium. Talem enim Christum non praedicarunt Apostoli.

Meritò itaque Apostolus Christum appellavit fundamentum Apostolorum & Prophetarum, *id est*, unicum fundamentum Ecclesiae, quod Apostoli & Prophetae semper jecerunt & praedicarunt: & quidem talem Christum, qualem ipsi descripserunt & non alium.

Secundò observandum: Si autem Christus fundamentum est Ecclesiae, illam igitur sustinet, & sustinebit in sempiternum: nec illam corruere penitùs & everti sinet: quare certissima est salus eorum, qui Christo sunt superaedificati.

Tertiò: describit Apostolus quinam sint hujus templi aedificatores & architecti: Apostoli nimirum & Prophetae, adeóque omnes veri Apostolorum successores, qui idem Evangelium eandémque doctrinam afferunt, qualem & Apostoli: Apostolo ipso interprete, qui se vocat architectum, à quo positum sit bonum fundamentum: Et ministros verbi, qui consentanea cum Christo praedicant, ait illos super hoc fundamentum superaedificare aurum, argentum, lapides pretiosos. 1. Cor. 3.

Docet igitur omnes legitimos ministros verum Evangelium praedicantes, eóque populos ad Christum colligentes, esse aedificatores suo ministerio. Sic etiam Jeremiae 1. dixit Deus, se illum mittere, ut evellat & destruat

templa,

templa, scilicet Diaboli: & plantet atque aedificet templum, scilicet Domini.

At Christus docuit se esse hunc templi aedificatorem, cùm dixit Matt. 16, Et super hanc petram Ego aedificabo Ecclesiam meam. Resp. Revera Christus ille ipse est, qui super se electos aedificat per suum Spiritum, id quod apertè docet Apostolus ver. 2. dicendo, *In quo & vos aedificamini in habitaculum Dei, in Spiritu Sancto.* Sed ad hanc aedificationem usus est opera Apostolorum ac Prophetarum, ac quotidie utitur opera ministrorum Evangelii: quemadmodum supra quoque diximus de ministris Evangelium annunciantibus. Proinde Paulus, ubi se vocavit Architectum qui bonum posuerit fundamentum, ibidem etiam dixit se & alios Apostolos nihil esse, nisi ministros Christi, per quos crediderint Corinthii. Ita soli Christo debemus, quòd simus illi insiti & superaedificati. Apostolos autem debemus pro ministris Christi agnoscere & honorare.

Quartò, indicavit etiam Apostolus quibusnam instrumentis isti Architecti aedificent templum Dei: ministri quidem Christi, id est, homines, doctrina utuntur sibi à Christo tradita, doctrina, scilicet, Evangelii, & Sacramentis, quibus obsignantur promissiones Evangelicae. Sic enim Christus dixit, cùm misit Apostolos ad colligendos lapides inter Gentes, ex quibus templum aedificaretur, *Praedicate Evangelium, baptizantes eos* Matt. 28.

Sed Christus primarius Architectus utitur suo praeterea Spiritu, quo efficaciter operatur, & sibi ipse electos lapides inserit atque superstruit: Ideo Apostolus ad finem ait, *In quo* & vos coaedificamini in habitaculum Dei, in Spiritu Sancto.

Caeterùm, ministri praeter verbum & Sacramenta, quibus addunt preces & exempla sanctae vitae, nihil habent praeterea quo templum aedificent. Atque haec est illa autoritas, quam Apostolus dixit ad Corinth. sibi datam esse *non ad destructionem, sed ad aedificationem.* 2. Cor. 13.

Medium hoc & instrumentum docuit Apostolus, cùm dixit, *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum,* id est, quod Apostoli & Prophetae, sua praedicatione, priori loco jecerunt, & populis, ut huic sinerent se superaedificari, proposuerunt. Ubi *primo* observanda est consensio Prophetarum & Apostolorum in doctrina salutis, & in fundamento jaciendo, cui Ecclesia superaedificaretur: summa erat illa, quam tradiderunt Apostoli in Actis, dicendo, *Huic testimonium perhibent omnes Prophetae, remissionem accipere omnes qui credunt in eum.* Videmus hoc in primis fuisse servatum à Christo & Apostolis, ut quicquid tradebant populis doctrinae, totum illud confirmarent testimonio Prophetarum, & inter quos certè primum locum tenuit Moses. Quorsum Apostoli citabant Prophetas? Ut patefieret mundo, nil novi adferri; sed veterem doctrinam: & unam eandémque esse rationem salutis jam, quae & ab initio fuit mundi: nempe per fidem in Jesum Christum, non autem per opera legis, quae longo pòst tempore à vocato Abrahamo, nedum à condito orbe, lata fuit; quin & ipsa lex non alio spectabat, quam in Christum, *Rom.* 10. Finis legis est Christus. Itaque in doctrina salutis summa semper fuit & est consensio inter Prophetas & Apostolos, eóque & inter Mosen & Evangelium Pauli, quod Gentibus praedicabat. Pertinet haec particula ad scopum Apostoli in hac Epistola: ne sinant se abduci Ephesii à doctrina Apostolorum, quasi pugnet

pugnet cum Mose: quando, ad summam salutis quod attinet, summa est consensio inter Prophetas eóque & Mosen, & inter Apostolos, nec aliud unquam illi, quàm quod & isti, posuerunt fundamentum Jesum Christum. Consideratio diligénsque examinatio hujus consensionis & harmoniae in doctrina Prophetica & Apostolica dici non potest, quantopere fidem in Christum confirmet eóque salutem nostram promoveat. *Secundò* observandum: si verò instrumentum, quo per homines aedificatur Ecclesia, est doctrina Prophetica & Apostolica, quicquid igitur ab hac diversum est, illo non aedificatur, sed destruitur & evertitur Ecclesia.

Caeterùm, quia doctrina Evangelii proponitur, ut credamus, & credentes Christo inseramur per fidem: Idcircò Apostolus, dicendo nos superaedificari fundamento Apostolorum & Prophetarum, non solum docet, quo instrumento aedificent ministri, nempe praedicatione Evangelii; verum etiam quo cemento adglutinemur nos fundamento Christo, nempe fide. *Evangelium enim est in salutem non cuivis, sed omni credenti.* Rom. 1. & scripturae docent, *nos uniri Christo per fidem, pérque fidem illum habitare in cordibus nostris.* Ephes. 3.

Neque mihi dubium est, quin hoc voluerit Apostolus concludere, si salus nostra consistit in eo, ut uniamur adglutinemúrque fundamento, id est Jesu Christo, quem praedicarunt Apostoli & Prophetae, unio autem fit, si credimus doctrinae Propheticae & Apostolicae: ad salutem igitur necessaria non sunt opera legis: de consensu quoque ipsius Mosis, inter Prophetas omnes facilè principis.

Quinto: Ad extremum docet in hoc 20. versu, quisnam etiam angularis lapis sit in hac templi structura, in quo diversi parietes conjunguntur in unum: nam talis lapis pernecessarius est, ut omnes norunt Architecti, nempe in domo lapidea extruenda. Docet esse eundem, & qui in fundamento positus est, ut totum sustentet aedificium: nempe Christum. Ad Jesaiam enim allusisse Apostolum, dubium non est, cùm dixit: ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ιησοῦ Χριστοῦ.

Talem igitur lapidem voluit ipse quoque Apostolus nobis ob oculos proponi, lapidem, inquam, tam magnum, & ita fabricatum, atque paratum, ut & totius domus omni ex parte sit fundamentum, & ab omni etiam extrema parte rectâ ascendat ad summitatem usque domus, ut angularis lapis, quo diversi parietes simul copulentur, eóque tota domus simul contineatur & conservetur. Voluit enim concludere eundem Christum illum esse, qui totam Ecclesiam sustineat ut fundamentum, atque etiam simul contineat tanquam lapis angularis: eóque Christum initium esse simul & finem consummationémque salutis nostrae: quemadmodum & ad Hebr. scribitur. c. 12. *Christum Jesum autorem esse fidei & consummatorem.*

V. 22. *In quo omnis aedificatio* (πᾶσα ἡ οἰκοδομὴ), *congruenter coagmentata, crescit in templum sanctum in Domino.*

Οἰκοδομὴν accipi prò re aedificata, non autem pro actione aedificandi, extra controversiam est. Primò, quia ait esse eam congruenter coagmentatam; non coagmentatur autem actio aedificandi, sed res quae aedificantur & in aedificium ponun-

ponuntur. Secundò, quia ait hanc οἰκοδομήν crescere in templum: actio autem aedificandi non crescit in domum vel in templum. Tertiò, quia Apostolus apertè Corinthios ipsos Christo insitos vocat aedificationem Dei, *Dei aedificatio estis,* inquit 1. Cor. 3.

Caeterùm illud πᾶσα οἰκοδομή bifariam accipi potest, vel pro toto aedificio, & sic ferè vertunt omnes, in quo totum aedificium: vel pro quovis lapide qui superstruitur, seu pro quavis parte aedificii: ut sit sensus, quicquid super hoc fundamento extruitur illud etiam congruenter coagmentatum crescit in templum. Atque haec mihi magis placet. Sensus enim Apostoli est, quicquid superstruitur fundamento Christo, illíque, sicut congruit, coagmentatur: illud & vitam & incrementum accipere à fundamento Christo: ídque in hunc finem, ut fiat templum Domini, in quo Deus regnet.

Ad rem ipsam quod attinet, dixi hîc describi, qualis sit Ecclesia, ut Ephesii meliùs intelligerent, quàm magnum sit beneficium quod consecuti sunt, quando per fidem in Christum fuerunt coagmentati, & simul cum tota Ecclesia sanctorum consecuti vitam in Christo lapide angulari.

Ecclesiae proprietates.

Quator autem Ecclesiae qualitates seu proprietates describit hoc 21. versu. *Primò,* quod totum aedificium, atque adeò singulae partes congruentissimè sint coagmentatae, tum cum fundamento, tum inter se.

Secundò, quod fundamentum sit vivum ac vivificans, lapides autem vivi & vivificati à fundamento: quòd alioqui, si carerent vita, non possent accipere incrementum hi lapides.

Tertiò, quod singulae partes accipiant incrementum, ac proinde quòd aedificium totum crescat, non solùm accessione novorum lapidum, sed in primis incremento singulorum lapidum: ídque tantisper, dum totum compleatur & perficiatur templum.

Quartò, Quòd templum hoc sit sanctum, soli Deo consecratum, purum & mundum.

Restat, ut nunc de iis quatuor qualitatibus aliquid è sacris literis demonstremus. Ac *Primùm* de congruenti coagmentatione. Notandum igitur hanc consistere tum in vera ac decente unione cum fundamento, *id est,* cum Christo: tum in conjunctione cum partibus singulis: ita ut nihil obliquum, nihil distortum, nihil indecens appareat in hoc aedificio: sed omnia suum sibi suóque officio convenientem habeant locum: sicut videmus in aedificiis juxta veram artem architecturae fabricatis. Fenestrae, scalae, gradus, contignationes, tecta, omnes denique domus partes ita solent esse congruenter dispositae, ut una respondeat & inserviat alteri, & omnes simul fundamento.

Secundò dicendum est de vita cujusque partis, & singulorum lapidum in extructione templi collocatorum.

Diximus alteram templi, *id est,* Ecclesiae, & cujusque lapidis fundamento superstructi conditionem proprietatémque esse, ut spiritualiter vivat, vita ex fundamento hausta, id quod iis rationibus confirmatur.

Cùm enim dicat Apostolus, totum aedificium hoc, eóque singulas ejus partes cres-

crescere in templum: incrementum autem hoc fieri nequeat, nisi singulae partes sint viventes, quando non tantùm crescit aedificium accessione novorum lapidum, sed singulae etiam partes singulíque lapides in eo collocati augentur fide & pietate; consequitur necessariò, & totum aedificium, & singulas ejus partes vita praeditas esse. Vitam autem ex se non habent, sed ex fundamento: quemadmodum & rami arboris non ex se vivunt, sed ex radice: Et palmites ex vite. Hinc sequitur ratio, Christus sive lapis sit fundamentalis in aedificio, sive radix in arbore, sive vitis in vinea, sive caput in corpore, semper est non solùm vivens, sed etiam vita vivificans. Res igitur sibi insitas & incorporatas vivificet oportet. Ac proinde omnes lapides templi vivi sint necesse est.

Hoc verò expressis verbis declaravit Petrus, cùm dixit, *Ad quem accedentes lapidem vivum, & vos tanquam lapides vivi aedificemini domus spiritualis, ad offerendas hostias*, 1. Petr. 2. 5.

Lapides autem istos vitam habere non ex se, sed eam ex fundamentali angularíque lapide haurire, inde manifestum est, quia neque palmes habet à se vitam, sed à vite, neque ramus ex se vivit, sed ex arbore arborísque radice, neque membra corporis aliunde habent vitam quàm à corde & capite: eadem autem insitio in Christum significatur hoc praesenti simili templi & lapidum, eidem fundamento superstructorum, quae etiam similibus illis corporis & capitis, palmitum & vitis, ramorum & arboris, significata est saepè sacris literis.

Pertinet huc quod ait ipse Christus, *Sicut, qui misit me est vivens Pater, sic ego vivo per Patrem. Et qui manducat me, ipse vivit propter me.* Joh. 6. 57. Sic enim locum illum legendum & construendum esse judico. Docet enim Christus, vitam nostram pendere à se, & per esum carnis suae nobis communicari: vitam autem suam esse à Patre, nempe per aeternam (quatenus aeternus filius & λόγος) generationem. Patrem autem à nemine habere vitam, sicut neque essentiam, sed per se & ex se viventem esse. Ergò post καθὼς, *sicut*, subintelligendum est relativum *Qui*, & ita legendum: *Sicut qui misit me, vivens Pater*, nempe est. *Et qui edit me, vivit propter me.* Ratio est, quia Christus, vita aeterna, habitat verè in cordibus nostris per fidem.

Summa igitur est, Qui Christo insiti sunt, sive ut palmites viti, sive ut rami arbori, sive ut membra capiti, sive ut lapides fundamento, hos omnes vivere nempe spiritualiter, vita ex ipso Christo hausta. *In ipso enim vita erat* (inquit Johan 1.) & semper fuit & est, qua nos vivimus. Et in Epistola ait: *Vita aeterna in Filio ejus est*; *qui habet filium, habet vitam:* 1. Joh. 1. quis autem habet Filium? qui credit in Filium; per fidem enim habitat in cordibus nostris. Itaque necesse est, ut omnes fideles vitam in se habeant, *quia habent Christum in se manentem, viventem, & vivificantem* Gal. 2. Quae causa est, cur Apostolus se vivere in fide filii Dei dixerit: imò Christum potiùs in se vivere: cùm tamen illud etiam verum sit: nos vivere in fide filii Dei: sed quò meliùs explicaret unionem, quam habebat cum Christo, fontémque suae vitae indicaret non esse extra se, dixit, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.*

Ita tenemus alteram verae Ecclesiae Christi & singularem partium ejus proprietatem, quae est, quod spiritualiter vivant. Quid autem sit hoc vivere & vita, supra diximus in hoc capite. Summa est, illos vivere spiritualiter, qui

am-

ambulant secundùm spiritum, & non secundum carnem, operáque spiritus faciunt, & non carnis. Qui igitur vivunt secundum carnem, hos esse mortuos secundum spiritum: sicut de vidua carnaliter vivente dixit Apostolus, *Vidua in deliciis vivens mortua est*, 1. Tim. 5. Ergò pro veris Ecclesiae membris agnoscendi non sunt, qui nefariam traducunt vitam sine ulla resipiscentia.

Sequitur tertia qualitas, nempe incrementum in pietate, fide ac caritate; ait Apostolus, *In quo* (scilicet Christo fundamento Ecclesiae & lapide angulari) *πᾶσα οἰκοδομὴ*, congruenter coagmentata, crescit in templum sanctum in Domino.

Unde sequitur *Primum:* Qui non sunt congruenter coagmentati in Christo, eos nec vivere, nec crescere in templum. Sicut contrà, Qui sunt congruenter coagmentati, ii crescunt.

Secundò sequitur, hoc incrementum non fieri nisi in Domino, hoc est, quatenus in Christo manemus; & ejus solius virtute fieri: non igitur propriis viribus nostris.

Tertiò, Si, qui sunt in Christo, vera fide coagmentati, crescunt, nempe in fide veràque pietate, ídque tantisper dùm totum perficiatur templum: non igitur deficiunt penitùs à fide & à Christo. Christus enim fundamentum eos sustinet, & ut lapis angularis in se continet, & vita vivificat. De qua perseverantia & incremento post dicemus. Nam etiam cap. 4. fusiùs hoc argumentum tractat Apostolus.

Pro hoc tempore retinebimus conclusionem. Qui in Christo sunt vera fide coagmentati tantum abest ut possint penitùs deficere, ut potius incrementum faciant in pietate, Apostolo hoc manifestè asseverante, & hîc & alibi saepiùs.

Phil. 3. Qui incepit in vobis bonum opus, is illud perficiet usque in finem. Et *Christus ait Math.* 7. Qui audit sermones meos & servat eos, hic comparabitur viro, qui aedificavit domum supra petram: flaverunt venti, irruerunt flumina, nec concidit. Fundata enim erat super firmam petram.

Joh. 4. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in aeternum: sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam.

4. Quarta qualitas est, quòd templum hoc sit sanctum. Sanctum duplicem habet significationem. Priori sanctum dicitur, quod est Deo consecratum: posteriori, quod est mundum & purum. Juxta primam, *Nos sumus Deo consecrati:* ideò vocaverat templum Dei: Eóque non sumus nostri juris. Hinc duae sequelae; una ad primam tabulam, altera ad secundam pertinens. *Prima* haec est: Ergo non debemus nos contaminare idololatriis & diis alienis inservire, 1. *Cor.* 6. 10. Quae conventio templo Dei cum idolis? &c.

Altera est: Ergò non debemus contaminare corpora nostra lasciviis, crapulis, &c. 1. Cor. 6. Vos estis templum Dei, quod si quis violaverit, perdet eum Deus.

Rursus posterioris generis sanctitas duplex est; una intra nos realiter existens: atque haec ipsa est regeneratio, cordis purificatio: quae expoliatione veteris & inductione novi hominis constat.

Altera extra nos est: quae tùm remissione peccatorum, quia nimirum nostra non imputantur peccata: cùm imputatione sanctitatis & justitiae Christi constat. Utroque sanctitatis genere sancta, est Ecclesia.

Ex his omnibus quaedam Ecclesiae descriptio colligi potest, quae haec est: Ecclesia est templum sanctum, ex variis vivis lapidibus super Christum, prout ab Apostolis & Prophetis praedicatus fuit, tanquam super fundamentum, per praedicationem Evangelii Apostolici atque Prophetici, pérque Spiritum Sanctum collectis atque superstructis, congruenter fabricatum: ut in eo Deus inhabitet, atque juxta doctrinam Propheticam & Apostolicam in sempiternum colatur.

Loci

LOCI THEOLOGICI EX SECUNDO
CAPITE AD EPHESIOS
LOCUS I.
DE PECCATO IN GENERE, EJUSQUE EFFECTIS,
& causis: déque peculiari peccato, quod originis appellari solet.

Ἁμαρτία (de qua vers. 1.) nomini respondet Hebraico חטא. Est autem חטא aberrare à scopo, quem tibi praefixum assequi debeas; ἁμαρτία quoque Graecis est quasi ἀμαρπτία, ab ἀ privativa particula & μάρπτειν, quod capere & assequi significat. Ac proinde definitur, quod sit τοῦ ἀγαθοῦ ἀποτυχία. Ita ut & Cicero, in paradoxis, peccare nil aliud esse definierit, quam transilire lineas, nimirum intra quas continere te deberes. Nec non & alterum nomen, (de quo eodem v. 1.) παράπτωμα eandem ferè habet significationem: cùm nihil aliud sit quam offensa & lapsus, ultra rectam instituti regulam, vel ad dexteram vel ad sinistram: quanquam παράπτωμα de actuali tantùm peccato, ἁμαρτία verò etiam de originali praedicatur, ut liquet Rom. 5.

2. Meritò igitur Johannes in priori Epistola quodvis peccatum vocavit ἁμαρτίαν, & nomine ἀνομίας definivit, dicens: πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ, καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Duo ad veram peccati cognitionem apprimè scitu necessaria hac definitione tradens, unum, quis sit esséque nobis debeat in nostris actionibus scopus, à quo declinandum omnino non sit, nimirum ὁ νόμος τοῦ Θεοῦ. Deinde quid sit peccare, nempe ab hac lege aberrare, eiúsque terminos transilire: ita ut quicquid ab hac lege dissentaneum est, cùm tamen deberet esse consentaneum, sive hoc sit substantia, sive qualitas ac facultas, sive actio, illud verissimè iniquum, atque adeò ἀνομία ipsa esse dicatur & ἁμαρτία.

3. Peccatum itaque in genere sic describi posse judicamus ex brevi Divi Johannis definitione: Peccatum est iniquitas, quâ tum ipsa natura ratione praedita, tum ejus affectus & vires, tum & actiones, tam internae quàm externae, à rectitudine legis divinae, quàcum omnino consentaneae per omnia esse deberent, dissentaneae sunt cúmque illa pugnantes.

4. Etsi enim καταχρηστικῶς tum totus ipse homo corruptus, tum omnes ipsius actiones, cùm lege Dei pugnantes, peccati nomine significari & appellari soleant, juxta illam Augustini receptam definitionem, *Peccatum vel dictum vel factum vel cogitatum contra legem Dei:* propriè tamen ipsa substantia vel natura vel actio rationalis creaturae non est peccatum, sed infecta peccato: peccatum autem ἀνομία ipsa, *id est*, defectus privatióque debitae in ipsa actione vel substantia rationali, juxta legem Dei, rectitudinis.

5.

5. Proinde rectè Apostolus non dixit peccatum esse rem iniquam aut actionem malam: sed ἀνομίαν, *id est*, id quo natura vel actio iniqua fit & dicitur. Ut omnino discernenda sit natura & actio, quae per se bonae sunt, & quarum autor est Deus, ab iniquitate, qua iniquae sunt, & cujus autor Deus esse nequit.

6. Quemadmodum verò ex arbore mala non possunt fructus boni, sed tantum mali prodire: Sic ex peccato per se malo non nisi ingentia mala possunt prodire; quorum primum est spiritualis mors animae, qua fit, ut impii destituti gratia Dei praesentiáque Spiritus Sancti, qui instar animae sese habet in piis hominibus, nihil eorum possint, quae Dei sunt, & quae ad veram pertinent felicitatem aeternámque vitam, vel cognoscere, vel velle, vel appetere, vel facere; sed in contraria semper ferantur, & in illis, nisi per Christum liberentur, contabescant atque putrescant: v. 1. Alterum itaque malum est, quod mortui Deo vivimus Satanae, ejúsque fimus mancipia, qui efficaciter operatur in omnibus filiis ἀπειθείας. ver. 2. Tertium malum est mors corporis, adeóque varia in hoc praesenti seculo malorum, incommodorum, morborum, & flagellorum irae divinae genera, quae homines suis peccatis sibi accersunt: *Revelatur enim ira Dei de coelo in omnem impietatem.* Rom. 1. *Et stipendium peccati mors est.* Rom. 6. Quartum est mors & animae & corporis simul sempiterna, qua in ignè locóque Diabolis destinato, aeternum cruciandi sunt impii, nisi hîc resipiscentes convertantur ad Christum, unicum servatorem.

7. Causae porrò peccati duplicis sunt generis, aliae extra nos, & aliae intra nos. Extra nos, citra ullam controversiam, sunt: Primùm, κακοδαίμονες, horúmque princeps Satan suis venenatis afflatibus. Secundo, homines hujus seculi suis exemplis, verbis, blanditiis: v. 2. Tertio, quanquam ex accidenti, ipsa quoque objecta in sensus incurrentia, & ad sui abusum eóque ad peccatum suo modo allicientia. Et denique ipsae etiam leges, atque adeo lex Dei sancta & justa, suis mandatis quae humanis sensibus & rationi placent prohibendo, & quae displicent praecipiendo, eóque revera non per se, sed per accidens, peccati causa quodammodo dici possunt. Rom. 7.

8. Exemplo autem primi peccati, quod ab Adamo & Eva admissum fuit, totum hoc mirificè confirmatur. Diabolus primus est, qui ad peccandum inducit. Deinde mulier autor est viro, ut contra Dei mandatum edat de fructu. Tertio, fructus arboris vetitus, in sensum incurrens, sua pulchritudine & suavitate ad sui esum, eóque ad peccatum pellexit homines. Quartò, à lege Dei, qua caverat ne de illo fructu quispiam ederet, auspicatus est suam tentationem serpens malignus & callidus, & ex prohibitione magis ac magis Evam ad fructum illum concupiscendum & tandem etiam edendum inflammavit. Unde illud, *Nitimur in vetitum semper cupimúsque negata.*

Ergo etiam mandatum nonnihil ad peccatum, sed ex accidenti, & abusu Diaboli, efficit. *Certè ubi nulla est lex, ibi nulla potest esse transgressio.*

9. Etsi vero nihil in mundo contingit unquam, aut contingere potest, sine sapientissima & justissima Dei providentia, peccati tamen autor, causàve dici verè non potest, quippe qui illud & odit, & vetat, & punit, utpote quod cum summa ipsius bonitate ex diametro pugnat: dicente etiam 1. *Johan.* 2. Concupiscentia *(quo nomine peccata significantur)* non ex Patre, sed ex mundo est.

est. *Et Jacobo:* Nemo cùm tentatur dicat se à Deo tentari: Deus enim, sicut tentari malis non potest, sic etiam neminem (*ad malum*) tentat: sed unusquisque tentatur à concupiscentia sua, *Jacob.* 1.

10. Fons igitur utraque peccati causa in nobis ipsis quaerenda est, non extra nos, quando ne diabolus quidem ipse vera peccati Adae causa fuit, sed libera hominis voluntas: quam mox consecuta est naturae corruptio & concupiscentiae morbus, quae & poena peccati fuit, & peccatum, & causa aliorum peccatorum in nos quoque transfusa.

11. Prima itaque in nobis, omnibúsque Adae posteris, peccati causa interior, eáque vera causa est ipsa naturae corruptio, quae & concupiscentia ab Apostolis appellari solet: de qua Apostolus ad Rom. atque etiam hîc, vers. 3. *Versati sumus in concupiscentia carnis nostrae, facientes voluntates carnis & cogitationum.* Jacobus verò quomodo ab hac omnia nostra peccata concipiantur & oriantur, progrediantur & perficiantur, explicat, dicens: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus;* abstractus ab incommutabili bono, quod est Deus; et illectus oblectatione falsorum bonorum & voluptatum; hic est ortus peccati in nobis ipsis. Subdit progressum, dicens, *Concupiscentia verò, cum conceperit, parit peccatum.* Concipit autem & parit peccatum, cum accedit consensus voluntatis. Subdit consummationem & exitum atque fructum, dicens, *Peccatum autem, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Consummatur operis complemento. Etsi vero, etiam cùm accedit consensus, generet mortem, ut Matt. 5. docet Christus, & lex ipsa Dei; Ideo tamen Apostolus tum demum peccatum generare mortem dixit, cum opere perficitur, quia de cursu ordinario peccati omnibúsque noto exitu loquitur: interim non negans, quod lex tradidit & Christus.

12. Altera itaque interior peccati causa, eáque efficax, est ipse consensus voluntatis: haec enim efficit, ut quis ambulet in peccatis & offensis, faciátque voluntates carnis & cogitationum v. 2 & s. Consensionem autem, qua quis verè dicitur obedire peccato in cupiditatibus ejus, voluntariè peccare, & ambulare in peccatis, vocaris non quamlibet voluntatis motionem, denutationem, inclinationem, qualis est in dormituriente capitis denutatio: sed eam, qua plene & absolute animus, tanquam vere vigilans & apud se manens, assentitur peccato nos tentanti, & ad varias iniquitates nos suis illecebris pellicienti, ita ut jam nihil aliud quaeramus quàm occasiones, quibus perficere opere etiam ipso possimus, quod animo concepimus amplexíque sumus.

Confirmatio sententiae.

13. Saepenumero enim tentationes ita sunt vehementes, ut voluntas, (sicut accidit sanctis hominibus) percellatur, & quasi inclinet in obedientiam peccati: cùm tamen non verè consentiat, sed mox resiliat & repugnet, quemadmodum Apostolus Rom. 7. describit in sua persona, dicens: *Quod nolo malum, hoc ago:* quasi dicat, nolo & volo, ago & non ago, ut pugna quaedam sit carnis & Spiritus in ipsa etiam pii hominis voluntate: quando ipsa quoque in sanctis voluntas partim caro est, & partim spiritus, cùm partim etiam sit renata & partim

partim non renata. Non igitur quaevis voluntatis in peccatum inclinatio, & momentanea quasi consensio, est illa peccati causa, qua quis verè dici possit obedire peccato in concupiscentiis ejus, faceréve voluntates carnis & cogitationum: Sed illa demum consensio, qua verè & plenè in peccatum quis consentit, & in illud jam perficiendum incumbit.

14. Tertia peccati causa intra nos existens est ignorantia, qua voluntas saepe decipitur: ita ut eligamus quae putabamus bona, alioqui non electuri, si verè ea novissemus esse mala: de qua & Apostolus, 1. *Tim.* 1. *Ignorans feci in incredulitate.* Sunt enim omnes homines ita natura comparati, etiam post naturae corruptionem, ut malum, quatenus malum est, amare aut velle nemo possit: Et contra bonum, quatenus bonum est, nemo possit non velle atque amplecti. Peccare autem est aut reprobare bonum, aut eligere malum. Ergo quod quis peccet, hoc ideo fit, quia aliquo modo ignorat id esse malum quod agit, & bonum quod negligit: ídque aut generatim & in θέσει, aut speciatim & in ὑποθέσει.

Confirmatio ejusdem doctrinae.

15. Ad res enim bene gerendas, & ad omnes actiones nostras, duplici opus est cognitione atque scientia: generali una, particulari altera, seu θέσεως & ὑποθέσεως: quarum priorem praebet lex Dei atque naturae; posteriorem attenta praesentis rei, seu negotii quod proponitur, gignit consideratio. Alterutra si desit, peccatum inde consequatur oportet: nempe quod aut in genere, quid aequum sit vel iniquum, bonum vel malum, ignores; vel si hoc nosti, quod tamen tibi faciendum proponitur aut minimè consideras, sitne verè bonum vel malum, aut non quantum opus est satis attente, sed frigide & perfunctorie consideras: id quod ignorationis species quaedam est, & non minus peccatum quam causa peccati.

16. Tres porrò etiam sunt species ignorantiae, qua voluntas & lex Dei in ipsa quoque θέσει ignorari potest: quae tamen omnes & peccata sunt & peccatorum causae. Una eorum est, qui ideo non noverunt voluntatem Domini, quid malum & quid bonum sit, quia cognoscere noluerunt: de quibus *Job.* 21. *Et dicunt Deo, Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus: & in Ps. Noluit intelligere, ut bene ageret.* Altera est eorum qui non noverunt, quia neque nosse potuerunt, ut multae gentes, de quibus tamen (interprete Augustino) ait David, *Effunde iram tuam ô Domine in gentes, quae te non noverunt.* Tertia eorum est, qui norunt quidem habitu, sed actu ignorant, quia non considerant, vel si considerant, non, quemadmodum opus est, attente considerant quid velit Dominus: quemadmodum & de ignorantia in ὑποθέσει dictum est.

17. Neque verò omnis ignorantia excusat quasi involuntaria, cùm earum rerum est, quas ex officio nosse teneris. Trifariam vero voluntaria esse possit: unde fit, ut omne etiam peccatum, quod ex illa proficiscitur, voluntarium sit dicíque debeat. Primùm eorum ignorantia voluntaria est, qui, cum possint, nolunt tamen scire, quia nolunt benefacere: de quibus ante ex Jobo & ex Psal. dictum est: quam ideo etiam affectatam ignorantiam appellare solent.

Quis

Quis horum peccata involuntaria esse dicat? Altera illis attribuitur, qui non detrectant quidem ut priores, interim tamen negligunt, quaenam sit Domini voluntas, audire & intelligere: quo fit, ut ignorantia negligentiae à nonnullis nominetur. Quid est autem negligere aliquid scire, quam nolle scire? Peccata igitur, ex hac etiam profecta, voluntaria sint necesse est: & quidem non ex accidenti, sed per se voluntaria. Tertia ignorantiae species, non ita quidem proprie, sicut reliquae duae priores, sed ex accidenti tamen voluntaria esse dicitur. Quatenus, licet non ex voluntate tua immediatè proficiscatur, voluntem tamen necessario consequitur tuam: nempe si ea voluisti, & voluntarie fecisti, propter quae porrò non potuisti, quae ex officio debebas, audire, cognoscere, aut cogitare: quemadmodum verbi causi voluntariam ebrietatem sequitur amentia, qua fit, ut sive aliquem occidas sive blasphemes Deum, aut aliud facinus admittas, quid agas non intelligas intelligeréve possis: haec quoque ignorantia quodammodo voluntaria est, nec excusari potest: ut meritò Aristoteles monuerit & in Ethicis scripserit, Ebrium, qui ex ebrietate aliquod facinus admisit, duplici poena esse plectendum, una quia ebrius fuit, altera quia ex hac ebrietate flagitium perpetravit; quo & illud pertinet, Ethic. lib. 3. cap. 1. Omnis ignorans mulus. Ac de tertia interna peccati causa, nempe de ignorantia, huc usque.

18. Quarta peccati causa, intra nos existens, infirmitas est animi, fideíque imbecillitas; qua fit, ut vehementibus Satanae & carnis tentationibus non semper valeamus resistere, sed licet videamus meliora probemúsque, interim tamen victi deteriora sequamur; quemadmodum contingit Petro, cùm Christum negavit, & Davidi, cùm adulterium admisit, aliáque nonnulla scelera, quae tamen excusari non potuerunt, quin fuerint & voluntaria & gravissima crimina. Sicut enim non pugnant, peccare ex ignorantia & tamen peccare voluntarie, ut supra declaratum est; Sic neque ista sunt contraria, peccare ex infirmitate & peccare ex libera voluntate, quando voluntas ea proprie est, quae peccat: sed aliquando propter naturalem ignorantiam seducta, nonnunquam propter imbecillitatem à passionibus peccatorum (ut loquitur Apostolus) victa ac superata. Ex quo etiam fit, ut longe graviora sint peccata, quae procul omni ignorantia & infirmitate ex destinata malitia admittuntur: quàm ea in quae aut caeci aut imbecilli prolabimur.

19. Quinta itaque causa est ipsa planè voluntaria destinataque malitia: nimirum cùm quis neque ignorantia mentis simpliciter seductus, neque ab ulla sensuum & affectuum passione superatus, sed à naturali & propria suae voluntatis malitia adductus, verè sciens ac prudens peccat: quale fuit peccatum Diaboli, de quo 1. Joh. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat, nempe hoc modo, non ex ignorantia nec ex infirmitate, sed ex destinata malitia. Unde etiam intelligitur, quid sid facere peccatum: nempe non simpliciter peccare, sed ex destinata malitia peccare, studióque peccandi teneri & affici.

20. Sicut enim in rebus physicis bifariam aliquid potest in aliquam rem moveri & inclinari, nempe aut à principio externo, quasi vim quandam ab illo patiens, ut lapis vi sursum projectus; aut ab intrinseco & per suam formam, ut lapis deorsim spontè cadens. Sic etiam voluntas ad peccandum movetur, aut

à

à passione aliena, quae, *scilicet*, viget in ipsis sensibus atque affectibus (*id quod ex infirmitate peccare dicitur)* aut à malitia sua propria, qua per sese mala, speciem tamen aliquam boni prae se ferente, oblectatur. Hoc vero tandem ex destinata malitia peccare vocari solet: id quod depravatae voluntatis proprium est, de qua *Jerem.* 17. Pravum est cor hominis, & quis cognoscit illud?

21. Nam tota natura, anima & corpore, corrupta est, & unaquaeque pars suam propriam habet corruptionem: caecitatem & ignorantiam Dei, intellectus, impetus ad voluptatem & πρὸς τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν (*ut loquitur Apostolus Rom.* 2.) proprie ipsi sensus & affectus habent: malitia vero propria est voluntatis, qua per sese ad malum inclinat semper, nisi per Spiritum Sanctum regeneretur. Cùm igitur voluntas, neque ignorantia mentis decepta, neque à passionibus victa, peccat, ex propria & destinata malitia peccare malúmque eligere dicenda est: qualiter Aristoteli peccare illi dicuntur, qui ex habitu peccant.

22. Hinc perspicua fit sexta peccati causa: ea est habitus in peccato naturae malae additus, & ex multis malis actionibus comparatus. Ipsa enim consuetudo vertitur in naturam: & ab assuetis non fit passio; nihílque est facilius, quàm ex habitu operari, tam in virtutibus quàm in vitiis. Habitus igitur peccandi non postrema causa est peccatorum.

23. Cùm vero habitus sint voluntarii, quia ex voluntatis actionibus comparati, peccata etiam, quae ex illis sunt, voluntaria sint oportet. Etiamsi quis, dum peccat ex habitu, nihil minus quam de eo, in quo peccat, cogitare videatur, séque mali aliquid facere minimè existimet. Imò hinc sequitur hujuscemodi peccata eo graviora esse reliquis, & minus curabilia: quo minùs de illis cogitamus, judicamusve ea esse peccata: quemadmodum in iis, qui ex habitu inebriantur, aut Deum blasphemant, aut proximum in mercibus defraudant, & impudenter mentiuntur, manifestum est; quo in statu fuerant etiam Ephesii ante conversionem, sicut Apostolus indicat, dicens *Ambulabatis in peccatis secundum seculum mundi hujus:* id est, sicuti ambulare solebatis, nihil minus quam quod peccaretis cogitantes, aut etiam judicantes; hujuscemodi enim flagitiosi homines eò tandem adducuntur, ut non solum ὑποθέσει, id est de actione ipsa, nihil mali cogitent: sed ne ipsam quidem θέσιν, puta ebrietas peccatum est, veram esse credunt & judicant. Sed malum dicunt bonum & bonum malum, lucem tenebras & tenebras lucem, ut ait Jesaias. cap. 5.

24. Septima peccati causa, in nobis haerens, est peccatum, non solùm originale, id est concupiscentia, de qua suprà dictum est; sed etiam actuale, quatenus peccatum unum causa est alterius peccati, juxta illud, Qui facit peccata, servus est peccati: *Joh.* 8.

25. Quinque autem modis contingit, ut peccatum alterius peccati causa fiat: *Primùm*, quatenus, peccato uno admisso, amittitur gratia, praesentiáque Spiritus Sancti: qua amissa nil aliud potest homo, quam in alia prolabi scelera: ita peccatum peccato nectitur, sublata ea re, quae à peccando arcebat: quemadmodum & mulier amisso pudoris per primam scortationem freno, facile dein-

deinceps scortari pergit. *Secundò*, peccatum unum causa fit alterius, quatenus Deus solitus est punire peccata peccatis: tradito illo qui peccavit in manum Satanae, qui porrò efficaciter in illo operatur. Eph. 2. v. 2. Et Rom. 1. v. 24. 2. Thess. 2. v. 11. *Tertiò*, idem fit, quatenus ex uno peccato facilis fit in similia lapsus, & tandem ex multis porrò ingeminatis actionibus habitus comparatur peccandi, quo nihil perniciosius contingere potest. *Quartò*, contingit idem malum, quatenus unum peccatum sine multis aliis perpetrari non potest, & primum multa insequentia secum trahit: quo sensu dixit Apostolus φιλαργυρίαν, id est, amorem studiúmque pecuniae seu avaritiam radicem esse omnium malorum. Huic enim vitio indulgeri non potest sine fraudibus, dolis, mendaciis, periuriis, aliísque sceleribus. Ideo Apostolus loco jam ex 1. Tim. 6. citato explicans, quomodo φιλαργυρία causa sit omnium malorum, dixit, *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & cupiditates multas amentes & damnosas, quae demergunt homines in interitum: Si quidem radix omnium malorum est φιλαργυρία: quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide & seipsos transfixerunt doloribus multis.* De ebrietate idem docuit Apostolus, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Eph.* 5. *Quintò* denique, unum causa est alterius, quatenus saepè propter unum alterum etiam admittitur: ut Judas propter amorem pecuniae prodidit Christum, & Balaam maledicit populo. Et Pilatus propter ambitionem damnavit Christum. Peccata igitur illa, quae tanquam fines ad alia admittenda promovent, causae aliorum peccatorum meritò esse dicuntur.

Hactenus de peccato in genere, quid sit, quae ejus effecta, quae causae, tum externae tum internae. Nunc post allatam partitionem peccati, de Originali dicendum est. Ergo haec esto θέσις.

26. Secatur peccatum in Originale & Actuale. Originale vocant peccatum illud, quod à primo omnium hominum secundum carnem parente Adamo ortum habens, in omnes, qui ex illo per communem nascuntur propagationem, derivatur. Actuale vero, quod quisque per sese actu admittit. Ac sicut in uno omnes dicimur concepti & nati, ita alterum quisque ex se concipit, parit, perficit. Et sicut unius respectu dicimur omnes natura esse filii irae, V. 3. sic alterius causa impii omnes dicuntur ambulare in peccatis, & in concupiscentiis carnis; faceréque voluntates carnis & cogitationes, vers. 2 & 3. & tandem filii contumaciae fiunt & vocantur, vers. 3.

27. Nomine autem peccati Originalis, quod per unum hominem in mundum transiit, quid intelligendum sit, manifestè docet Apostolus, Rom. 5 à vers. 12. ad finem usque capitis: nimirum non solum ipsa originalis justitiae, quae deberet in nobis esse, privatio, totiúsque naturae illam privationem subsecuta corruptio, quam & concupiscentiam vocat Apostolus & peccatum; verum etiam, idque inprimis, ipsa prima Adae inobedientia, non simpliciter quidem, sed quatenus nobis omnibus imputatur, quemadmodum & obedientia Christi omnibus credentibus. Ac proinde quae, licet non actu, reatu tamen in omnes homines pertransit, qui ex semine Adae concepti nascuntur: quando etiam omnes in eo peccasse ab Apostolo pronunciantur, quippe qui in ejus omnes lumbis eramus, Rom. 5.

Confir-

Confirmatio sententiae.

28. Neque enim aliud peccatum in posteros transfusum est, quam quod ipsius quoque fuit Adami. Fuit autem inobedientia, cum privatione justitiae originalis & totius naturae corruptione. Deinde etiam non propter aliud peccatum nos fuimus adjudicati morti, quam propter illud, propter quod & Adamus: Ejusdem n. peccati stipendium fuit mors. Illi autem fuit dictum, *Morte morieris* propter inobedientiam, &c. Sed neque quis verè dici potest, aut in sacris literis dicitur peccare, cum tantum nascitur in peccato, filius irae & cum peccato: Omnes autem dicimur in Adamo peccasse. Ad haec n. ait Apostolus, non propter, sed per inobedientiam Adami nos constitutos esse peccatores. Sicut etiam non tam propter, quam per obedientiam Christi nos constitutos esse, ait, factósque justos. Ut igitur obedientia Christi nostra est justitia: Sic etiam inobedientia Adae nostra est injustitia, nimirum imputatione & reatu. Denique, in quovis corpore, sive naturali sive animali, sive politico & mystico, hoc apud omnes Gentes receptum est, ut quod facit caput, quatenus caput, illud toti corpori merito imputetur. Ideo totus homo plectitur propter peccatum, quod solo voluntatis imperio admittitur. Secundo, & liberi omnibus bonis paternis spoliantur propter parentis rebellionem. Quemadmodum igitur, quod gessit Christus, tanquam omnium Electorum & Ecclesiae caput, toti Ecclesiae imputatur, dicimúrque in persona Christi legem servasse, mortui esse, sepulti, resuscitati, sederéque in supercoelestibus: Sic etiam meritò, quod Adamus tanquam caput humani generis peccavit, illud nobis imputatur, & in ejus persona nos peccasse pronunciamur.

Confirmatio sententiae ex Patribus.

29. Neque ab hac sententia dissentiunt Patres vetúsque Ecclesia: Sed Augustinus omnium nomine confirmat.

Tom. 7. de peccatorum meritis, & remissione lib. 1. cap. 10. ait, ideò dici omnes homines in uno Adamo & uno Adae peccato peccasse, quia omnes illi unus homo fuerunt.

ὑπογνωστικῶς arg. 2 ait, nos suscepisse Adae culpam & damnationem.

Tom. 1. Retract. lib. 1. c. 15. scribit omnes reatu peccati Adae implicitos, & ob hoc poenae obnoxios teneri; peccatum autem Adae fuit inobedientia.

Tom. 2. Epist. 23. ad Bonifacium, loquens de infante, *Traxit* (inquit) *ergo reatum, quia unus erat cum illo & in illo, à quo traxit: quando quod traxit admixtum est.* Clarissimè etiam Epist. 23. ad Bonifacium concludit, nos omnes peccasse in Adamo voluntariè: non voluntate quidem nostra propria, sed voluntate illius, cum quo & in quo eramus unus homo, eóque una omnium voluntas.

Thomas Aquinas eandem secutus est doctrinam, & clarissimè explicat, cum alibi tum in Quaestionibus disputatis, quaest. 4. de peccato originali, articulo primo. Ubi concludit de actuali inobedientia Adae, eam convenire toti humano generi & singulis hominibus, quatenus omnes fuimus unum & sumus cum Adamo. Quod enim ille admisit, non illud eum admisisse ut privatum hominem,

sed

sed ut totius humani generis caput: quemadmodum etiam justitiam originalem non acceperat ut privatus homo, & sibi soli; sed ut pater omnium hominum, & nobis omnibus. Constat igitur nomine peccati originalis venire non solum justitiae originalis privationem naturaeque corruptionem, sed simul cum reatu & culpa inobedientiae Adami. Imo ideo cumprimis peccatum originale appellatur, quia omnes homines in Adamo tanquam in sua origine peccarunt. Sed interim non negatur altera ratio, nempe, quia quisque ex vitiosa origine in peccatis concipitur nascitùrque filius irae.

Eandem doctrinam confirmant etiam alii seniores Scholastici, ut jam de nostris nihil dicam. Etsi enim non omnes eodem planè modo definiunt peccatum originale: nemo tamen inficiatur, quin reatu peccati Adae omnes impliciti nascantur, & per illius inobedientiam peccatores constituti sint: Ut Apostolus docet, Rom. 5.

Confirmatio superioris sententiae à verbo peccandi.

30. Sed neque à sacris literis alienum est, ut verbum חטא, peccavit, accipiatur pro peccare, non actu sed imputatione culpae, & reatu. Gen. 43 dixit Jehuda ad Israelem patrem suum. *Mitte puerum Benjamin, & ego fideiubeo de eo: ex mea manu requirito eum, si non reduxero ad te;* וחטאתי לך *& peccabo tibi omnibus diebus*, id est, reus ero tibi hujus peccati, & habear à te pro scelerato, si non reduxero. Sic Exod. 5. populi Israëlis praefecti conqueruntur apud Regem, dicentes: *Cur sic facis servis tuis: palea non datur servis tuis; interim dicunt nobis, facite lateres: & ecce servi tui vapulant,* חטאת עמך *& peccat populus tuus*, id est, reus peccati habetur ac pro scelerato reputatur. Cum igitur Apostolus dicat, omnes in Adamo peccasse (illud enim ἐφ' ᾧ est pro ἐν ᾧ, ut optimè monet Beza) nihil à consuetudine sacrarum literarum receditur, quòd dicamus peccasse in eo omnes, non actu sed reatu, & culpae imputatione.

Privationem justitiae originalis & concupiscentiam esse peccatum.

31. Sed & ipsam originalis justitiae, quae in nobis esse deberet, privationem peccatum esse, veréque peccatum, manifestum est. Primum quia omnis ἀνομία peccatum est: destitutum autem esse illa justitia, qua te donaverat Deus, & proinde qua deberes adhuc esse ornatus, iniquissimum est & magna ἀνομία. Pugnat etiam cum lege Dei, non talem te esse qualem esse jubet, nempe sanctum, dicente Domino: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum.* Ἀνομία igitur est, eòque ἁμαρτία, non esse talem qualem te creavit Deus in Adamo, & qualem te denuo esse mandat Deus sua lege. Itaque originalis justitiae privatio verè peccatum est & ἀνομία.

32. Hinc sequitur, ipsam etiam naturae corruptionem, quae illam privationem justitiae statim consecuta est, necessario verè peccatum esse & ἀνομίαν. Primum enim pugnat cum illa Dei voluntate, qua creavit hominem rectum, ac proinde qua rectum eum esse voluit. Deinde expresso Dei mandato prohibetur, cùm jubet nos circumcidere praeputium cordis nostri, & esse cordibus circumcisis,

&

& munda habere corda, Deut. 10. Item cùm, *Non concupisces*, quòd mandatum non de actuali concupiscentia, sed de fonte omnis actualis concupiscentiae intelligendum esse docent & Christus & Apostolus. Christus, quia actualem concupiscentiam in singulis praeceptis legis prohiberi significavit; cùm de mandato, *Non fornicaberis,* dicit, illum qui tantùm viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatum esse in corde suo: Id quod & de quibusdam aliis explicavit, Matt. 5. & aliis capitibus: Et 1 Johannes 3. cum dicit, *Qui odit fratrem, homicida est.* Apostolus verò Paulus, cùm dixit Rom. 7. se nescivisse concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, *Non concupisces*, ad ultimum Decalogi praeceptum alludens. De concupiscentia autem actuali locutus non est, quia ea singulis praeceptis damnatur, Christo interprete, & Johanne. De corruptione igitur naturae, quam vocat concupiscentiam *(Alioquin decem non essent mandata, si idem in ultimo repeteretur quod in superioribus singulis intelligi voluit)* dicit item, peccatum per legem operatum in se esse omnem concupiscentiam, actualem *scilicet.* Peccatum igitur, de quo loquitur, & quod operatur omnem concupiscentiam, differat à suo effectu necesse est. Lex igitur damnat non solum omnem actualem concupiscentiam, sed etiam ejus fontem, id est, originalem. Tertio ait item, *Rom.* 6. non regnet in vestro mortali corpore peccatum, ad obediendum concupiscentiis ejus. Discrimen igitur facit inter peccatum, cujus sunt concupiscentiae, inter ipsas concupiscentias & inter ipsam obedientiam erga concupiscentias. Quare, praeter actuales concupiscentias, fontem etiam ipsarum in homine inesse atque *(ut Paulus loquitur)* inhabitare, qui verè peccatum sit, oportet.

33. Utque adeo concupiscentia, id est naturae corruptio, quam Paulus vocat peccatum, & corpus peccati, & legem membrorum, per se verè peccatum est: ut etiam in renatis, in quibus transit reatu & manet actu, verè peccatum sit, juxta veram peccati rationem. Id quod iis rationibus liquet & testimoniis.

1. Rom. 7. Apostolus in sua persona conditionem omnium renatorum describens docet apertè in sanctis remanere concupiscentiam, & hanc constanter vocat peccatum; non igitur abusivè, sed propriè peccatum vocatur.

2. Eam quoque vocat legem membrorum repugnantem legi mentis suae, & captivantem se in lege peccati. Nomine autem legis mentis intellexit legem Dei, menti suae inscriptam per Spiritum Sanctum. Quod autem repugnat legi Dei & Spiritus, illud peccatum est. Confirmatur argumentum à pugna etiam, quam Galat. 5. describit in renatis inter carnem & Spiritum. Carnis autem nomine naturae corruptionem intellexit. Peccatum igitur est, quia pugnat cum Spiritu Dei in Sanctis.

3. Concupiscentia originalis in renatis parit concupiscentias carnis pravas: Roman. 6. & 7.; mala igitur sit oportet, quia *non potest arbor bona malos fructus facere;* quicquid autem malum & vitiosum est, damnatur lege Dei: quod verò damnatur lege Dei, peccatum est.

4. Quod etiam sancti, imò Spiritis Sanctus detestatur in sanctis, illud peccatum est; non enim damnatur, nisi quod lege Dei damnatur. Sancti omnes hanc concupiscentiam in se adhuc manentem, licet non regnantem, detestantur, lugent, cupiúntque illa liberari, quòd multa in se mala agat, & repugnet Spiritui,

Spiritui, legíque mentis: docet hoc Apostolus in sua persona, Roman. 7.

5. Denique à definitione peccati, quam tradit Johannes, res fit perspicua. Quicquid in nobis vel est, vel movetur, vel fit contra legem Dei, illud peccatum est, ait enim ἁμαρτίαν esse ἀνομίαν: docens, in quacunque re vel motu vel actione reperitur ἀνομία, hoc est, deflexio à lege Dei & repugnantia cum lege, ibi hanc ἀνομίαν verè peccatum esse. Atqui talis res est concupiscentia in renatis, cum quia repugnat legi Dei in mentibus piorum conscriptae, tum quia remoratur eos, ne legem Dei implere possint. Rom. 7.

Confirmatio sententiae.

34. Augustinus totam hanc doctrinam passim contra Pelagianos confirmat.

Tom. 7. contra Julianum Pelagianum lib. 3. cap. 21. praeter alia hoc etiam utitur argumento.

Sancti pugnant contra concupiscentiam: peccatum igitur est; non enim repugnarent illi, nisi illa repugnaret legi Dei in mentibus piorum inscriptae.

Item contra eundem lib. 6. cap. 8 hoc alio utitur argumento: *Concupiscentia in renatis iniquitas est: est enim iniquum, quod homo depravatus sit ab illa justitia, in qua creatus à Deo fuerat: ut caro non subjiciatur spiritui, sed ei repugnet.* Proinde etiam David hanc concupiscentiam vocavit iniquitatem, dicens, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.*

Item, lib. 5. cap. 3. contra eundem Julianum, sic concludit.

Concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & poena peccati est, quia addita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis. Haec ille. Constat autem eum loqui de concupiscentia in renatis: ait enim, adversus quam bonus pugnat spiritus: causa verò cur vocet illam peccatum, est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; cujus mentis? hominis, *scilicet*, fidelis, in qua lex Dei inscripta est, Jerem. 31. Inest igitur illi inobedientia contra legem Dei; hoc autem verè peccatum est.

Si vero concupiscentia in renatis, licet non imputetur, & licet etiam per Spiritum Sanctum quotidie mortificetur, & imminuantur ejus vires, revera tamen peccatum est: quanto magis in non renatis peccatum fuerit?

Satis igitur perspicuè & abundè demonstratum est, quid nomine peccati originalis intelligendum sit: nempe, inobedientia Adae nobis imputata (*quia in illo peccavimus omnes*) cum originalis justitiae privatione, & eam secuta naturae corruptione, quam Apostolus vocat concupiscentiam. Totum hoc peccatum voco originale.

Hactenus de nomine & re peccati originalis satis. Nunc reliqua paucioribus explicabuntur. Ac primum in quosnam hoc peccatum derivetur.

35. Derivatur porrò peccatum hoc in omnes homines, qui communi ratione ex Adamo propagantur: per semen *scilicet* Adami, *id est*, viri ex muliere. Apostolus enim ait, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit.* Rom. 5. per unum,

&

& non per unam. Qui igitur sine viri semine ex sola foemina concipitur, in eum peccatum Adae non derivatur. Hic autem est solus Christus: qui non ex semine viri, sed de Spiritu Sancto conceptus, natus est ex virgine: Jobo quoque id confirmante, cùm dixit, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine:* nisi tu, Deus? Job. 14. Christus autem solus de immundo conceptus non est semine. Is igitur solus peccati expers, miniméque immundus est: nec non & Christo ipso idem manifestè docente, cum Nicodemo dixit, *Quod natum est ex carne, caro est: quod autem ex Spiritu, Spiritus est.* Joa. 3. Is autem licet caro factus sit, id est, homo, non tamen ex carne, id est, ex semine immundo, sed ex Spiritu, id est, virtute Spiritus Sancti conceptus est. Proinde neque dixit, *Oportet nos nasci denuo*, sed Vos: Se solum ab hac renascendi necessitate excipiens. Qua etiam de causa dixit, Neminem ascendere in coelum, nisi qui descendit de coelo (*id est se solum*) filium hominis (*id est, Mariae*) qui est in coelo: Et Apostolus solum Christum coelestem hominem vocat, reliquos omnes portare imaginem terreni Adami: 1. Cor. 15. Solus etiam Adamus typus fuit futuri, non Eva. Rom. 5. Ut igitur qui non sunt renati per Spiritum Christi, ii non sunt justi: sic qui non sunt nati ex semine Adae immundo, ii immundi & injusti non sunt: Sunt autem omnes, uno Christo excepto.

36. Ex quibus etiam sequitur, peccatum hoc in homines derivari non exemplo & imitatione, sed propagatione per semen viri facta. *Primùm*, Non enim per mulierem, sed per Adamum peccatum intravit in mundum: Mulier tamen prior Adamo peccavit, & suo exemplo illum in peccatum adduxit. *Secundò*, Parvuli quoque infantes non exemplo peccant, sed in peccatis concipiuntur atque nascuntur: Psalmo 51. Et Apostolus ait Ephes. 2. Omnes natura, eóque à nativitate, esse filios irae: quo tempore peccare exemplo Adae, vel aliorum, nemo potest: Confirmante hoc eodem Apostolo ad Roman. 5. cùm ait, *mortem non introisse in mundum, nisi per peccatum:* illam autem regnasse usque ad Mosen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae: id est, in pueros, qui peccatum Adae exemplo & imitatione sequi non potuerunt; *mors enim stipendium peccati est. Tertiò,* pertinet huc, quod Genes. 5. legitur, Adamum genuisse filium Seth ad imaginem suam, id est, impium & peccatorem, & non tantum anima rationali praeditum: Apostolo interprete 1. Cor. 15. cùm ait, *Sicut portavimus imaginem terreni,* id est, peccatum & mortem. Propagatione igitur per semen viri facta, transiisse transiréque in omnes homines, etiam in infantes, peccatum Adae manifestum est: quatenus, cum naturae corruptione, reatu quoque inobedientiae Adami impliciti omnes tenentur.

37. Ex quibus illud quoque fit luculenter manifestum, peccatum hoc non minus cujusque proprium esse, quam fuerit Adae: *Primùm*, quia in Adamo omnes, eóque & singuli peccaverunt, quando ille non ut homo privatus, sed ut totius humani generis caput & origo peccavit, mandatúmque Dei non sibi soli, sed toti humano generi in ipso traditum transgressus est. *Secundò*, quia peccatum non in Adamo haesit, sed per illum unum hominem introiit in mundum, id est *(ut explicat)* in omnes homines. Sicut autem natura humana, quae per illum cuique homini propagatione communicatur, propria fit cujusque; sic

etiam

etiam peccatum, quod eadem propagatione una cum natura derivatur, cujusque proprium fiat oportet. *Tertiò*, si etiam mors, quae stipendium fuit peccati Adae, ita omnium hominum communis est facta, ut sua quisque & non aliena morte moriatur; peccatum igitur etiam, quod primum admisit Adamus, ita commune omnium est factum, ut ad singulos privatim pertineat, & sua quisque culpa peccator sit, non autem simpliciter aliena. *Quartò*, Adde, si vera ἀντίθεσις est inter obedientiam Christi & inobedientiam Adae. Sicut igitur justitia & obedientia Christi, ita communis facta est totius Ecclesiae, quae est corpus ipsius, ut quisque fidelis verè dicere queat illam esse suam. Sic iniquitas Adae omnium hominum communis facta est, ita ut non nisi propter suam quisque culpam puniatur, & non propter simpliciter alienam: juxta illud, *Filius non portabit iniquitatem Patris. Anima quae peccaverit ipsa morietur:* Quintò, denique scriptura ubique inculcat, omnes judicatum iri secundum sua ipsorum facta, & non secundum aliena: Atqui multi infantes reprobi, qui actu legem Dei non sunt transgressi, propter solum originale damnabuntur. Est igitur hoc peccatum factum cujusque proprium.

38. Quare meritò etiam propter peccatum originale omnes non solum coelo arcentur, verum etiam morti aeternae adjudicantur, nisi per Christum liberentur.

Primum, quia peccatum hoc cujusque proprium est, stipendium autem peccati mors est, non solum temporalis, sed etiam, idque in primis, aeterna. *Secundo*, Sicut propter justitiam Christi nobis imputatam non solum liberamur à morte, verum etiam donamur vita aeterna: sic propter inobedientiam Adae non solum arcemur *(ut Pighius voluit)* à vita coelesti, verum etiam aeternae morti adjudicamur, nisi per Christum liberemur. *Tertio*, Qui non sunt Christo per Spiritum regenerationis insiti, hos omnes manet mors aeterna: quia causa cur quis non pereat in aeternum est, quia Christo insitus est per Spiritum Sanctum, & per fidem, Apostolo dicente ad Rom. 8. nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo: qui igitur in Christo non sunt, hos manet condemnatio. Non sunt autem in Christo infantes nondum renati, & reatu peccati originalis nondum liberati. *Quarto* denique doctrina haec semper fuit adversus Pelagianos defensa ab Augustino, inque Ecclesia recepta: nempe omnes damnari aeterna morte, qui in peccato concepti ab illo per Christum non liberantur: Tom. 2. Retract. lib. 1. c. 15. & in Epist. ad Xistum, ad Bonifacium, ad Hilarium; denique in omnibus suis libris. Et sic definitum in Concilio Milevitano, & aliis.

39. *Sic itaque ex omnibus quae dicta sunt definiri posse censemus peccatum Originale:* Peccatum Originale haereditaria est & communis omnium iniquitas, seu ἀνομία: qua per inobedientiam Adae omnes homines, qui porro ex ipsius semine nati sunt & nascuntur, tum in eo tanquam in sua origine peccaverunt, tum injusti effecti, totíque, quanti sunt, animo & corpore corrupti, filii irae nati sunt, & nascuntur: ad Deum cognoscendum atque amandum, ad eáque facienda quae Deo placent, ineptissimi, ad malum autem sua natura propensissimi; ac nisi per Christum liberentur, aeternae morti re ipsa tandem adjudicandi. Singulae partes definitionis ex iis quae dicta sunt, suam habent & explicationem & confirmationem: ut longiori probatione opus non sit.

40.

40. Neque, praeter alias, illa valet exceptio, qua quidam dicunt, si ideo peccatum Adae translatum est & transfertur in posteros, quia omnes in ejus erant lumbis, pari ratione caetera etiam peccata tum Adae, tum aliorum parentum, in posteros transfundi dicendum esset. Id quod & absurdum videtur, & non videmus semper evenire: cùm ex malis parentibus saepe optimi nascantur filii. Resp. primum, parem rationem esse negatur, quoniam illud primum peccatum fuit non tam personale, & proprium Adae, quam naturale, hoc est, totius humanae naturae commune, eóque verè Originale. Reliqua verò & reliquorum hominum verè personalia fuerunt. Id quod inde apparet, quia si non edisset de vetito fructu Adamus, sed mansisset justus, justos quoque genuisset liberos sibi similes, justitiáque originali praeditos: Sicut contra post illud primum peccatum genuit filios ad suam imaginem, id est, justitia originali spoliatos, corruptos, impios, eóque & morti obnoxios. Proinde Apostolus de illo primo peccato dixit, eo nos in Adamo peccasse; non ita autem de reliquis, aut reliquorum parentum peccatis locutus est. Sicut igitur justitia illa, quam acceperat à Deo Adamus, non illius tanquam personae privatae propria fuit, sed illi tanquam totius humanae naturae capiti atque origini fuit tradita; unde & originalis justitia fuit justitia. Quam autem post resipiscentiam accepit ex misericordia Dei justitiam, ea personalis fuit & propria. Sic peccatum illud primum, quo justitiam originalem Adamus, & nos simul in illo amisimus, non fuit illius proprium, sed totius humanae naturae: quae originaliter (*ut ita loquar cum Augustino*) & radicaliter in ejus erat lumbis, commune, unde & Originale vocatur peccatum: quae autem post admisit, propria ipsius & personalia fuerunt, non autem originalia & communia: multo verò minus peccata aliorum parentum originalia dici potuerunt aut possunt, parentibúsque cum suis liberis communia. Sed de ipsis peccatis per Ezechielem cap. 18. dixit Deus, *Filius non portabit iniquitatem patris. Anima quae peccaverit, ipsa* (sola) *morietur*, nempe propter suum proprium peccatum. Ita apparet diversam esse rationem primi peccati primi parentis, & aliorum peccatorum, tam quae idem Adamus post admisit, quàm quae reliqui nostri parentes perpetrarunt. Atque haec prima est responsio. Deinde negant multi viri docti absurdum esse, si dicatur peccata proximorum parentum communicari liberis, ita ut similes parentibus nascantur filii, vitiosi vitiosis: id quod tum experientia, tum exemplis sacrarum literarum, tum illo etiam dicto Exod. 20. *Visitabo iniquitates Patrum in filios*, confirmare conantur. Augustinus certè in Enchirid. cap. 46. ait hoc probabile esse: idque propter dictum illud, *Visitabo iniquitates Patrum in filios*. Si enim filius (*ut Dominus ait per Ezechielem*) *non portat iniquitatem patris, sed Anima, quae peccaverit, ipsa morietur*, & tamen Deus visitat iniquitates Patrum in filiis: consequi videtur, Deum permittere, ut peccata parentum in filios transeant, filiíque parentum peccata sequantur; ut ita justè puniantur in eis peccata, quae non tam parentum sunt propria, quàm ipsorum liberorum cum parentibus communia. Itaque viri docti sentiunt absurdum non esse, peccatorum, quae aliquis parens admittit, labem & ceu contagium, justo Dei judicio, redundare in ejus corpus & sanguinem: & per ejus porrò sanguinem atque semen in filios, quos ex illo semine

mine ita vitiose affecto gignit, transfundi: corpore primùm talium filiorum illa peccatorum labe & contagione infecto, & deinde per corpus anima. Quòd verò hoc non semper eveniat, ut filii nascantur parentibus impiis similes & similibus vitiis affecti: hoc aiunt ex Dei gratia proficisci, qui miseretur liberorum, & non sinit iniquitatem parentum longius progredi: sicut ex impio Achazo natus est pius Ezechias: si autem contrà ex piis parentibus pessimi nascantur filii, hoc fieri justo, quamvis occulto, Dei judicio: quemadmodum natus est ex pio Ezechia impius Manasses, & ex hoc Ammon: ne, *scilicet*, existimemus pietatem transfundi per carnem & sanguinem, sicut vitia transfundi plerumque solent.

Sententiam hanc defendit Martinus Bucerus in cap. 5. ad Roman., quem etiam Martyr secutus est; atque hinc magis ac magis confirmari transfusionem peccati originalis docent: quia si videmus plerumque parentes filios sibi ingenio & moribus similes procreare, quid miramur, quod Spiritus Sanctus tradit de peccato, vitiosáque natura Adae in posteros transfusa?

41. Quantus verò sit hujus doctrinae, quam de peccato originali tradimus, usus hinc manifestum fit. Primùm, quia nisi quis intelligat quotquot ex Adami semine corrupti generantur, ipsis injustitiam Adae imputari, is neque credet justitia Christi nos coram Deo verè & perfectè justos reputari, & esse, quicunque per ejus Spiritum & fidem renati sumus; quae causa est praecipua, cur Apostolus ἀντίθεσιν hanc inter Adamum & Christum, intérque illius inobedientiam & hujus obeditionem, intérque eos qui ex Adamo nascuntur & eos qui ex Spiritu Christi renascuntur, explicandam susceperit. *Deinde*, nisi credamus totam naturam nostram nasci corruptam, eámque corruptionem verum esse peccatum: neque etiam persuaderi nobis patiemur, totius hominis regeneratione opus esse. Cùm tamen ideò instituta sit regeneratio (sicut observavit Augustinus) quia vitiosa fuit & est generatio: quò spectat quod Christus etiam prius docuit: Quod natum est ex carne, carnem esse, corruptam, *scilicet*, & peccatricem: & postmodum necessitatem regenerationis ostendit dicens: oportet vos nasci denuò: quam docendi methodum Apostolus quoque ad Roman., et in hoc cap. 2. Ephes. imo & ipse & omnes Apostoli ac Prophetae semper secuti sunt. Non potest igitur doctrina de redemptione per Christum, de justificatione per fidem consistere aut rectè intelligi: nisi prius doctrina de peccato originali, déque peccato in nobis haerente, unde reliqua omnia proficiscuntur, probè à nobis percipiatur firmáque retineatur. Ac de loco hoc, hoc est, de peccato in genere & de peccato originali satis. Neque enim nostri instituti est in tradendis his locis theologicis omnia adversariorum argumenta refutare: sed simpliciter doctrinam breviter explicare. Sequitur ergo locus secundus, nempe de justificatione per Christum.

LOCUS SECUNDUS DE JUSTIFICATIONE;

ex secundo cap. ad Ephes. vers. 4. Sed Deus qui dives est misericordia, &c.

1. Prima efficiens justificationis causa Deus est, qui justificat impium, Rom. 4. & mortuos in peccatis vivificat, Ephes. 2. vers. 4 & 5. Is enim solus est,

 qui

qui remittit peccata, Jes. 43. 25. Marc. 2. 7. *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Et meritò. Solus enim etiam is est, in quem propriè peccatur, cùm illius lex violatur. Solus etiam est, qui potest hominem de immundo conceptum semine facere mundum: Joh. 14. 4. Solus enim jus habet in animas nostras.

2. Altera efficiens causa est Christus solus mediator & pontifex: quatenus ipse solus obediens fuit Patri usque ad mortem pro nobis, & ita solus suo sanguine atque λύτρῳ nos redemit, remissionémque peccatorum & vitam aeternam solus nobis impetravit ac promeritus est. Ac proinde is est, in quo solo, & propter quem solum, Deus nos justificat & vivificat, vers. 5. 6. Item ver. 13. 14. 15. 16. &c. & Rom. 3. *Justificati gratia ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit propitiatorem in sanguine ipsius.*

3. Hinc etiam apparet, quae causa sit materialis salutis nostrae & justificationis nostrae, quam alii meritoriam vocant: nempe sanguis sacrificiúmque totum corporis Christi. In hoc enim tota materia salutis nostrae posita est: ver. 13. ait, nos factos esse propinquos per sanguinem Christi: Item, v. 16. nos reconciliatos esse Deo in uno Christi corpore per crucem.

4. Causa formalis, id est, justitia qua justificamur, duplex est: una, qua verè & perfectè coram Deo justi reputamur & sumus, nempe in Christo. Ea consistit in remissione peccatorum nostrorum per sanguinem Christi parta, & in imputatione obedientiae, perfectissimaeque justitiae ejusdem Christi: de qua *Rom.* 5. Per unius obedientiam justi constituuntur multi: Et de qua *Genes.* 15. 6. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Et *Psal.* 32. Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputat Dominus peccatum. Haec est vera nostra justitia. Altera est, qua per Spiritum Christi nobis communicata, & reapse in nobis haerente, séque per opera foras exerente, sumus justi coram hominibus etiam, & pro justis ab ipsis agnoscimur & habemur: & consistit in renovatione naturae, ac regeneratione: constátque mortificatione veteris hominis & renovatione novi, odio peccati, & amore justitiae, studióque bonorum operum: quae & justitia inhaerens, & inchoata obedientia vocari solet: de qua 1. *Joh.* 3. Qui facit justitiam, justus est, & Apoc. 22. Qui justus est, justificetur adhuc, id est, fiat magis ac magis justus: atque hanc effectum illius prioris esse dicimus: Sic etiam *Psal.* 32 de prima dixit, Beatus cui non imputatur peccatum: De altera, & in Spiritu ejus non est dolus. Ac proinde hanc ab illa non separamus reipsa, sed tantum distinguimus. Sicut enim in peccato originali, quod ab Adamo habemus, duo esse diximus, inobedientiae illius reatum ac imputationem, & eam consecutam justitiae privationem naturaeque corruptionem, & utraque parte nos facti sumus injusti. Sic si vera est ἀντίθεσις inter Christum & Adamum, illiúsque justitiam & hujus injustitiam, utramque à Christo justitiam habeamus necesse est. Neque Apostolus unam ab altera sejungit: sed tantùm in priori veram coram Deo nostri justificationem collocat, quòd ea sola perfecta sit justitia: in altera verò, ut magis ac magis quotidie perficiamus, hortatur ne sinamus peccatum regnare, & ita Deum glorificemus. Proinde etsi studendum est huic justitiae toto vitae tempore: nunquam tamen ea niti possumus coram Deo nec debemus.

5.

5. Electos autem in Christo, id est, solos, licet in peccatis mortuos, justificat & vivificat, vers. 5. *Rom.* 8. vers. 30. Quos praedestinavit, hos & vocavit: Et quos vocavit, hos & justificavit. *Item*, Quis intentabit crimina adversus Electos Dei? Deus est qui justificat: scilicet, *Electos Dei:* Quis est qui condemnet *(Electos Dei)?* Christus est is, qui mortuus est *(pro electis Dei).* Solos enim eos justificat, quos etiam glorificat: Rom. 8. Reprobi autem nunquam glorificabuntur; Sicut neque unquam vera fide donantur, qua justificari possint: est enim fides Electorum tantum, Tit. 1. Actor. 13.

6. A nulla autem re extra se posita adducitur Deus ad homines justificandos: Sed à sua tantum gratia & à multa caritate, qua dilexit nos, eóque & à misericordia sua, in qua dives est erga nos: vers. 4. 5. Item, *Non ex vobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur*, 8. 9. Item, *Non ex operibus justitiae*, quae fecerimus nos, sed ex sua misericordia salvos nos fecit: Tit. 3. 5. Neque enim nomine Gratiae intellexit Apostolus *(ut Pelagius volebat)* vel beneficium creationis, vel naturae possibilitatem *(ut ille loquebatur)* vel revelationem legis: neque etiam habitum infusum, ut volunt Sophistae: Sed gratuitum Dei favorem, quo nos in Christo complexus est, & veram caritatem erga nos, & misericordiam, qua condonat peccata, & miseretur quorum vult misereri.

7. Neque in hoc negotio justificationis negligit Deus instrumenta atque organa: Utitur enim verbo & Sacramentis, quae verba sunt visibilia, pérque haec suam effert gratiam & Christi beneficium, remissionem peccatorum, & perfectam Christi justitiam: neque à nobis exigit, nisi ut ei credamus, fidéque gratiam hanc & beneficium amplectamur, v. 17. *Et veniens evangelizavit pacem:* Et Rom. 1. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* De Sacramentis ait. Ephes. 5.: *Ut eam* (Ecclesiam) *sibi sanctificaret, mundans eam lavacro aquae per verbum.*

8. Hinc fit perspicuum, quodnam vicissim à nobis exigatur instrumentum, quo per verbum, tam visibile quàm audibile, oblatam gratiam recipiamus; nempe fidem exigit, eámque in hoc officio solam. Etsi enim vera fides sola non est, sed cum ipsa caritate veráque poenitentia semper conjuncta: Sola tamen, tanquam lumine, quae in verbo & Sacramentis offeruntur videmus, & eadem sola fide, tanquam manu, oblatam amplectimur gratiam. Verbum enim auditur auribus, & Sacramenta percipiuntur aliis sensibus: Sed quod in utrisque offertur, sicut non intelligitur nisi mente fide praedita, sic etiam non recipitur nisi eadem mente & spiritu fide affecto. Atque haec una est causa, cur sola fide seu per solam fidem, dicamur justificari: quia nullo alio percipi à nobis potest instrumento vera & invisibilis Christi gratia atque justitia, verbo & sacramentis proposita, quam fide: fide, inquam, res non apparentes sola inter omnes virtutes intelligente, & res absentes apprehendente, & ut subsistant in animis nostris efficiente. Heb. 11. Ideò hìc in cap. 2. vers 8. ait, *Gratia estis servati per fidem (tanquam per instrumentum)* & id negat ex operibus, tanquam ex meritis, contingere. Neque etiam dicit, per caritatem, aut per opera tanquam per organa, servati estis: Sed duntaxat per fidem, quia sola organum est ad hanc rem accommodatum atque idoneum.

9.

9. Ex quibus illud quoque intelligitur: neque fide, quatenus opus est cultum Deo praestans, hominem justificari, cum ex operibus simpliciter neget Apostolus nos servari. Cujus rei ratio est, quia sicut non amamus Deum toto corde, ut jubet lex, sic neque credimus Deo simplici mente & sine ulla dubitatione fidéque perfecta, ut eadem lex postulat. Quare cum fides etiam, licet vera, semper tamen sit imperfecta, eóque non respondeat legi Dei, efficitur neque ipsa, quatenus opus est quoddam, hominem justificari posse, sed ipsam quoque opus habere, ut quicquid in ea est defectus condonetur per gratiam Dei: & dicat Deo, *Domine adiuva incredulitatem meam*: aliòqui non sola gratia Dei servaremur, si etiam ex fide tanquam ex opere.

10. Duplici autem sensu fide hominem justificari dici & intelligi potest: instrumentaliter nimirum (*ut ita loquamur*) & formaliter: Utroque autem sensu sola semper fide justificamur. Priori quidem sensu, quia hac sola, tanquam instrumento (*ut modò dictum est*) ad hanc rem accommodato, gratiam Dei & justitiam Christi percipimus: Posteriori verò, quatenus sola Christi obedientia atque justitia, per fidem apprehensa formaliter justificamur: ut fides apprehendens pro re apprehensa in hac locutione accipiatur, juxta illud, *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam.* Quid fuit imputatum? propriè non ipsum credere, sed illud ipsum quod de semine promisso credidit. Ita (*ut loquitur Bucerus*) fides justificat, non actione sed passione: quia in justificatione nihil dat, sed tantùm accipit: & quod accipit eo ipso justificamur.

11. Hinc etiam perspicuum fit, quaenam opera ab officio justificandi excludat Apostolus, cùm ad Rom. & Gal. concludit ex operibus legis hominem non justificari, & cum hîc apertè negat nos servari ex operibus, V. 9. Opera nimirum omnia, quae à nobis fieri possunt, non solum legis caeremonialis sed etiam moralis, & non solùm quae ante fidem sed etiam quae post fidem & ex fide sunt. Ratio est, quia nulla unquam legi Dei satisfaciunt legémve implent, juxta illud, *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo vivens.* Et illud, *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Et, *Lex infirmatur per carnem.* Et, *si dixerimus quod peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus.* Et, *omnes peccaverunt, & deficiuntur gloria Dei.*

12. Finalis causa, cur Deus voluerit velítque hac ratione hominem justificari, nempe ex nullis operibus nostris, sed tantùm ex sua gratia, & per Christi obedientiam atque justitiam solâ fide apprehensam, duplex est. Una, ut ne quis in seipso glorietur: v. 9. Sed omnis gloria Deo attribuatur, patefactis summis divitiis gratiae ipsius: v. 7., ad ostensionem justitiae ipsius summae, id est, summae clementiae & bonitatis in hoc seculo, ut ipse solus sit justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. Ro. 3.

Altera est, ut salus nostra tutior sit, & firma maneat promissio, suum habens complementum. *Propterea ex fide* (inquit Apostolus Rom. 4. v. 16.) *ut sit per gratiam, & ut firma sit promissio toti semini.* Tutior enim & firmior est in manibus Dei quam in nostris salus nostra: proinde eam esse voluit ex gratia sua, & non ex operibus nostris. Nunc explico, quod fortè initio videbatur

videbatur explicandum. Sed non sine causa praemisi, quae faciliora mihi visa sunt: ut quod difficilius est facilius ex praemissis intelligeretur: Hoc autem est de verbo justificandi, déque ratione quâ Deus in nobis justificandis utitur. Ergo haec esto θέσις.

13. Verbum porrò justificandi, ad summam, duplicem habet significationem: Primùm significat, aliquem à criminibus, de quibus accusatur, absolvere, justùmque & innocentem in judicio pronunciare: & verbo condemnandi opponitur: ut Deut. 25. & Proverb. 17 ver. 15. et apud Evangelistas liquet. Ex *verbis tuis justificaberis* (ait Dominus) *& ex verbis tuis condemnaberis*. Sed hoc fieri bifariam potest, nempe aut justè aut iniquè: justè, ut si judex cognita alicujus innocentia & probitate absolvat eum à criminibus falso illi objectis: iniquè verò si quem judex novit verè facinorosum esse, eum tamen justificet, id est, absolvat, justum pronuncians, & omni poena liberet, contra verò justum condemnet: quò nihil magis abominabile esse in conspectu Domini Salomon ait, Proverb. 17. v. 15 Atque haec prior significatio planè forensis est: prout scilicet verbum hoc usurpatur in foro judiciali.

Altera verbi significatio est, hominem ex injusto justum fieri: sicut etiam sanctificari est ex profano sanctum fieri: quâ significatione dixit Apostolus, 1. *Cor.* 6. 11. *Et haec eratis quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Jesu, per Spiritum Dei nostri:* id est, ex immundis, mundi, ex profanis sancti, ex injustis justi facti estis per Spiritum Sanctum, propter Christum, in quem creditis. Ad quam significationem illud etiam spectat, quod Apocalyp. 22. legimus, Qui justus est justificetur adhuc: id est, fiet re ipsa ex justo magis justus, nempe sicut etiam ex injusto factus est justus. Et juxta hanc significationem Patres, atque inprimis Augustinus, verbum hoc interpretati sunt: Ut justificari illis nil aliud fuerit, quàm ex injusto justum fieri, per gratiam Dei, propter Christum. Legatur praeter alia loca. Tom. 2. Epistola 105. ad Sixtum. Item Tom. 7. de gratia Christi contra Pelagian. & Caelest. lib. 1. Item, de peccatorum merit. & remiss. lib. 1. Item Tom. 3. de Spiritu & Litera, cap. 28. Haec sunt duo certa hujus verbi justificandi significata.

14. Ad primam igitur significationem quòd attinet proprium Dei est, tanquam veri & supremi judicis, homines justificare & condemnare: id est, alios absolvere justósque pronunciare & alios condemnare. Ac officium hoc facit nunc Deus, partim in conscientia cujusque privatim, partim in Ecclesia publicè: perfecturus tandem in ultimo illo judicio, coram toto mundo & Angelis suis. Absit autem, ut cùm Apostolus ait, Deus justificat impium, ita intelligamus, ut qui simpliciter impius est, eum Deus tanquam pium absolvat, justúmque esse pronunciet, qui re ipsa injustus est: cùm scriptura dicat, Deum odisse impium & impietatem ejus: & Deus sit summa sapientia, veritas atque justitia. Omnes autem homines suâ naturâ injusti sunt: & nemo seipsum facere potest justum, sed solus Deus. Consequitur ergo neminem à Deo absolvi justúmque pronunciari: nisi quem ipse prius fecerit justum per gratiam suam. Sic admisit Bucerus in Disp. Ratib. 291.

15. Caeterum (ut ad alteram significationem veniamus) sicut duplex est jus-

justitia (ut supra ostendimus) quâ justificamur, id est, quâ fimus justi: sic Deus bifariam facit homines justos: Primum, cùm electis suis Christo jam per Spiritum Sanctum fidémque insitis & incorporatis, ex sua misericordia ac gratia propter Christum, in quo fuerunt electi, & cui propter ipsorum delicta mortuo & propter ipsorum justificationem resuscitato insiti sunt, non imputat ipsorum peccata, sed omnes condonat iniquitates, utpote quae sanguine Christi extinctae fuerunt. Et contra obedientiam justitiámque Christi illis utpote Christi membris, quibus quae propria sunt capitis communia fiunt, propter eundem Christum imputat: per unius enim obedientiam, nempe imputatam, justi constituuntur multi, id est, electi omnes Christo jam per Spiritum Sanctum insiti. Cùm autem haec sit vera & perfecta justitia, quae in remissione peccatorum nostrorum, & in imputatione justitiae Christi, consistit: quis non eos verè ex injustis justos esse factos dicat, qui justitiam hanc in Christo consecuti sunt?

16. Sed accedit altera etiam justitia, à priore quidem inseparabilis re ipsa, ratione tamen distincta, & manifestum prioris testimonium; justitia, inquam, inhaerens, qua licet perfectè in nobis ipsis justi non simus, quod contaminetur per carnem haec justitia, talis tamen est, unde possumus tùm nos ipsi, an verè ipsi Christo insiti simus, eóque in illo perfectè justi nec ne simus, intelligere, tùm ab aliis hominibus, propter externos hujus justitiae fructus, pro justis cognosci justíque aestimari ac pronunciari: ita ut si Deus nos per Ecclesiam absolvat justósque pronunciet, dicere nemo hominum queat Deum, qui justi non sunt, eos iniquè justos pronunciare.

17. Cùm igitur Deus utraque justitia nos justos re ipsa efficiat, una quidem coram se, altera autem etiam coram hominibus: nullo modo dici potest, cum Deus Electos fideles justificat, id est, justos pronunciat, atque ab omni culpa & poena absolvit, eum homines simpliciter impios & injustos absolvere, justósque pronunciare: quod hoc cum summa ipsius justitia & veritate ex diametro pugnet: sed justos à se factos absolvit nempe fideles, injustos autem & infideles condemnat.

18. Caeterùm licet nos Deus utraque justitia justos efficiat, imputata & inhaerente, ac proinde, licet nunquam absolvat eos qui simpliciter impii sunt, dum scilicet impii & injusti manent: non tamen propter inhaerentem absolvit justósve pronunciat, sed propter imputatam Christi justitiam: quando inhaerens talis est nostro vitio, ut legi Dei non satisfaciat, eóque opus habeat suorum defectuum suaeque imperfectionis condemnatione: juxta illud, *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur vivens.*

19. Porrò absolutio haec Dei, quâ nos, ex injustis justos jam remissione peccatorum & imputatione justitiae Christi factos, ab omnibus intentatis adversus nos criminibus & ab omni poena illis debita absolvit ac liberat, inque suam recipit gratiam, & justos haeredésque regni coelestis propter Christum pronunciat; haec, inquam, absolutio fit primum in hac vita, deinde perficietur in fine seculi. In hac quidem vita fit, cum majori illi propositioni divinae in Ecclesia & per Ecclesiam prolatae, nempe, Quicunque credit in Filium Dei Jesum Christum, quòd per ejus obedientiam justus factus sit coram Deo, sicut per obedientiam Adae injustus factus fuerat, hunc Deus pro justo agnoscit,

cit, habet, pronunciat, atque ab omnibus criminibus, quae illi objici possint, eóque & ab omni reatu ac poena peccatis debita absolvit ac liberat. Cùm inquam, huic propositioni divinae in Ecclesia prolatae & creditae fidelis in sua assumitur conscientia. Atqui ego credo in Filium Dei, meque tam per hujus obedientiam reputari justum coram Deo persuasum habeo, quam etiam credo per inobedientiam Adae peccatorem & injustum fuisse, cùm non minoris efficaciae sit obedientia Christi, quam fuerit inobedientia Adae: Qui, inquam, propositioni illi divinae hoc modo ex vera conscientia assumitur: is statim in seipso sententiam Dei, per Spiritum suum spiritui nostro loquentis, audit, qua certò sentit, ex Dei gratia, & propter merita Jesu Christi, se absolutum esse ab omni reatu poenáque aeternae mortis liberatum, & jure aeternae vitae donatum. Haec est prima justificatio, seu absolutio; de qua & Apostolus Rom. 8. *Spiritus S. reddit testimonium Spiritui nostro, quòd sumus filii Dei: quod si filii, & haeredes.*

Altera fiet in fine seculi, cùm Christus pronunciabit de fidelibus: *Vos estis benedicti Patris mei: possidete ergo regnum, quod vobis paratum fuit à constitutione mundi.* Matth. 25.

20. Quanquam autem Deus *(ut dictum est)* neminem absolvit pronunciátve justum, nisi quem prius ipse, condonatis peccatis, & imputata justitia Christi, verè fecerit justum: utrumque tamen eodem fit tempore, & utrumque vir fidelis per fidem simul intelligit ac percipit. Sicut enim nemo audire potest in sua conscientia persuasúmque habere, se absolutum esse coram Deo ab omni reatu & poena peccatis debita, nisi credat sibi ex misericordia Dei & propter Christum remissa esse peccata imputaríque justitiam Christi: Sic simulac quis hoc verè credit, statim etiam illud habet persuasum, inque sua sentit conscientia, se transiisse à morte ad vitam, sibíque nihil amplius superesse damnationis, juxta illud Christi *Joh.* 5. Qui credit in me, non venit in judicium, sed transit à morte, &c. Et *Rom.* 8. Nihil damnationis, &c. Utrumque autem hoc, nempe & justum justitia Christi fieri, justum in propria conscientia per Spiritum Dei pronunciari atque ab omni reatu absolvi, simul conjunctum, justificationis nomine in sacris literis, praesertim apud Apostolum significari solet: ut in hominis justificatione unum ab altero separari nullo modo possit vel debeat, cùm utrumque simul & eodem temporis momento fiat, accedente simul etiam ipsa cordis innovatione ac regeneratione.

21. Atque hinc etiam liquido apparet, justificationem per solam fidem non esse rem imaginariam: quando testimonium habet non solum externum in sacris literis, sed etiam internum à Spiritu Sancto, qui efficaciter per hanc fidem à se in nobis excitatam operatur in cordibus nostris, certos nos reddens de remissione peccatorum propter Christum, pronuncians nos receptos esse in gratiam & ab omni culpa & poena absolutos, pacatas & tranquillas efficiens conscientias, purificans corda nostra, eáque túm odio peccati tum amore justitiae afficiens, totum denique hominem vitámque renovans in iis, qui per solam in Christo fidem justificari in sacris literis dicuntur.

22. Solet autem Deus, quos in Christo ab aeterno filios elegit, & quos postea in tempore, cum adhuc inimici essemus, per Christum redemit sibíque recon-

reconciliavit, eos hoc ordine in cognitionem suae gratuitae Electionis, gratuitae per Christum redemtionis, omnísque spiritualis benedictionis, qua in Christo fuimus benedicti, adducere, eóque & in Christo justificare & servare.

1. *Primum*, nos suo quemque tempore, praedicatione Evangelii, cujus summa haec est, *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Joh. 3. 16. per Spiritum suum Sanctum, è mundo ad Christum seligit atque efficaciter vocat, donatos tùm vera fide, qua vocantem audiamus, & quicquid per Evangelium annunciat verum esse credamus, tum etiam Spiritu regenerationis, quo nos Christo inserit illiúsque efficit membra; quamvis Christo nos esse insitos (*ut in pueris liquet*) nondum manifestè initio semper sentiamus.

2. *Deinde*, ex illa generali fide, quam praebamus Evangelio, nos in veram sui, id est, Dei mittentis, ac Christi missi, simúlque & nostri, pro quibus missus est, cognitionem adducit; solidóque sensu & peccatorum nostrorum & irae suae adversus peccata, atque adeò etiam bonitatis suae erga nos afficit: quippe qui peccata nostra ut expiaret & tolleret è mundo nósque servaret, dedit Filium in mortem: luculentissimum certè testimonium & irae Dei adversus peccata, & amoris erga nos.

3. Hinc *tertio* loco excitat in nobis poenitentiam, qua contriti corde nostra detestamur ex animo peccata, quibus tam bonum offendimus Deum, & poenitet nos totius malè actae vitae: ad Deum verò pro remissione peccatorum suspiremus, Christi justitiam esurientes atque sitientes. Statim fiduciam quoque excitat, fidei effectum, qua humiliatas erigit conscientias, deducens animos nostros ad Christum, eúmque nostram esse justitiam & sanctitatem persuadens.

4. Hinc *quarto* loco efficit, ut sensu vivae fidei sentiamus nos Christo insitos esse, eóque propter ipsum tum remissionem peccatorum consecutos, tum justitia ipsius vestitos justósque effectos, ab omni etiam reatu & condemnatione absolutos esse in conspectu Domini nullo modo dubitemus.

5. *Quinto*. Ut hujùs rei certum manifestúmque testimonium habeamus, praeter fiduciam, qua audemus ad Deum liberè invocandum accedere: addit etiam mentis cordísque renovationem, qua sentimus nos odio peccati & amore justitiae affectos in Deum quoque ipsum amore affici, gloriaeque illius promovendae studio teneri.

6. *Sexto*, Spem etiam donat, qua speramus fore, ut, quae nunc inchoata in nobis sunt, ea tandem certo per & propter Christum perficiantur: postremámque absolutionem simus audituri, *Venite benedicti Patris mei, &c.*

7. *Septimo*, ne nostra spes fallatur promissióque ipsius irrita fiat: conservat & auget in suis Electis tum fidem illam, qua sola solam etiam misericordiam Dei solámque Christi justitiam apprehendente, illáque sola nitente, justificari nos diximus: tum etiam bonam conscientiam, internámque & inhaerentem justitiam in finem usque vitae: regens nos suo Spiritu, pérque studium bonorum operum in plenam aeternae vitae possessionem deducens: de quo incremento & de qua perseverantia ad finem secundi capitis ad Ephesios in metaphora Templi disseruit Apostolus: & clarius etiam in cap. 4.

8. *Octavo*, Ut autem nostra justificatio & salus sit semper in finem usque vitae ex sola fide, i. ex sola gratia & misericordia Dei, & non ex operibus nos-

nostris: permittit pro sua admirabili providentia sanctos suos & peccatum semper secum gestare & in varia subinde labi delicta, quo semper cogamur ad thronum gratiae & misericordiae ipsius confugere, petentes remissionem peccatorum propter obedientiam Christi. In quem etiam finem variis nos exercet afflictionibus, ex quibus intelligamus, nos nunquam carere peccatis, quorum venia & remissio semper petenda nobis sit propter Christum. Atque ita salus & justitia nostra sit semper ex fide in fidem, ad gloriam ipsius Dei & Filii ejus Jesu Christi Domini nostri.

LOCUS TERTIUS EX SECUNDO

CAP. EPHES.

De gratia Dei.

Quia gratia & opera, id est, merita opponuntur, v. 8. 9. et sic etiam Rom. 11. idcircò de operibus dicturi necesse est dicamus priùs de Gratia: praesertim quod de utroque hîc agit Apostolus, & utrumque opposuit dicens, *Gratia servati estis, non ex operibus.*

1. Quod Latinis est Gratia & Graecis χάρις, id Hebraeis est חן à חנן, misertus est, donavit, gratificatus est: Ac cum ad Deum refertur, duo in sacris literis significat. *Primo*, favorem gratuitum gratuitámque benevolentiam, qua Deus dignatus est & dignatur homines nihil tale promeritos amplecti, eorum misereri, illisque benefacere: atque haec gratia in ipso est Deo, in nobis autem ejus tantum effecta & sensus atque gustus, de qua hîc Apostolus, v. 8. *Gratia estis servati, i. gratuito Dei favore, amore, misericordia, non autem ex operibus vestris:* Et Maria aliíque sancti viri saepè in sacris literis *gratiam apud Dominum,* i. gratuitum favorem, quem ipsi non quaerebant, & de quo nihil planè cogitabant, ceu thesaurum in agro, casu invenisse & consecuti esse leguntur: qua phrasi verè gratuitum esse favorem declaratur. *Deinde* significat gratuitum beneficium & donum, quodcunque illud sit, quod à priori gratia Domini profectum in homines gratis confertur: de qua *Eph.* 4. Unicuique nostrum data est gratia, juxta mensuram donationis Christi: quapropter dicit, *dedit dona hominibus.* Juxta utramque autem significationem Gratia Latinis dicitur (interprete Augustino) eò quod gratis detur: Quando & gratuitus est omnis Dei favor, & gratuita omnia ejusdem dona; ut vel sola vocis etymologia *omnia excludat merita nostra, gratiáque non sit ullo modo, si non sit gratuita omni modo.*

2. Est autem gratia, juxta priorem significationem, de sententia Augustini, Tom. 2. Epist. 95. ad Innocentium, Cap. 11. duplex: Una generalis, generalis scilicet favor & amor, quo diligit omnia quae sunt, ut est in lib. Sapientiae, omnibúsque hominibus citra exceptionem bene vult & benefacit, pluens, & solem oriri faciens, tam super malos quàm super bonos, dans tempora fructifera, & omnia corda implens cibo & laetitia: Act. 14. Altera specialis, specialis nimirum amor & favor, quo nos elegit in Christo, & electos redemit, sibíque recon-

reconciliavit, *efficaciter vocat, justificat, servat, glorificat (de qua in hoc cap.* 2. *& alibi millies)* quo peculiariter electis favet, eósque servat in vitam aeternam: qui etiam *(favor)* hanc ob causam solus propriè vocari potest *gratia gratum faciens*, quia, *scilicet*, Deus ex solo suo favore & εὐδοκίᾳ nos sibi gratos effecit in dilecto Filio suo. *Ephes.* 1.

3. Idem verò specialis favor erga electos non incongruè in gratiam primam ac secundam, praevenientem ac subsequentem, operantem & cooperantem dividi solet ab Augustino & à Scholasticis: quatenus Deus primum dilexit nos, & secundo suae dilectionis effecta semper communicat, vocando, justificando, glorificando. Et quatenus praevenit ut vocemur, subsequitur ut justificemur & glorificemur, praevenit ut mortui in peccatis vivificemur, subsequitur ut vivificati in bonis vitae operibus ambulemus: & denique quatenus operatur ut velimus, cooperatur ut perficiamus; ipse enim & ut velimus operatur incipiens, & volentibus cooperatur perficiens, ut loquitur Augustinus. Tom. 7. de praedestin. & gratia, c. 11. item de gratia, c. 17. item de natura & gratia. Ita gratia haec & initium est & consummatio salutis nostrae. Ut verè de tota loquens salute Apostolus dixerit, *Gratia servati estis.* Atque haec de prima Gratiae significatione.

4. Gratia verò juxta alteram significationem dividitur primum in ea dona primaeque illius gratiae effecta, quae ad salutem ejus, quibus communicantur, necessaria sunt, ut est Fides, Spes, Charitas, & hujus generis alia: quam ob causam à Scholasticis, sed impropriè, *Gratiae gratum facientes* appellatae fuerunt. Et deinde in ea dividitur dona, quae ad aedificationem Ecclesiae pertinent, veluti sunt donum prophetizandi, docendi in Ecclesia, discernendi Spiritus, variis loquendi linguis, & id genus alia, de quibus 1. Cor. 12, quae non solùm Electis, verum etiam reprobis ad Ecclesiae utilitatem communicari solent: qua de causa *Gratiae tantum gratis datae* appellantur in Scholiis.

5. *Gratia*, juxta priorem significationem, hujus secundae, omniumque effectorum ejus, eóque totius salutis nostrae, Electionis, Redemptionis, Vocationis, Justificationis, Glorificationis causa est efficiens. V. 4. 5. 8. & deinceps, & c. 1 Ejus autem nulla est esséve potest, praeter ipsum Deum infinitámque ejus bonitatem, causa: quando ab illa priori gratia ipsa etiam pendet aeterna Electio, initiùm fundamentúmque salutis nostrae.

6. Summa igitur est, non solum impietas, verum etiam inscitia, dicere, *hominem suis operibus, aut etiam fide, quatenus opus quoddam est, gratiam Dei, qua remittit peccata, qua justificat, qua servat, sibi promereri posse, atque etiam praevisa opera causam fuisse aeternae Electionis:* cum nullo modo fieri possit, ut quod est alicujus causae effectum, idem sit ejus suae causae aliqua efficiens causa.

7. Omnis porrò gratia, tam illa priòr fons omnium bonorum, quam reliquae omnes ab illo fonte profluentes, in solo Christo, & propter solum Christum, communicatae nobis sunt & communicari solent: Ita ut neque extra Christum, neque propter ullam aliam rem quam propter Christum, particeps gratiae Dei quis fieri possit: sicut ex toto primo & toto secundo cap. Ephes. liquet: & *Joh.* 1. Lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est. Ac proinde nemo etiam, praeter Christum, verè dici potest

gratiam

gratiam Dei aliquam sibi vel aliis promereri unquam potuisse vel posse.

8. Ex quibus etiam sequitur, sine Christo sinéque ejus Spiritu neminem ad gratiam ullam recipiendam seipsum praeparare posse: quando omnis gratia communicatur in solo Christo. Et ad omne bonum gratia Dei nos semper praevenit atque subsequitur. *Et praeparatur voluntas à Domino (ait scriptura).* Non igitur homo seipsum praeparat suámque voluntatem.

9. Porrò per & propter Christum, sicut quisque potest, sic etiam debet credere, se esse in gratia Dei. Cum nemo in Christo esse possit, qui non sit in gratia apud Deum: qui enim habet Filium, habet & Patrem. Et fides in Christum consistere nequit, si quis de gratia & favore erga se Dei propter Christum dubitet, cum ea sit ὑπόστασις eorum quae sperantur, & ἔλεγχος rerum non apparentium. Neque enim vera fides in aliud respicit, quam in Christum, in quo tum promissiones Dei suum habent Amen; & etiam ejusdem Dei potentia sese exeruit & perpetuo exerit, Ephes. 1. Neque certè alia fuit Abrahae patris credentium fides, qui credidit in spem contra spem, & qui non haesitavit diffidentia, sed robustus factus est fide, quod qui promiserat potens esset ei & praestare. Sed neque quis Christi esse dici potest & in Christum credere, qui non habeat Spiritum Christi. Spiritus autem Christi reddit testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei. *Rom.* 8. Et in hoc cognoscimus (*inquit Johannes*) nos in eo manere & ipsum in nobis, ex Spiritu, quem dedit nobis, 1. *Joh.* 4. Denique in hunc finem Apostolus ait, *Gratia estis servati*, & non ex operibus, ut credamus certo rem ita se habere, & propter Christum, cujus fidem profitemur, ne de gratia Dei erga nos dubitemus.

LOCUS QUARTUS EX SECUNDO

CAP. EPHES.

De bonis Operibus, ac meritis.

De bonis operibus capita septem ex Apostoli contextu collegimus observanda. Nunc, licet non eodem ordine, quo fuerunt indicata, omnia tamen, sed methodo ad docendum accommodata, certis θέσεσι explicanda comprehendendáque nobis sunt. Ac primùm de voce bonorum operum, & de voce meriti.

1. Nomine bonorum operum, licet vulgò externa tantum fidei effecta caritatísque officia intelligantur, nos tamen secundum scripturas primùm actiones omnes, tam internas mentis ac voluntatis, quàm externas corporis, operum nomine complectimur: quando etiam ipsum credere Christus vocat opus. *Joh.* 6. 29. Et lex Dei, quae lex factorum, ad Rom., vocatur, non solum externa facta, sed etiam internas operationes mandat. Et quisque judicandus esse dicitur in sacris literis secundum opera sua: judicandi autem sunt non tam secundum externa facta, quàm secundum animi & voluntatis actiones. Deinde non omnia generatim hominum opera, quae ipsi judicant bona, bona opera in sacris literis vocantur. Sed ea tantùm, quae ex Dei fiunt voluntate in sacris literis revelata. Ac proinde, quae ipse praeparat & operatur in nobis per Spiritum

ritum suum *(Ephes.* 2. *v.* 10) eóque ex fide fiunt Jesu Christi, quando quod non est ex fide peccatum est. Rom. 14.

2. Nomine autem meriti *(quae tamen vox nusquam in sacris literis reperitur, locus enim Eccles.* 16. *v.* 4. *& Hebr.* 13. 16. *nihil ad rem faciunt)* nomine, inquam, meriti propriè intelligitur opus non debitum, cui merces valore suo operis valorem non multum superans debeatur *(tria enim in merito propriè accepto necessariò requiruntur. Primò, ut opus sit non debitum. Secundò, ut merces sit debita. Tertiò, ut aequalitas sit inter utriusque valorem);* impropriè vero omne opus, licet debitum, cui merces non debita, & saepè etiam valorem operis suo valore longissimè superans, promissa est, hoc nomine significatur, tum in communi vulgaríque loquendi consuetudine, tum etiam apud Patres, cum de mercede operibus nostris à Deo promissa sermonem habent. *Nihil enim à nobis fieri posse boni senserunt, quod Deo non debeamus ratione creationis, gubernationis, redemtionis:* quicquid verò promittit & promissum praestat, id ex ipsius liberalitate & misericordia promitti atque praestari, non autem ex debito; nullam verò esse aequalitatem inter opera nostra, & quam Deus dat mercedem, ad aeternam salutem, quam tamen aequalitatem inter mercedem & meritum omnino esse oporteat: *ut etiam Tom.* 3. *par. q.* 49 *art.* 6. *ait.* Addunt, quae nos facimus opera bona, dona potius Dei esse, quam opera nostra. Unde illud Augustini, Deus cum remunerat opera nostra, coronat dona sua. Item, Dona sua coronat Deus, non merita tua. *Ac proinde damnarunt haereseos, quicumque dicerent gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Unde liquet, quoties sancti Patres nomen meriti usurparunt, eos impropriè illud accepisse, nempè pro opere debito, nullam cum mercede promissa aequalitatem aut comparationem habente, cui tamen merces indebita misericorditer à Deo reddatur. Qua de re praeter alios legatur Augustinus, Tom. 1. Retract. libr. 2 C. 31. Item Tomo 2. Epistola 105. ad Xistum Presbyterum. Item Epistola 106. ad Bonifacium. Item 146. ad Valentinum. Tom. 8. in Psalm. 144. Item Tom. 7. de lib. arbitr. lib. 3 c. 16. Item de gratia & lib. arbitr. cap. 6. Tom. 3. in Enchirid. cap. 30. & passim; hoc contra Pelagian. facit Augustinus. Ambrosius Tom. de Cain & Abel, cap. 7. Hieron. in Jes. cap. 64. Et illud tritum D. Bernardi, in Cant. serm. 17. Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiat meritum. Et illud, merita habere cures, habita data noveris, fructum speraveris Dei misericordiam. Quin etiam Thomas Aquinas in eandem ferè sententiam scripsit. His explicatis reliqua facilè expediuntur.

3. Bonorum operum causa efficiens proxima & immediata sunt ipsi homines renati & justi. Nos enim sumus qui volumus, qui credimus, qui operamur bona. Et in hunc finem regeneramur & justificamur, ut scilicet ambulemus in bonis operibus. *Ephes* 2. *v.* 10. Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu ad opera bona. Excluduntur ergo impii, & quicunque in Christo non sunt facti nova creatura. Hi enim cum sint arbores malae, non possunt bonos fructus facere. Sed omnia ipsorum opera mala sunt & peccata, *Johan.* 3. 19. *Rom.* 14. 29. Sunt item mortui in peccatis; nil igitur boni, & ad vitam spiritualem pertinens, praestare possunt. Ideò rectè Augustinus, opera bona non praecedunt justificandum, sed sequuntur justificatum. Ex quibus etiam sequitur,

impiam

impiam esse doctrinam eorum, qui docent opera quaedam ante justificationem praestari posse, quibus sese ad justificationem praeparare homines possunt, Deúmque flectere ut oculos suae misericordiae ad ipsos convertat & donata fide justificet. Quid enim potest homo mortuus ad sui vivificationem? Peccatis verò Deus non flectitur ad misericordiam, sed ad iram provocatur. Sunt autem peccata omnia impiorum opera: non sua natura, & quatenus opera sunt, sed quia ex animo impuro & sine fide fiunt, pugnantia cum lege Dei. Eóque meritum de congruo evertitur. Neque enim congruum est, ut Deus peccatis nostris flectatur ad nos servandos, sed potius ad perdendos: flectitur autem à sua misericordia. Atque haec θέσις respondet inprimis c. 2. quod de operibus in verbis Apostoli observavimus, A quibusnam fiant bona opera. Respondet deinde primo capiti, per doctrinam gratiae & fidei non tolli neque extenuari bona opera: *quoniam ad hoc per fidem vivificamur, regeneramur, & justificamur, ut possimus opera vitae, i. opera bona praestare & in eis ambulare.* Quo illud Apostoli pertinet, *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, imò stabilimus Rom.* 3.

4. Bonorum operum causa efficiens remota, sed tamen principalis, est Deus. Is enim est qui primò nos regenerat novásque facit creaturas & arbores bonas, ut possimus bona facere opera: qui secundò praeparat in nobis bona opera, eáque in nobis per Spiritum Sanctum operatur, dum efficit ut velimus & ut perficiamus. *Phil.* 3. Et qui denique ait per Prophetam, *Faciam, ut ambuletis in praeceptis meis.* Item, de quo Mozes, *Dominus circumcidit cor tuum, ut diligas Dominum Deum tuum, &c. Deut.* 30. 6. Atque haec θέσις ad caput primum de operibus antea propositum pertinet, undenam sit nobis facultas bona opera faciendi: ab eo, *scilicet*, à quo fimus novae creaturae.

Unde etiam dogma de meritis operum refellitur: quando quae agimus bona, dona potius Dei sunt, quam opera nostra: *ut nemo habeat quod de suis glorietur operibus. Quid enim habes* (inquit Apostolus) *quod non acceperis? Si autem accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?*

5. Materialis causa sunt ipsa nostra cogitata, dicta, & facta, quae Deus in sua lege mandavit. Actiones enim à Deo non mandatae, vel expressè vel tacitè, sed ab hominibus tantum excogitatae, veluti sunt ἐθελοθρησκεῖαι, utut optima ea facias *(ut loquuntur)* intentione, materia tamen nunquam bonorum operum dici fieríve poterunt: quo pertinet, quod ait Deut. 6 & 12. *Non facias quod tibi videtur bonum in oculis tuis, sed quod ego praecipio tibi.* Quo & illud Christi ex Matt. 15. cap. Jesaiae cap. 29. competit, *Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Semper videndum, an, quod proponitur opus, mandatum sit à Deo nécne. Duo enim mandat Dominus in lege, opus ipsum, cogitatum, dictum, vel factum: & modum, quo fieri opus debeat, nempe ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta, eóque ex vera caritate Dei & proximi 1. Timoth. 1. Ex his autem duobus, ex opere, *scilicet*, ipso, & ex modo, *hoc est*, ex vera pietate, quo illud fieri debet, tanquam ex materia & forma, constat opus bonum.

6. Formalis igitur causa, qua fit ut opera nostra verè dici & esse bona queant, est ipsa congruentia, i. perfecta pietas, quam habere debent cum lege Dei. Ita ut omni ex parte, & quo ad materiam operum, & quo ad modum, quo

fieri

fieri debent, sint penitus conformia legi Dei. *Sicut enim peccatum est cogitatum, vel dictum, vel factum contra legem Dei: sic opus bonum est cogitatum, dictum, vel factum, cum lege Dei planè consentaneum.* Ac sicut in peccato opus ipsum locum habet materiae & subjecti, in quo ἀνομία autem ipsa formalis est ratio peccati, sic contingit etiam bonis operibus. Quare congruentia cum voluntate Dei in lege revelata est, id quo opus verè bonum dici possit. Quia verò cum lege Dei nunquam perfectè congruunt opera nostra, dum sumus in hac carne, etiamsi Deus illa in nobis praeparet & operetur, ídque vitio carnis nostrae, qua omnia Dei dona in nos collata inficiuntur: idcircò regantur vestiantúrque perfecta illa congruentia, quam habuit obedientia Christi, necesse est: ita ut quod in nobis consentaneum non est cum lege Dei, fiat congruentissimum in Christo, cui insiti sumus. Hoc verò fit fide, qua justitiam Christi tanquam nostram apprehendentes credimus propter Christum & nos & opera nostra Deo esse acceptissima atque gratissima. Itaque perfecta tandem forma, qua nostra opera verè fiunt bona & Deo grata, est ipsa Christi obedientia per fidem apprehensa. Quo pertinet, quod Apostolus ait, Rom. 5. non, διὰ τὴν ὑπακοὴν, sed διὰ τῆς υπακοῆς, per obedientiam Christi, nos constitutos esse justos. Per eandem enim obedientiam fide apprehensam nostra quoque opera verè fiunt justa & bona in conspectu Dei, tecta ipsorum ἀνομίᾳ in Christo. Quo & illud Apostoli refertur 1. Cor. 1. Christus nostra est justitia: & illud ad *Philip.* 3. 9. ut inveniar in illo habens non meam justitiam, sed justitiam quae est ex fide Jesu Christi.

Ad has duas θέσεις, quintam & sextam, pertinet caput de operibus quartum: in quonam sint verè bona Deóque grata nostra opera, nempe in Christo. Et sextum caput, quaenam sint bona opera, quae, *scilicet* ex voluntate Dei & per ipsius Spiritum in nobis fiunt.

7. Fines bonorum operum praecipui tres sunt, *Primus*, Gloria Dei, *Math.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. *Alter*, commodum & salus proximi, Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, id est, simus benefici erga omnes, maximè autem erga domesticos fidei; nostris enim beneficiis bonísque operibus, & exemplo sanctae vitae promovetur salus proximi. 1. *Cor.* 7. *v.* 16. ait, Saepè virum infidelem per uxorem fidelem servari, nempe exemplo vitae & pietatis. *Tertius* nostram spectat salutem. Is autem primum non est, ut per opera justificemur; sunt enim effecta justificationis, non igitur causae; & fiunt à justificatis, non igitur faciunt justos. Et Apostolus passim docet, justificari hominem gratia Dei per fidem, non autem ex operibus: & semper gratuita & justificatio, sicut & electio & vocatio, non igitur ex operibus esse potest. Proinde finis bonorum operum non est ut per illa justificeris. Neque etiam est, ut per illa tibi vitam aeternam promerearis. Si enim hoc animo opereris, primo teipsum fallis. Deinde graviter peccas, fallis teipsum: cum fieri nullo modo possit, ut quis suis operibus vitam aeternam sibi promereatur, quando opera sunt debita, merces vero illa indebita, nulláque sit inter opera nostra & vitam aeternam aequalitas aut proportio: & Apostolus ait *Rom.* 6. Gratia Dei vita aeterna. *Et iterum*, Non sunt condignae passiones hujus vitae ad futuram gloriam, &c. *Rom.* 8. Peccas verò graviter, primum, contra

contra praeceptum Christi, qui jubet, etiamsi faceremus omnia Dei mandata, tamen agnoscamus nos esse servos inutiles. *Luc.* 17. 1. nihil promeruisse propterea quod fecerimus, quod debueramus facere; quanto magis hoc sentire debemus, cum non faciamus quod debemus facere? Deinde peccas in gratiam Dei, illámque evacuas irritámque facis tua de meritis opinione. *Si enim ex operibus, non igitur ex Gratia.* Rom. 11. Peccas item in sanguinem & merita Christi, quasi is non fuerit sufficiens ad totam salutem tibi comparandam. Quare nullo modo finis bonorum operum esse potest aut debet, ut per illa tanquam per merita vel justificeris, vel vitam aeternam tibi acquiras & promerearis. Sed finis est, quem Apostolus indicat, ut, *scilicet*, in eis ambulantes, tandem per ea, tanquam per viam legitimam, in aeternae vitae possessionem perducamur ex misericordia Dei & propter solius Christi meritum. Studio enim bonorum operum bona retinetur conscientia: bona autem conscientia retinetur fides, fide autem Christus, 1 *Tim.* 1. In Christo vero vita aeterna; ad quam nos Deus gratis elegit, & quam Christus suo sanguine nobis comparavit, ac proinde quae nobis debetur ex gratia Dei, & propter merita solius Jesu Christi, cui gloria, &c.

LOCUS QUINTUS EX CAP. II.

Ad Ephes. versu 14. & 15.

De Legis Mosaicae abrogatione.

Legem Dei, per Mosen populo Israeli traditam in monte Sinai, per Christum abrogatam fuisse in monte Sion, extra controversiam est apud Christianos. Sed cum tres sint legis illius partes, moralis, caeremonialis, & judicialis seu politica: Totáne cum omnibus suis partibus abrogata sit, aut partim abrogata partim non abrogata, hoc demum vertitur in controversiam: pro utraque sententia subdam testimonia sacrarum literarum, quae in specie pugnare videntur. Haec igitur esto prima θέσις pro priori sententia.

1. Tota Lex, per Mosen tradita, per Christum abrogata esse omnino videtur. Testimonia, *Jer.* 31. *v.* 31. Totam abrogandam fuisse docet Dominus: Ecce dies veniunt, dicit *Jehova*, & feriam cum domo Israel & cum domo Jehuda foedus novum: non secundum foedus, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti; quia ipsi irritum fecerunt pactum meum, & ego dominatus sum eis, vel *(ut quidam vertunt)* & ego neglexi eos, dicit *Jehova:* Sed istud est foedus quod feriam cum domo Israel post dies ipsos, dixit *Jehova:* Dabo legem meam in medio eorum, & in corda eorum describam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Manifestum est, Deum hîc loqui de tota lege, cum ait, Patres ex Ægypto eductos irritum fecisse pactum suum: *Primum* enim, quid transgressi sunt Israelitae? annon legem cum primis moralem, id est Decalogum? At inquis *(ait)* בריתי, pactum seu foedus meum, irritum fecerunt: Resp. Sed nomine ברית legem ipsam intelligendam esse constat, quia in monte Sinai non aliter pepigit

pepigit foedus cum populo, quam per legem: Unde & tabulae illae, in quibus exarata erat lex Decalogi, tabulae foederis saepè nominantur in sacris literis. *Deinde*, Apostolus manifestus est interpres Gal. 4. Ubi quod prius nominaverat legem, v. 21. postea vocat foedus, seu pactionem, seu *(ut vulgata habet versio)* testamentum, v. 24. *Tertio*, ipse Jehova quod de novo foedere dixerat, *& feriam pactum novum*, postea explicationis gratia vocavit legem, dicens, *scribam legem meam in cordibus eorum:* Allusit enim ad legem scriptam in tabulis, quia haec est ἀντίθεσις, quam ibi docet Propheta, inter vetus & novum foedus, quod illud in tabulis lapideis scriptum fuerat, hoc autem in tabulis cordis carnalibus scribendum erat. In tabulis autem lapideis scripta fuit lex, & quidem Decalogus, quae & lex literae à Paulo appellatur. Sicut contra in cordibus nostris scripta est lex Spiritus vitae. Totam igitur legem in monte Sina traditam abrogatam fuisse docet Propheta, ídque nova lege subintroductam. *Quarto*, causa cur novum promiserit foedus, idem concludit: quia, *scilicet (ut ait Dominus per Prophetam)* primum foedus irritum fecerunt, nempe legem: Idcircò per Jesaj. quoque & per alios Prophetas novam legem promisit, eámque ex Sion Jesa. 2. Lex egredietur de Zion, & verbum Domini de Hierusalem. Haec opponitur illi, quae de Sina data est populo.

Arg. 1. Si lex illa prior debuisset semper manere, non fuisset opus novae legis promissione: nova igitur promissio totius veteris abrogationem praedicabat. Quare iis omnibus concluditur, nomine כרית apud Jer., quod abrogandum praedixit Dominus, & novum illi successurum, ipsam legem Mosis totam intelligendam fuisse.

2. Psalm 110. novus sacerdos, qui & Rex futurus esset, promissus fuit: is est Christus. Ad Hebr. autem 7. ait Apostolus, translato sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat. Ut igitur totum illud Leviticum sacerdotium abrogandum erat per novum, quod futurum erat secundum ordinem Melchisedech: sic etiam evincitur, totam illam veterem legem, quae sub illo veteri sacerdotio lata fuit & viguit, abrogandam fuisse.

3. Si etiam novus Rex futurus erat, nempe Christus, nova etiam lege opus fuit, ne Rex veniret sine lege: atque hoc confirmant testimonia omnia, quae apud Prophetas de novo regno, novóque Rege Christo loquuntur. Moses igitur cum tota sua lege cedere debebat huic Regi novaeque ejus legi: sic & Aaron cum suo sacerdotio huic novo sacerdoti.

4. Hebr. 7. de hac abrogatione disserit: et quidem causam abrogationis affert, dicens: *Mandatum praecedens abrogatur propter imbecillitatem ejus & inutilitatem:* id est, quia nullam vim habuit sacrificandi & justificandi homines, sui cultores. Atqui neque lex decalogi hanc habuit vim: sed ministra potius fuit mortis, irae, peccati: *Rom.* 3. 5. 7. Tota igitur erat lex per Christum abroganda. Et certè de lege morali imprimis loquebatur Apostolus in Epistola ad Rom. & ad Galat., in Actis & ubique, cum demonstrabat per legem neminem justificari posse: quod infirmaretur per carnem, *ut Rom.* 8 *loquitur Apostolus:* & quod per illum tantum habeatur cognitio peccati. Si igitur ratio valet Heb. 7. praecedens mandatum abrogatum esse propter inpotentiam ejus, evincitur totam legem abrogatam esse: id quod locis aliquot aliis Apostoli planum fieri potest.

5.

5. Rom. 6. ait, *peccabimus ergo, quia non sumus sub lege sed sub gratia? Absit &c.* De lege autem decalogi, qua prohibentur mala & peccata, loquitur Apostolus, cui opponit gratiam. Sicut & Joh. 1. *Lex per Mosen datur, Gratia & veritas per Jesum Christum extitit.* Cum igitur dicat, nos non esse sub lege: totam abrogandam esse docet.

6. Sed quid clarius loco cap. 7. ad Rom.? à simili viri & mulieris concludit, nos quia sumus mortui cùm Christo liberatos esse à lege: à qua lege? explicat, dicens: Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Imò peccatum non cognovi, nisi per legem. Concupiscentiam enim nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, *Non concupisces:* Ubi autem & hoc praeceptum, nisi in Decalogo?

7. Clarum testimonium extat 2. Cor. 3.; de lege, quam Moses in tabulis lapideis descriptam à Deo attulit ad populum, manifestissimè loquitur, quam etiam vocat literam occidentem, & ministerium mortis & condemnationis. De hac autem sic loquitur, V. 9. *Quod si ministerium condemnationis fuit gloriosum: multo magis ministerium Spiritus erit in gloria:* & mox V. 11. *Quodsi quod abolendum erat, fuit gloriosum: multò magis gloriosum id quod manet*: Quid hoc loco clarius, quam de abolitione Decalogi loqui Apostolum?

8. Galat. 2. V. 19. Ego per legem legi mortuus sum: mortuum autem te esse legi est legem tibi esse abrogatam, téque à lege liberatum. Sic uxor mortua liberata est à lege viri. De lege autem tota, etiam decalogi, manifestè loquitur: quia per hanc non posse hominem justificari contendit Apostolus.

9. Galat. 3. 19. postquam evicit legem non potuisse facere irritam promissionem Abrahae & semini ejus, 430 annis antè factam, de justitia, *scilicet*, per solam fidem, subdit: *Quid igitur? Lex propter transgressionem addita est,* (num ut maneat in perpetuum? non: ideò ait) *usque dum veniret semen illud, cui facta est promissio, &c.* Ergo etiam decalogus usque ad Christum tantum manere debuit.

10. Item ibidem V. 24. de tota lege concludit, dicens: *Itaque lex paedagogus noster fuit in Christum, ut ex fide justificemur.* At postquam venit fides, jam non sumus amplius sub paedagogo. Quid clarius?

11. Idem planè concludit in C. 4. simili infantis, qui sub tutoribus & curatoribus est non semper, sed usque ad praefinitum tempus à patre, tum enim liberatur à paedagogo & à curatoribus. Ideo de Christo liberatore subdit: *Christum factum esse obnoxium legi: ut eos, qui sub lege erant, redimeret: nempe à lege;* à qua lege? ab illa, sub qua illi erant captivi; & cui ipse Christus factus est obnoxius; fuit autem obnoxius toti legi. Idem confirmat simili duorum filiorum Abrahae, & duarum matrum, ut notum est.

12. Denique 1. *Tim.* 1. 9. Lex justo posita non est, sed injustis, &c. Ergo iis, qui justificati sunt in Christo, per Christum abrogata est lex, quae in tabulis erat conscripta, & qua prohibentur peccata. Cum hoc congruit illud Rom. 8. 2. Lex Spiritus vitae liberavit me à lege peccati & mortis. Et illud 2. *Cor.* 3. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Et illud *Galat.* 5. 18. Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege. Ergo omnibus illis, qui Spiritum Christi habent, & ab eo ducuntur: tota lex etiam Decalogi abrogata est. Summa hoc argumento continetur.

1. Illa lex abrogata est per Christum, quae litera tantum est urgens & imperans, quae quibus imperat non potest vires praestare ad sui obsignationem, quae non potest justificare, quae peccatum magis provocat & auget, quae est virtus peccati, quae iram operatur, quae occidit, quae homines maledictioni obnoxios reddit, quae denique paedagogus tantum fuit usque ad Christum, *i.* donec veniret semen. Et quidem illis abrogata est, qui justificati sunt in Christo, qui Spiritu ducuntur, qui sunt sub gratia. Atqui talis fuit & est tota lex Mosis. Utraque propositio ex dictis Apostoli colligitur, quae nunc attulimus: Ergo tota abrogata est per Christum illis, qui sunt membra Christi & ejus Spiritu ducuntur.

Sed contra etiam non desunt loca, quibus contrarium confirmari videtur. Ergo θέσις altera haec est.

2. Nequaquam tota Lex per Mosen tradita per Christum abrogata esse videtur. *Matt.* 5. Ne cogitetis, quod ego venerim, ut dissolvam legem aut Prophetas: non veni ut dissolvam, sed ut impleam. Implevit autem Christus, Primum explicatione, veram ejus intelligentiam praebens. Deinde perfectissima obedientia, quia totam servavit, unde ad Johannem ait: *Sic oportet nos implere omnem justitiam.* Tertiò, donando Spiritum suis Electis, qui eam etiam hîc servent, quanquam imperfectè, perfectissimè eam impleturi in coelo.

Rom. 3 versu ultimo, *Legem ergo destruimus*, καταργοῦμεν, inanem reddimus, abrogamus per fidem? *Absit: imò stabilimus.*

Et ratio affertur, quia lex Dei justa, sancta & bona est: ac proinde nil habuit, propter quod abroganda esse videretur.

3. Caeterum, licet haec inter se pugnare videantur, nempe legem abrogatam esse & non abrogatam: utrumque tamen diversis respectibus verum est. Hoc, diligenter expensis tum illis quibus data & quibus non data lex per Mosen fuit, tum causis abrogationis, tum variis nominis legis significationibus, tum denique verbis, quibus abrogatio legis in sacris scripturis significatur, perspicuum cuivis fieri potest. Ex iis enim circumstantiis atque capitibus quaestionis hujus explicatio pendet.

4. Illud itaque cumprimis constat, legem etiam moralem, quatenus per Mosen data fuit populo Israelitico, sicut ad Gentes nihil pertinuit, sic neque rectè dici posse abrogatam esse Gentibus. Ratio, neque enim liberantur à lege, nisi qui sub lege sunt; Galat. 4. 6. ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Gentes autem tam sub lege Mosis non fuerunt, quam Romani sub legibus Lacedaemoniorum vel Atheniensium: quanquam non absimiles multas leges habuerunt Romani legibus Lycurgi atque Solonis; quo pertinet quod ait Apostolus de Gentibus. Qui sine lege (Mosis) peccaverunt, sine lege (Mosis) peribunt. *Rom.* 2. 12. Neque enim cum peccabant gentes, in legem Mosis propriè peccabant: sed in legem aliam, Decalogo tamen Mosis non dissimilem, nempe in legem naturae, omnium animis inscriptam, peccasse dicuntur. Sicut etiam contra, cum faciebant quae justa sunt, non legi Mosis sed legi naturae obediisse dicendi sunt: qua de re idem Apostolus, ad *Rom.* Nam cum gentes, quae legem non habent (Mosis), natura quae legis sunt faciunt: illi legem non habentes sibi ipsis sunt lex. Rom. I. 14.

5.

5. Neque verò putandum aut dicendum est, gentes, quae ante conversionem sub lege Mosis non fuerunt, post conversionem fuisse per Christum factas legi Mosis obnoxias. Cum enim Christus liberarit Judaeos à lege, quomodo gentes ei subjecisse dici potest? Atque hoc est, quod contendebant Apostoli, Actor. 15. & alibi in Actis, & Paulus ubique, gentibus non esse imponendum hoc jugum, quod neque ipsi neque Patres ipsorum portare potuerunt. Quare constat in genere, gentiles, sicut nunquam, sic neque nunc legi Mosis esse subjectos: quanquam neque ab illa liberati fuisse propriè dicendi sunt, cui nunquam fuerunt subjecti.

Cum verò Israelitis propriè per Mosen data fuerit lex, ii autem duplicis sint generis, alii qui ad Christum conversi sunt, alii qui in sua adhuc infidelitate persistunt: de prioribus nulla est controversia, quin liberati sint à lege Mosis per Christum. De iis enim est illud Apostoli Gal. 4. ut eos, qui sub lege erant, redimeret: Et vaticinium Jer. 3. Et alia fermè omnia, quae ad priorem θέσιν allata sunt testimonia: atque hoc, ut dixi, in genere.

7. De posterioris verò generis Israelitis, sicut verè dici non potest eos liberatos esse per Christum à lege, cum nondum sint sub gratia neque regantur à Spiritu Dei, Apostolus autem doceat eos Judaeos, qui nondum sunt sub gratia &qui non ducuntur Spiritu Dei, esse adhuc sub lege, Rom. 6. 14. et Galat. 5. 18. Sic contra quodammodo dici potest, quemadmodum exclusi sunt à gratia, sic etiam exclusos esse à lege, ut nec Mosaici sint nec Christiani, nec sub gratia nec sub lege. Lex enim Mosis finem accepit in Christo, *Rom.* 10. Finis legis est Christus: Et lex & Prophetae usque ad Johannem. In hujus rei testimonium Deus noluit eos amplius habere sacerdotium, & quae ad illud pertinebant sacrificia & caeremonias, ut ostenderet eos esse à se rejectos: sed neque habent magistratum, eóque nec politicas illas leges. Translato enim sacerdotio, adde & magistratu, necesse est ut & legis translatio fiat. Ita miseri Judaei & à legibus cultus divini & à legibus politicis reipsa exclusi sunt: ut, quod nunc etiam se circumcidant & lunaria quaedam servent & sabbatha, magis peccent in Deum, quam secundum legem Dei faciant; cum Christum advenisse iis vanissimis caeremoniis & contra legem usurpatis pertinacissimè pernegent. Sed neque lex Decalogi, quatenus per Mosen fuit lata, ad eos pertinet: quando Moses cum tota sua lege cessit Christo: ipsi verè facti sunt sicut gentiles, לֹו עמי, ut Os. 1. ait Dominus. Neque tamen hinc sequitur eos, cum admittunt homicidia, adulteria, furta, non peccare: cum in legem naturae, omnium hominum animis inscriptam, peccent.

8. Omnibus porrò, tam ex Judaeis quàm ex gentibus, fidem in Christum profitentibus, eatenus tota lex Mosaica dicitur vere abrogata esse, quatenus horum neminem voluit Christus illi legi sed suae duntaxat esse obnoxium: quae est lex gratiae, ad dilectionem Dei & proximi, & ad nostri mortificationem, vitaeque sanctitatem contracta, & cum gratuita peccatorum remissione conjuncta. Stat enim Pauli sententia de tota lege Mosis & de lege Christi, cui illa cedere debuit, in 2 Cor. 3. *Si quod abolendum erat fuit gloriosum: multò magis quod manet gloriosum est.* Una igitur abolenda fuit omnibus iis, qui in regno Christi futuri erant. Et altera in sempiternum firmanda.

9. Nam quod Christus quaedam tradidit praecepta, quae etiam ante hujus adven-

adventum Moses tradiderat, ut quae sunt de dilectione Dei & proximi, & iis annexa: non inde tamen sequitur, nos Christianos legi Mosis per Christum subditos fuisse. Talibus enim praeceptis non tenemur tanquam per Mosen traditis, sed tanquam per Christum in sua Ecclesia institutis ac confirmatis: ablata illis Mosis maledictione, *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro hoc:* addita verò remissione omnium peccatorum, in quae inter obediendum incurrimus; alioqui vae nobis, si legi Mosis vel morali nos subjecisset Christus, prout per Mosen data fuit, maledictioni quoque illius essemus subjecti. Quae igitur servare tenemur praecepta, ea non Mosis sed Christi mandata sunt: & ita Christus vocat mandata sua: Johan. 14. *Mandata mea servate:* Et Joh. 13. 34. *Hoc est praeceptum meum: Et mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, &c.*

10. Caeterum cum illi, qui fidem Christi in Ecclesia profitentur, duûm sint generum, alii verè justi & qui verè à Spiritu Dei ducuntur, alii non ita: fit etiam, ut non aequaliter utrique sub lege esse negentur. Etsi enim utrisque abrogata est lex Mosis, quatenus per Mosen data est: quia tamen justi, quae legis sunt, faciunt spontè & ex animo, hypocritae autem non ita: Idcircò illis negat Apostolus esse positam legem, istis autem affirmat, 1. Timoth. 1.; & unos ideo negat esse sub lege, quia Spiritu Dei ducuntur, innuens à contrario reliquos adhuc sub lege esse, quia Spiritu Dei non ducuntur, Galat. 5.

Ita a variis hominum generibus quomodo lex, per Mosen tradita, per Christum tota abrogata sit & non sit, non obscurè intelligi definiríque potest. Non parum etiam lucis à causis propter quas abroganda erat ad praecedentis quaestionis explicationem accedit. Repetam praecipuas è sacris literis: ϑέσις igitur undecima haec esto.

11. Septem praecipuae sunt causae, propter quas legem per Mosen traditam abrogari oportuit. Ac proinde ex quibus, quatenus etiam abrogata sit & quatemus non sit, intelligi potest.

Prima à vocatione gentium sumitur: nimirum, quia gentilis populus cum Israelitico in unum corpus consociandus erat, & in unum novum hominem condendus. Hanc tradit Apostolus ad Eph. 2. V. 14. & 15. Ut enim conjungi posset gentilis cum Israelitico in unum populum, atque adeò in unum corpus: sicut deserenda erant idola omnésque superstitiosi cultus ipsis gentibus: Sic tollendae erant Israelitis tot tantaeque caeremoniae & ritus, cúm in multis rebus politicis tum maximè in religione: quos ritus Apostolus vocat intergerinum parietem, quo à consortio cum Israelitis arcebantur gentiles, & vicissim à communione cum gentibus cohibebantur Israelitae. Simpliciter ergo propter hanc consociationem sublatae fuerunt per Christum leges, cumprimis de ritibus & caeremoniis, & deinde etiam politicae, quatenus has liberas esse voluit, ut omnes in una Repub. sub iisdem legibus esse ac vivere possent. Moralis, ad substantiam quod attinet, consociationem cum Israelitis impedire non poterat: quoniam gentiles etiam opus legis *(ut ait Apostolus)* scriptum habebant in cordibus suis, adde etiam in libris suis. Proinde hac in parte, consociationis gratia, ut abrogaretur necesse non habuit. Unde nec abrogata sunt opera lege morali comprehensa. At verò, ut in unum

novum

novum hominem ambo crearentur sub uno capite Christo, moralis quoque tollenda fuit, si non quoad substantiam rerum mandatarum, saltem quoad maledictionem: ita ut sicut non poterat sui studiosos justificare, sic neque posset credentes in Christum condemnare: qua de re ad Galat. 3. Redemit nos à maledicto legis, factus pro nobis maledictio vel execratio: Et Rom. 8. nihil jam damnationis, &c.

Tollenda quoque fuit lex moralis, quatenus per Mosen tradita fuerat, ut nemo Mosi, sed omnes uni Christo subjicerentur: quae causa est, cur Christus mandata de dilectione déque bonis moribus non Mosis sed sua vocare solitus sit mandata. Per quem enim redemti & regenerati sumus, huic etiam obedientiam debemus, non Mosi. Ad summam, concorpores fieri non poterant in uno Christo illi duo populi, nisi intergerinus iste paries, sicuti explicavimus, dirueretur, & quod unionem impediebat tolleretur.

Altera causa ex Actorum c. 15. sumitur. Ea est quia fuit jugum intolerabile Judaeis ipsis, non igitur utile gentibus. *Ut quid tentatis Deum, ut imponatis jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri* (dicebat Petrus) *neque nos portare potuimus?* De circumcisione immediatè quidem loquebatur. Sed sub hac tota lex comprehendebatur, sicut Paulus interpres est ad Galat. 5. v. 3. *Testor omni homini, qui circumciditur, quòd debitor est totius legis faciendae.* Quàm grave jugum fuerit caeremonialis, simul cum politica, nemini, qui libros Mosis legerit, dubium est. Sed moralis quoque, si totam simul, ut volebat servari, & cum maledictionibus in sui transgressores accipias, jugum fuit intolerabile: concludens omnia sub peccato & sub maledictione. Christus autem venit ut tam gravi jugo populum suum liberaret, & jugum leve imponeret, de quo Matt. 11. Tollite jugum meum super vos: jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Et de ejus mandatis ait *Joh.* Mandata ejus gravia non sunt 1 *Joh.* 5. Abroganda igitur fuit illa innumerabilium mandatorum, tum politicorum tum caeremonialium, multitudo. Atque à lege etiam morali tollendum fuit, quod eam gravissimam intolerabilémque reddebat: hoc verò fuit maledictio, nisi quis legem illam totam, & semper & perfectissimè, cum suis appendicibus, caeremoniali & politica, observasset. Fecit autem hoc Christus, dum & innumerabilia praecepta ad paucissima contraxit, & exactam ac rigidam obligationem, eóque & maledictionem sustulit: ac Spiritum, quo pauca etiam haec praecepta servare possimus, communicavit. Causa haec secunda docet, quatenus etiam Decalogus sit abrogatus.

Hinc *tertia* sequitur causa, quae fuit, ne in tantum numerum excrescerent iniquitates & peccata: eóque & maledictiones contra nos multiplicarentur. Ubi enim multa mandata, ibi multae transgressiones eóque & maledictiones. *Ubi non est Lex*, ait Paulus ad Rom. *ibi nec transgressio.* Inde fiebat ut innumerabilibus peccatis semper impliciti essent Israelitae, propter innumerabilia & ipsis intolerabilia mandata, quae quotidie transgrediebantur: ut non meritò dixerit Paulus, *Legem peccati ministram fuisse;* quamvis per accidens. Christus autem venit, ut tolleret peccata, non augeret, nec per se nec per accidens: & ut faceret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Eatenus ergo

ergo abrogavit legem, quatenus illa occasio erat multarum transgressionum, sublata tanta multitudine mandatorum: donato autem Spiritu, quo pauca illa, quae nobis reliquit, servare possimus: addita verò earum etiam transgressionum, quas ex infirmitate carnis admittimus, condonatione.

Sumitur *quarta* causa ex Epist. ad Hebr. c. 9. Haec ritus propriè & caeremonias inspicit. Fuerunt caeremoniae illae omnes umbrae rerum futurarum, quas Christus praestiturus erat, & typi ipsius Christi: ac proinde usque ad Christum duntaxat permanere debebant. Unde & Apostolus ibi v. 10. usque ad tempus (*inquit*) correctionis fuerunt imposita. Penitus ergo per Christum tolli debuerunt; & ita sublata sunt illa omnia. Cum hac quarta causa conjungitur & illa, quam idem Apostolus Hebr. 7. affert, nimirum, quia transferendum erat sacerdotium, necesse fuit ut etiam legis translatio fieret. Imò quia illa Respublica erat penitus evertenda, cum aliis de causis tum maximè propter peccatum admissum in Filium Dei, idcircò, eversa Republica, everti etiam, hoc est, inanes fieri debuerunt leges, quibus illa politia regebatur, & Judaei legibus gentium politicis subjici. Id quod factum esse videmus: utut mentiantur Judaei de nescio quo regno in Babylonia.

Quinta causa abrogatae legis fuit, quia inutilis erat: non simpliciter *(per legem saltem cognitio peccati)* sed ad justificandos, sanctificandos, servandósque homines. Rationem hanc de caeremoniis tradit Apostolus Hebr. 7. v. 18. & 19: mandatum praecedens (inquit) abrogatur, quod nullis viribus sit praeditum & inutile: nihil enim sanctificavit lex. Et repetitur c. 9. v. 9. Sed de morali quoque idem docet Apostolus Rom. 8. v. 3. Ubi huic attribuit eandem impotentiam: ac proinde conclusit, quia lex non potuit nos justificare, ideo Deum nos justificasse in Filio suo, &c. Ad hoc igitur quod attinet, Christus hanc etiam legis partem eatenus abrogavit, quatenus reipsa declaravit, per eam non posse homines, sed tantum per fidem in se justificari: eóque non esse, cur homines justificationis causa legem hanc servent. Ita hoc respectu, nempe ut quis justificetur, nemo legi morali obstrictus subditúsve est.

Imo damnantur, quicunque hoc animo illam observant, quando hac in parte legi ipsi moriendum est & renuntiandum, ut Apostolus docet ad Galat. Ubi de se quoque ait, *Per legem legi mortuus sum.* Nam ipsamet lex, ut justificemur & sanctificemur, à se nos ad Christum ablegat.

Sexta, Imo non solum quia inutilis, verum etiam quia perniciosa *(non sua quidem natura, sed vitio carnis nostrae)* peccatique ministra, operans iram ac condemnationem, & litera occidens fuit, sicut Paulus istis elogiis illam ornat ad Rom. & ad Corinth. (*non tamen quod per se talis fuerit, sed per accidens)* idcircò abroganda fuit, si debuimus vivere & servari. Fecit hoc Christus, dum nos sua morte à peccato, ab ira Dei, & à maledictione legis liberatos, suo etiam Spiritu regeneravit atque replevit: quo intus animos nostros illuminante, & corda nostra ad ea, quae Deo placent, amanda, spontéque & libenter facienda, suaviter afficiente & impellente, nos non opus habemus amplius lege externa vel docente, vel praecipiente, vel urgente: quando Spiritus Sanctus ea omnia in nobis praestat & efficit, quae debuisset lex, sed non potuit. Rationem hanc tradidit Apostolus 2. Corinth. 3 ubi legem literam occidentem vocat: & ubi etiam

etiam modum exprimit, quo Christus ab ea lege suos liberavit, per Spiritum Sanctum vivificantem.

Hinc *septima* causa colligi potest: ea est, quia decreverat Pater, per Christum, nos Spiritu suo regere, & ad voluntatem suam faciendam ducere, legémque suam in cordibus nostris scribere. Ideo necessariò consequebatur, oportuisse legem in tabulis lapideis scriptam inanem fieri: & haec est vera Decalogi abrogatio, facta à Christo per Spiritum suum, de qua 2. Cor, 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Ubi enim quis à suo Spiritu impulsus sponte facit & libenti animo, ibi non est opus externo admonitore atque stimulo: & equus sponte currens non opus habet calcaribus: & discipulus, qui amore literarum ultrò studet, non eget paedagogi mandato neque ferula. Et ὁ μηδὲν ἀδικῶν μηδενὸς δεῖται νόμου. Et navis, quae secundo vento impellitur spontéque procedit, non eget remis: felicius enim & citius prospero vento navigatur, quam remis: proinde dum est ventus, deponuntur remi tanquam inutiles, & otiantur. Ut ergo ventus secundus liberat nautas remorum labore: sic Spiritus Christi agitans corda nostra liberavit à lege: Spiritus vivificans à litera occidente. Rationem hanc abrogatae legis tradidit Apostolus 2. Cor. 3. Item Galat. 5. *Si Spiritu ducimini non estis sub lege.* Et Jerem. 13. *Scribam legem meam in corda eorum.* Ergo hinc maximè intelligimus, quomodo lex moralis quoque, & non solum caeremonialis & judicialis, abrogata sit illis, qui per Christum redemti Spiritum Christi habent & ab eo ducuntur. Atque huc spectat totus, quem de Spiritu & litera scripsit Augustinus libellum, Tomo 3. Ita ex iis septem praecipuis causis abrogatae legis, quomodo lex tota abrogata sit, & non abrogata, luculenter apparet & perspicuè intelligitur. Venio nunc ad varias legis significationes & distinctiones: in quibus etiam clariùs elucescet hujus quaestionis explicatio. Haec igitur esto θέσις.

12. Quemadmodum nomine legis non una & eadem res in sacris literis significatur, sed multae ac diversae: Sic etiam non simpliciter, quicquid nomine legis intelligitur, illud abrogatum esse, aut eodem modo abrogatum esse, dicendum est.

Primò nomine Legis, seu תורה, tota sacra scriptura veteris Testamenti intelligitur: ut Psal. 1. Joh. 12. *Nos audivimus ex lege* (id est, ex sacris literis) *quòd Christus maneat in aeternum.* Ita certum est non abrogatam esse legem.

Secundò, Lex pro omnibus libris Mosis intelligi solet: Luc. 24. v. 44: Oportuit impleri omnia, quae scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me; in lege, *id est*, in sacris libris Mosis. Est etiam extra controversiam, non totam hanc doctrinam & legem abrogatam esse.

Tertiò, Lex pro paedagogia illa tota & doctrina accipitur, qua suum populum Moses rexit, & quae quatuor postremis libris continetur. Juxta hanc significationem accipitur Joh. 5. *Si crederetis Mosi, crederetis & mihi: ille enim de me scripsit.* Et Matt. 22. *In iis duobus mandatis pendet Lex & Prophetae.* Ita nemo etiam dicit legem hanc totam & paedagogiam simpliciter abrogatam esse, dico totam & simpliciter: quia quod ex parte, et secundum quid, non inficiamur. Quae enim de Christo praedicta fuerunt, cum jam impleta sint, cessasse & abrogata esse, extra controversiam est. Quae verò de dilectione Dei & proximi

manere

manere adhuc omnes fatentur. Ita distinguenda nobis est adhuc paedagogia illa Mosis.

Quartò igitur loco distinguitur tota illa Mosis paedagogia in promissiones de Christo, déque iis quae facturus erat pro redemtione & salute nostra: in typos atque figuras, quibus, quae verbis promittebantur, Symbolis etiam repraesentabantur & sub oculos proponebantur: denique in mandata quibus quid faciendum esset, tum in religione tum in oeconomia, & cuique privatim significabatur et praecipiebatur. Promissiones de Christo, & typi sive umbrae, ac figurae ejus ita abolitae sunt, ut eas non possimus in usum revocare, quin Christum advenisse, & quae de ipso erant perfecisse negemus: qualia fuerunt animalium sacrificia, & alia id genus; accepta enim re promissa promissionis obligatio cessat; & domo extructa typus & exemplar illius domus nullum amplius habet usum: Sicut, aedificato templo per Salomonem, tabernaculum fuisset supervacaneum à Mose fabricatum.

Quintò, pro mandatis accipitur, quaecunque illa sint, per Mosen traditis nomine Dei; quo sensu frequens est nomen legis in veteri Testamento: & in Actis cap. 7. Stephanus ait, *Accepistis legem per dispositionem Angelorum, & non servastis eam.* Neque hoc sensu, simpliciter, dici potest totam legem abrogatam esse, cum quaedam sint mandata aeterna, nunquam ac ne in coelo quidem ex cordibus Electorum abolenda: uti est mandatum de diligendo Deo ex toto corde, & de dilectione proximi nostri. Dico autem simpliciter non esse abolita, quoniam quaedam etiam mandata dicuntur abrogata, partim quatenus non haec servare tenemur, ut à Mose tradita, sed ut etiam ante Mosen à Deo in mentibus omnium hominum inscripta & postmodum à Christo confirmata; partim quatenus è tabulis lapideis translata sunt per Spiritum Sanctum ad tabulas cordis carnales, ibique inscripta sunt: non solum ut cognoscamus, sicut etiam reliquae gentes, quid faciendum sit, sed etiam ut ea faciamus: ac proinde quatenus è litera facta sunt Spiritus: ut post etiam dicemus: quo sensu locutus est Apostolus de hac abrogatione in 2. Cor. 3.

Sextò, Lex illa tota Mosis secatur in mandata principalia, ac quae sunt ceu fundamenta aliorum omnium, & in accessoria: & omnia Legis nomine significantur. Principalia sunt decem verba (*ut loquitur etiam Scriptura*) tabulis duabus comprehensa, quae propterea Decalogus appellantur. Hoc enim continentur summatim omnia, quae ad veram pietatem pertinent, *hoc est*, ad cultum Dei & ad dilectionem proximi. Accessoria sunt mandata de caeremoniis addita primae tabulae: & mandata politica addita secundae tabulae. Caeremoniae enim ad cultum Dei cumprimis pertinent: politica ad vitam honestam & pacificam cum proximo transigendam. Dicam primo de accessoriis, quatenus sint abolita, & quatenus non. Postea resumam decalogum.

Septimò, Lex caeremonialis, & judicialis seu politica, in duas quoque dividitur partes, in internam & in externam: sicut homo in animam & corpus: habebant enim suam quoque substantiam & sua accidentia; suum succum & nucleum & suum corticem: suum externum corpus & suam internam animam; & internum quidem Deus volebat per se, externum verò ita volebat propter internum, ut si hoc deesset, externum illud opus nil moraretur: ut liquet apud Mosen,

Mosen, maximè vero apud Prophetas: quando externa sine internis ipsis etiam impiis communia sunt. Deus autem impios & omnia illorum opera execratur, quia quod non est ex fide peccatum est. Quódnam vero erat internum illarum legum?

Externarum caeremoniarum, puta sacrificiorum & sacramentorum, internus spiritus nucleus succus erat fides & pietas in Deum: ad hanc enim significandam, testificandam & exercendam illa caeremonialia fuerunt instituta à Deo per Mosen & ordinata: ut ad circumcisionem cordis carnaliúmque affectuum circumcisio in carne: & internus nucleus legum politicarum, seu totius illius formae juris, erat caritas, publica honestas, pax, concordia civium, mutuus amor, sicut Apostolus 1. Tim. 2. docet cùm ait, *Orandum pro magistratibus, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni honestate & pietate.* Externa erant ipsa externa legum opera cum suis circumstantiis, loco, tempore, personis, &c. Ad externum igitur quod attinet, utraque lex per Christum abolita est, quanquam non aequaliter: caeremoniae enim quaedam ita fuerunt abolitae, ut revocari non possint, quin fides in Christum negetur: ut immolatio est animalium, quibus sacrificium & mors Christi significabatur, & similia; quaedam ita ut liberae maneant, & eis uti possimus vel non, ut, prout Ecclesia judicaverit eas facere ad aedificationem vel non facere: modo id fiat sine obligatione conscientiae; id quod etiam de politicis intelligendum est.

Ad interna vero quod attinet, neutra abrogata est: cum neque pietas in Deum, poenitentia ac fides, nucleus caeremoniarum, neque mutua caritas. pax, concordia, justitia, spiritus politicarum, sublatae sint. Ratio, quod enim aeternum est & aeternum esse vult Deus, illud aboleri non potuit nec potest: sed tantum quod temporale. Atqui pietas in Deum & caritas erga proximum, quae, ut dictum est, anima sunt illarum legum, aeternae sunt & eas aeternas esse vult Deus. Nam ut ab initio mundi fuerunt institutae, imò in cordibus primorum hominum inscriptae, in coelo non cessabunt, unde Apostolus: *Caritas nunquam excidet.* 1. Cor. 13. Quae igitur sunt ipsa pietas, aut ad eam per se pertinent, ea abrogata esse simpliciter dici non possunt.

Octavò, Caeterum haec etiam, quae ad pietatem per se pertinent, considerari possunt bifariam: nempe, aut quatenus scripta sunt in libris, aut quatenus transcripta sunt in cordibus. Priori modo litera sunt occidens. Posteriori modo spiritus vivificans appellantur, quia per Spiritum Sanctum in cordibus inscripta sunt: quo sensu locutus est Dominus per Jeremiam 31. Se aliud foedus initurum cum populo: non aliud quo ad substantiam, sed aliud, quia alio modo, quam prius, cum legem dedit in tabulis lapideis: eóque novum foedus, quia novo modo: & aeternum, quia nunquam è cordibus electorum delendum erat vel est. Unde & Christus hujus Testamenti novi & aeterni mediator est. Ergò cum è libris in cordibus nostris inscribitur substantia & amor legis, tum dicitur litera occidens abrogari, accedente Spiritu vivificante. Nos vero vera libertate donamur, juxta illud, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Atque haec de utraque lege caeremoniali & judiciali, quatenus abrogatae & quatenus non abrogatae, dici possint; quae rectè intellecta, quomodo etiam decalogus abrogatus sit & non sit, non obscurè docent.

Nonò,

Nonò, Legis igitur nomine quàm saepissimè decalogus, seu lex moralis, ut vocant, intelligitur: uti omnibus notum est. Haec lex, sicut & aliae, suam habet substantiam & sua accidentia. Substantia est ipsa legis summa, veraeque pietatis doctrina: quam Christus ad duo praecepta de dilectione, *scilicet*, Dei, & de dilectione proximi restrinxit. *Matt.* 22. Apostolus majoris explicationis causa tribus eam partibus complexus est, pietate in Deum, justitia erga proximum, & sobrietate vitae nostrae, ad Titum 2. dicens, *Illuxit enim gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus: erudiens nos, ut abnegatis impietatibus sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo.* Haec enim tria sola per se Deus semper, & ante Mosen à condito orbe, & per Mosen in lege, & post Mosen per Prophetas, & nunc tandem in finem usque mundi per Christum, pérque ejus Apostolos, requisivit & requirit à nobis. Primùm, ut vera ac viva in eum fide credamus, hujuscéque fidei confessionem & testimonia suo tempore edamus, ad ipsius gloriam & aliorum aedificationem. Cujus rei causa duo ad extremum instituit Sacramenta, Baptismum & Coenam, quibus fidem nostram & profiteamur & promoveamus. Deinde requirit, ut proximum ex animo diligamus, ejúsque incommodis inserviamus. Cujus rei causa vult aliquem esse magistratum in sua Ecclesia, qui nocentes coerceat & innocentes defendat. Tertiò flagitat & vult, ut vitam nostram purissimè, honestissimè, & decentissimè transigamus, quibuscunque id rationibus fiere potest. Reliquit enim & hoc nobis liberum, ut pro sua quisque conditione honestati & sanctitati vitae studeat. Haec est summa & substantia totius legis, non solum moralis sed etiam caeremonialis & judicialis, item Prophetarum omnium; déque hac re locutus est Christus, cùm dixit, *Non veni ut solvam legem ac Prophetas, sed ut impleam.* Item constat, hoc sensu legem nequaquam simpliciter esse abrogatam, *id est*, Christum nos non liberasse hoc debito officio, quo juxta aeternam Dei voluntatem tenemur Deum colere, proximum amare, nos honestè & modestè gerere ac vivere.

Accidentia voco illam externam decem mandatorum formam, cum suis circumstantiis personarum, ut quòd per Mosen data sit, & quòd non gentibus sed solis Israelitis. Locorum, ut quod in monte Sina. Temporum, ut quod 50 diebus post exitum è servitute Ægypti. Modorum quibus data est, ut quod in tabulis lapideis scripta, & per dispositionem Angelorum. Maximè vero quod data sit, *ut qui fecerit haec mandata, vivat in eis: & contrà, maledictus sit, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro hoc.* Ad haec accidentia quod attinet, abrogatam esse per Christum dicimus eo modo, qui antè explicatus à nobis non semel fuit. *Primum* enim multa praecepta ad dilectionem Dei & proximi contraxit. *Secundo*, non vult nobis negotium esse cum Mose, sed secum, *id est*, cum filio Dei, qui nos verè redemit de Ægyptiaca servitute. *Tertiò*, non vult ut hanc legem accipiamus tanquam è monte Sina, ad solos Judaeos promulgatam, sed tanquam ex Sion ad omnes gentes propagatam. *Quarto*, neque etiam vult, ut eam amplectamur tanquam tunc primùm, cùm essent Israelitae ad montem Sina, datam, sed tanquam aeternam Dei Patris voluntatem à condito orbe patefactam. *Quinto*, neque tanquam per Angelos administratam & in tabulis lapideis scriptam: sed tanquam per Filium Dei in carne manifestatam, explicatam, ac confirmatam: per Spiritum vero ipsius

ipsius in omnium Electorum cordibus, qui unquam futuri sunt, inscribendam. *Sexto*, neque vult, ut ex hujus legis observatione vitam quaeramus aut expectemus, sed tantum ex fide in ipsum Christum, juxta illud, *Justus ex fide (non ex lege) vivet. Septimo*, nec igitur, ut si non exactè omnes & semper servaverimus, metuamus aeternam maledictionem (hanc enim sustulit, Rom. 8.) sed sciamus inchoatam etiam obedientiam nostram Deo placere, & suam habituram benedictionem: quia sola in Christum fide per caritatem efficaci, sicut homo justificatur, sic etiam lex Dei servatur. Ergo si substantiam legis hujus, *id est*, summam doctrinae de pietate, spectemus, legem simpliciter abrogatam esse cum Christo negamus, qui dixit, *Non veni ut solvam legem, aut Prophetas.* Hoc enim nomine summam illam, quam explicuimus, intellexit; quamque Moses neque Prophetae aliter in summam docuerunt. Si verò accidentia quae declaravimus, abrogatam esse constat.

Decimo, Caeterum legis nomen, quatenus pro summa doctrinae de pietate accipitur, bifariam etiam adhuc considerari potest, sicut supra quoque de substantia legis caeremonialis & judicialis dictum est: nempe, aut quatenus in externis tantum chartis, aut quatenus in intimo cordium nostrorum inscripta est & quotidie inscribitur. Si primo tantum modo, litera adhuc occidens est. Si secundo modo, Spiritus vivificans & lex Spiritus vitae appellatur. Ac primo quidem modo odium legis occupat corda nostra, & si quid illius facimus, inviti facimus, eóque peccamus, & iram Dei provocamus, quid ita? quia non ex fide puróque corde. Hac ergo lege liberat nos Christus, cum donatos suo Spiritu afficit amore legis, voluntatísque divinae faciendae desiderio, pulso illius odio, quod antea occupabat corda nostra. Aboleri enim lex dicitur per metonymiam, cum illis odium è cordibus nostris aboletur: & inscriptam in nobis amamus, quam extra nos positam aversabamur: juxta illud Apostoli, *Ubi Spiritus Domini ibi libertas, & si Spiritu ducimini non estis sub lege.* Et, *Nihil damnationis est iis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant.*

Credo ex iis, quae diximus primum de generibus hominum, quibus data & non data fuit lex, & quibus abrogata & quibus non abrogata dici potest. Deinde ex iis quae diximus de causis, propter quas abrogata est lex. Et postremo ex iis quae dicta fuerunt de variis legis significationibus & distinctionibus. Credo, inquam, ex iis omnibus abundè liquere propositae quaestionis solutionem: quo modo, *scilicet*, lex abrogata sit & non abrogata: in cujus quaestionis explicatione non minima pars Theologiae consistit. Neque enim probè intelligi posse scripturas sentio, articulum item de justificatione & de bonis operibus: nisi articulus iste de legis abrogatione aut necessitate intelligatur. Summa haec est (*ut multa in pauca contraham*) septem propositionibus comprehensa.

1. Lex Mosis non potest, propriè loquendo, dici abrogata esse gentibus, quibus nunquam fuit ea data. Sed eatenus tantum, quatenus Christus noluit quempiam ad se conversum legi illi esse obnoxium.

2. Eatenus abrogata fuit lex, quatenus gentium & Judaeorum incorporationem impediebat: Lex autem naturae per se considerata, quae gentium quoque erat lex, non impediebat.

3. Lex in sua propria significatione accepta tres habet partes. Mandata cum summa

summa exactione perfectissimae obedientiae conjuncta. Promissiones multas tum bonorum temporalium, tum vitae aeternae, sed cum conditione perfectissimae obedientiae & observationis mandatorum. Denique, contra, maledictiones, si quis ulla in parte peccasset, & legis mandatum aliquod transgressus fuisset. Ac fundamentum omnium mandatorum fuit Decalogus. Cujus primae tabulae addita fuit lex de caeremoniis, secundae autem lex politica. Omnes verò hae legis partes habuerunt suum internum & suum externum. Externum, ceu corpus visibile & mortale, internum, ceu animam immortalem & aeternam. Erat autem internum non aliud, quam vera pietas, constans fide viva & efficaci in Deum, vera caritate in proximum, & propria cujusque mortificatione & vivificatione seu vitae sanctitate.

4. Externum igitur & accessorium totius legis abrogatum fuit per Christum: quanquam non pari prorsus ratione (*ut supra explicatum est*) singulae legis partes. Sicut enim non fuit illud externum semper & ab initio, sed à Mose initium accepit: sic neque in sempiternum manere debuit: sed per illum tolli, per quem omnia erant ad sua prima principia, sicut fuerunt ab initio mundi, renovanda ac recolligenda.

5. Internum autem, quia aeternum fuit & aeternum esse illud vult Deus. Sic etiam abrogatum non fuit nec abrogari debuit, de quo Christus Matt. 5. *Non veni ut solvam legem, aut Prophetas.* Sic vera circumcisio cordis, vera sacrificia, verae ablutiones manent.

6. Dici tamen & hoc internum potest quodammodo cuique pio abrogari: quatenus, cum scribitur in cordibus per Spiritum sanctum, partim ipso pius liberatur tum odio legis, quo ante tenebatur, tum legis maledictione, cui obnoxius est quisquis non habet Spiritum Christi: partim quatenus, quod in tabulis externis erat, sit nobis ceu otiosum atque inutile. Sicut remi nautis, cum navis data vento per se sponte procedit.

7. Simpliciter verò abrogata est omnibus in Christum credentibus dura illa perfectissimae obedientiae, sine qua nemo posset justificari & servari, exactio: abrogata *(inquam)* doctrina de fide, per quam solam gratis justificemur, imputata nobis perfecta Christi obedientia, Deóque inchoatam imperfectámque nostram obedientiam pro perfecta acceptante gratissimámque habente, propter fidem in Christum.

CAPUT III AD EPHESIOS.

1. *Hujus rei gratia Ego Paulus ille vinctus Jesu Christo pro vobis gentibus. &c.*

Scopus Apostoli in toto hoc capite idem est, qui & in superioribus fuit: imò quid in duobus praecedentibus sibi voluerit, illud in hoc praesenti manifestè declarat: ait enim, *Quapropter obsecro ne deficiatis.* Summa igitur est Ephesios in doctrina, quae est de gratuita salute per solum Jesum Christum sola fide apprehensum, & quae tam ad Gentes quàm ad Judaeos pertinet, confirmare ac stabilire: atque etiam, ut in hac vera pietate progressum faciant, exstimulare.

Facit autem hoc quatuor praecipuis argumentis, illisque valde πάθητικως

propo-

propositis & explicatis: quorum *Primum* à suo exemplo ducit, hoc est, à constantia in ferendis vinculis, in quibus propter hanc fidem & doctrinam adhuc detinebatur. Se enim propter fidem in solum Christum, tum à se constanter retentam, tum Ephesiis alilsque Gentibus liberè atque fideliter ídque non sine fructu praedicatam, praeter alias calamitates multas Romae etiam in vinculis adhuc detineri: paratum se propter hanc doctrinam mortem etiam oppetere. Debere igitur & ipsos suo exemplo esse in fide constantes: tantum abest, ut propter suas afflictiones debeant deficere. Utitur enim Apostolus inversione in hoc primo argumento.

Alterum ducit à suo ministerio, nempe & legitimo & fideliter administrato: se enim à Christo electum, ad Apostolatum mirabiliter vocatum, atque ad hanc functionem inter Gentes obeundam salutémque & gratiam hanc illis dispensandam missum fuisse: & quidem se ut fidelem Oeconomum non aliam ab illa, quam accepit à Christo, salutis doctrinam illis attulisse ac tradidisse. Ne sinant igitur se à recepta doctrina abduci: quasi ab illo, qui aut legitimus non fuerit Christi minister, aut qui aliud Evangelium illis praedicarit quam quod à Christo dispensandum acceperat, accepta. In hoc etiam argumento utitur inversione, calumniam depellendo & suum ministerium afferendo.

Tertium argumentum ab ipso Evangelio, cujus factus fuit Minister inter Gentes, deducit. Etsi enim doctrina, quam de verè gratuita & universali salutis gratia inter Gentes praedicavit, hoc est, qua docuit Gentes quoque, si in Christum credant, sine circumcisione sinéque operibus legis, per solam eam fidem servari consortésque fieri promissionum Patribus factarum, & unum cum illis corpus esse in Christo, eóque tam ex Gentibus quam ex Judaeis in Christum credentibus constare Ecclesiam: etsi, inquam, doctrina haec praeteritis seculis fuerit omnibus, adeóque & Angelis Dei abscondita, ac proinde multis nunc videatur nova & à Paulo excogitata eóque non vera: eam tamen certissimam verissimámque esse Christi doctrinam: quia, licet olim fuerit in mysterio abscondita, fuit tamen in Deo, & nunc per ipsius Spiritum revelata est, non Paulo solum, sed aliis etiam Apostolis & illius temporis Prophetis. Ne igitur ab ea tanquam nova & falsa deficiant, sed in ea, tanquam certissima & vetustissima atque adeò aeterna, veritate, nunc tot tantísque sanctis viris per Spiritum Sanctum revelata persistant; Utitur etiam in hoc argumento inversione, cum depulsione calumniae.

Ex iis sequitur argumentum *quartum*, quod à magnitudine beneficii, à Christo in ipsos Ephesios reliquásque Gentes per Apostolicum ministerium collati, deducitur. Beneficium autem hoc est illlud, quod tum cap. 1. breviter narravit, tum cap. 2. fusiùs explicavit, cujus summa hîc cap. 3. repetitur; nimirum, quod Gentes per Evangelium intellexerint, se sine operibus legis solo beneficio Christi factos esse cohaeredes cum populo Israel, concorpores consortésque promissionum Dei; ita ut, qui inimici erant Dei, nunc liberum ad eum habeant accessum per Christum pérque fidem in eum. Esse enim hoc tam magnum incomparabiléque beneficium, ut etiam Angeli, quibus ignotum fuerat, nunc illud in Ecclesia reipsa spectantes summopere admirentur atque etiam gratulentur. Tantum igitur beneficium non esse contemnendum, sed fide in Christum constanter retinendum.

His

His quatuor argumentis subdit conclusionem cum adhortatione. *Quapropter peto ne deficiatis.* Adhortationi subjicit precationem, qua, ad quod hortatus est id ut facere queant, gratiam illis à Deo ardentissimè precatur. Ac extremum gratiarum actione claudit caput totámque prioris Epistolae partem. Haec est summa & ἀνάλυσις totius cap.

Seco igitur illud in duas partes. *Prima* continetur ver. 12. prioribus: atque in hac habemus illa quatuor argumenta, quae jam indicavimus. Altera pars continetur reliquis versibus novem. Nunc verba Pauli in priori parte audiamus.

V. 1. Hujus rei gratia ego Paulus ille captivus Christi Jesu pro vobis Gentibus.

Sic ad verbum habet primus versus, ubi manifesta est ellipsis verbi: ideò variè implere eam conantur interpretes. 1. *Alii* enim verbum subintelligunt πρεσβεύω, ut sit sensus, hujus doctrinae vobis communicandae causa *ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis fungor hac legatione,* id est, legatum ago Christi apud vos Gentes: & ex Ambrosio videtur desumta: sed neque D. Bezae probatur. 2. *Alii* subintelligunt καυχάομαι, glorior: ut sit sensus, hujus doctrinae causa *ego Paulus vinctus Christi pro vobis glorior,* id est, propter vestram salutem glorior in hac afflictione captivitate atque catena: tantum abest ut succumbam, & à fide in Christum aut ab officio meo faciendo deficiam: haec non displiceret, si admitteretur adjectum verbum, glorior. 3. *Alii* subintelligunt, peto, quod postea v. 13. post longum ὑπερβατὸν assumit. 4. *Alii* verbum quod post addit, v. 14. oro nempe Deum pro vobis: seu flecto genua ad Patrem, quod idem est. 5. *Alii* subintelligunt, scribo. 6. *Alii*, sum.

Caeterùm (ut quod magis probabile est breviter dicam) duplex est hujus loci tolerabilis lectio atque constructio: prior est, ut versus iste primus conjungatur cum versu vel 13. vel 14. & construatur cum verbo aut αἰτοῦμαι versu 13. aut κάμπτω τὰ γονάτα μοῦ πρός τόν πατέρα, v. 14. Omnes vero versus intermedii claudantur παρενθέσει. Esse enim haec ὑπερβατὰ familiaria Paulo dubitandum non est: sicut supra etiam cap. 2. vidimus, ubi versus primus cum quarto conjungitur, & sensus redditus est adjecto verbo *convivificavit.*

Sic etiam Rom. 1. ubi primus versus cum septimo construitur: *Paulus Apostolus omnibus qui Romae estis, gratia vobis, &c.* interposita digressione de Evangelii materia seu subjecto, quod est Christus; & sic alibi. Ita etiam hîc volunt esse ὑπερβατὸν longum usque ad versum 13. vel 14. Si cum verbo ἀιτοῦμαι construatur in versu 13. (ut vult Cameriarius) illud τούτου χάριν in primo versu refertur ad totam praecedentem doctrinam, ut sit sensus, hujus doctrinae (quae est Christi, & à quo vestra salus pendet) retinendae causa, *ego Paulus ille Christi Jesu captivus pro vobis* (id est propter vestram salutem) *peto ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro vobis tolero, &c.* Si verò copuletur primus versus & construatur cum verbo κάμπτω, *flecto genua mea ad Patrem,* v. 14. illud τούτου χάριν referendum erit ad versum ultimum capitis secundi. *In quo vos coaedificamini, &c.* & sensus fuerit, hujus rei causa, hoc est, ut magis ac magis coaedificemini super hoc fundamentum, quod est Christus,

Christus, & in illo crescatis per Spiritum Sanctum, Ego Paulus Jesu Christi captivus pro vobis oro Deum Patrem Domini Jesu Christi flexis ad illum genibus, &c., ut explicatur, v. 16. 17. 18. 19. Haec constructio & interpretatio eo magis videtur congruere, quod initium primi versus idem planè est cum initio vers. 14. Dicit enim ibi Apostolus, τούτου χάριν κάμπτω, &c. hîc etiam τοῦτου χάριν, ideò in primo versu illi dictioni ὑπὲρ ὑμων τῶν ἐθνῶν addendum fuerit verbum oro, nempe Deum. Atque haec de priori lectione, quae longum ὑπερβατὸν hîc esse vult.

11. Altera lectio est, quae tam longum ὑπερβατὸν non admittit, sed addit verbum, *Sum*, ídque juxta consuetudinem Hebraicae linguae.

Et sic Syriacus, sic Erasmus, sic Bucerus, sic Beza, sic Bullingerus, Musculus & alii: sed hoc etiam bifariam fieri potest. *Primum*, ut illud δέσμιος sit praedicatum, hoc modo. Hujus rei (id est hujus doctrinae, qua praedico salutem mere gratuitam esse, & non minus ad nos Gentiles pertinere, quam ad Judaeos, qua de causa abolitam eam esse doceo legem, ut duo populi in unum novum hominem unirentur & coalescerent) hujus, inquam, doctrinae causa *ego Paulus sum ille captivus Jesu Christi pro vobis.* Captivus quidem Jesu Christi, passivè, id est, propter assertam gloriam Christi, ὑπὲρ ὑμῶν autem, id est, propter defensam vestram causam & salutem.

Illud primum faciebat Apostolus, cùm docebat per solum Jesum Christum, fide sola apprehensum, sine operibus legis homines servari: sic enim asserebatur gloria Christi: ita revera captivus erat Christi, id est propter Christum.

Alterum faciebat, cùm docebat Gentes per fidem in Christum tam fieri participes promissionum Dei & ad ejus Ecclesiam pertinere, etiamsi non circuncidantur legémque Mosis servent, quàm Judaeos. Utrumque autem pessimè habuit Judaeos, & propter utrumque persecuti sunt Apostolum, donec tandem in carcerem fuit Romae conjectus: & ita apparet, quod & captivus fuerit Christi, & propter salutem Gentium: utrumque autem pendebat ex doctrina, quam praedicabat: ideò praemisit hanc causam, dicendo, τούτοῦ χάριν. Atque hic est primus sensus secundae interpretationis, quae assumit verbum *Sum:* nempe ita ut illud ὁ δεσμίος sit praedicatum.

Alter construendi modus est, si illud ὁ δεσμίος sit in hac oratione unà cum nomine Pauli subjectum: loco autem praedicati repetatur eadem dictio ὁ δεσμίος cum verbo *Sum*, vel addatur verbum ejusdem significationis cum particula, *adhuc*, vel alia simili, qua significetur Pauli constantia in cruce perferenda propter certam Christi doctrinam à se praedicatam, eóque propter gloriam Christi & propter salutem Gentium, hoc modo: *Hujus rei gratia Ego Paulus captivus ille Christi Jesu sum adhuc illius captivus pro vobis* (hoc est pro salute vestra) *multos jam menses eóque constans in fide.*

Cur addit, *Adhuc & multos jam menses?* quia voluit Apostolus, quod res erat, judicare; scribit enim Lucas in fine Actorum Paulum fuisse captivum Romae per biennium: sempérque fortem atque in praedicando Christo constantem extitisse: doctrinámque de gratuita salute per solum Christum, & quòd ad Gentes quoque ea pertineret, anteà praedicatam perpetuò strenuè adversus Judaeos defendisse. Hoc igitur voluit innuere Paulus, sed modestè per ἀποσιώπησιν. Confirmari

firmari potest haec interpretatio, quia alibi quoque in Epistolis, quas è carcere Romae dabat ad Ecclesias, vel ad privatos, illud δεσμίος τοῦ Χριστοῦ adjicere sibíque assumere solitus est Apostolus, tanquam titulum jam vulgatum, ut ad Philemon. Paulus ὁ δεσμίος τοῦ Χριστοῦ, & Timotheus frater: gratia, &c. Item 2. Tim. 1. v. 8. μὴ οὖν ἐπαισχυνθῇς, *ne igitur erubescas testimonium Domini Jesu Christi:* μήδε ἐμὲ τον δεσμίόν ἀυτοῦ: imò infrà in cap. 4. hujus Epistolae eodem modo accipit, sic dicens, Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς ἐγὼ ὁ δεσμίος ἐν Κυρὶῳ: in omnibus iis locis ὁ δεσμίος est subjectum. Ergò neque aliter hîc esse accipiendum videtur, quam pro titulo, quo se ornabat Apostolus, eóque cum subjecto esse conjungendum. Et sic illi quoque interpretes acceperunt, qui in hoc primo versu aliud verbum, quam *sum* subintellexerunt. Viderunt enim orationem melius fluere, si illud ὁ δεσμίος, accipiatur pro subjecto, quàm si pro praedicato: quod hac ratione evitetur etiam illa causarum confusio sub uno verbo comprehensa, nempe ut dicas hujus rei causa, id est, propter hanc doctrinam, *ego sum captivus Christi*, id est, propter Christum, *pro vobis*, id est, propter vos: quae alioquin evitatur, si dicas, *Ego captivus Christi,* id est, propter Christum, *hujus rei causa*, id est, propter hanc doctrinam, ne scilicet ab illa deficiatis, *pro vobis*, id est, propter vestram salutem, oro Deum, vel constanter tolero hunc carcerem, aut aliquid simile.

Itaque si cui non placet prior constructio, nempe ut versus primus construatur cum verbo αἰτοῦμαι, in versu 13. vel cum verbo κάμπτω genua mea ad Patrem, versu 14. sed velit ἐκλείψιν hujus versus implere verbo *Sum:* judicarim sic posse commodè legi & construi, τούτου χάριν, id est, ne deficiatis ab hac doctrina, sed potiùs in ea meo etiam exemplo confirmemini: ἐγὼ Παῦλος ὁ δεσμίος τοῦ Χριστοῦ Ιησοῦ, id est, qui fui jam diu propter eandem Christi doctrinam, eóque propter Christum, vinctus ὕπερ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν, id est, propter vos vestrámque salutem, sum (nempe adhuc) captivus: sed tamen Dei beneficio fortis & constans, &c. Ut sic construi posse sentiam, facit praeter alia argumenta, quòd etiam Apostolus v. 13. idem concludit, dicendo: *Ne deficiatis propter afflictiones meas pro vobis*, id est, quas pro vobis tolero. Atque hoc dictum esto, si velis illud ὁ δεσμίος Christi esse subjectum: sed summa haec est: sive illam dictionem pro subjecto, sive etiam pro praedicato accipias, certum est, Apostolum aliud voluisse concludere, quàm simpliciter se esse captivum Christi: hoc enim erat omnibus notum, neque hoc multum faciebat ad suum in hac Epistola propositum. Sed quid voluit? voluit (meo quidem judicio) concludere, se pridem captivum Christi propter doctrinam ejus Gentibus praedicatam effectum, adhuc quidem esse captivum, sed Dei beneficio constantem & fortem: ut non solùm nihil remiserit de sua doctrina deque suo officio, sed etiam indies magis ac magis regnum Christi apud Gentes promoveat, tum liberè in carcere docendo, tum ad Ecclesias scribendo: ut suo exemplo discere possint Ephesii, quid sui etiam sit officii in his tentationibus: & res quidem ita habet, sicut ex historia paret. Lucas enim in Actis cap. 28. (ut ante coeperam dicere) primum narrat, Apostolum per biennium fuisse captivum Romae. Potuit igitur scribere, *Ego Paulus pridem* ὁ δεσμίος τοῦ Χριστοῦ sum adhuc δεσμίος. Deinde constantiam ejus describit, narratque eum in carcere disseruisse cum Ju-

Judaeis de regno Dei ex Mose & Prophetis, & cùm permulti illorum non crederent, illis objecisse vaticinium Jesaiae 6. de duritia cordis hujus populi, & de Gentibus dixisse, *Notum ergo sit vobis, quòd Gentibus missa est haec salus Dei & ipsi audient.* Constat etiam Paulum è carcere illo multas Epistolas scripsisse, quae partim extant partim non extant: & praeter hanc ad Ephesios, etiam Epistolam ad Galatas, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem & alteram ad Timotheum, quibus confirmatae fuerunt Ecclesiae.

Cum igitur res ipsa sit certa, nimirum Apostolum & diu fuisse captivum, & semper fortem atque constantem in doctrina Christi retinenda ac praedicanda, ita ut hoc in maximam utilitatem cesserit Ecclesiis: dubium non est, quin hîc quoque ad Ephesios utrumque voluerit concludere: finémque hujus fuisse, ut Ephesii quoque, exemplo Apostoli, discerent in doctrina fidéque Christi constantes esse & incrementum facere. Atque haec de constructione & lectione veróque sensu hujus primi versus. Illud tantùm addam, si versionem constructionémque Erasmi & D. Bezae sequaris: *ego sum ille vinctus Christi,* tres causas indicari vinculorum Pauli. Primò doctrinam, quam praedicaverat, ideò ait τούτου χάριν. Secundò Christum, à quo acceperat doctrinam & à quo ad praedicandum missus fuerat, ideò ait ὁ δεσμίος τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ. Et tertiò salutem Ephesiorum, quibus praedicaverat, ideò ait ὑπὲρ ὑμῶν &c.

Scholia illud Ἰησοῦ Χριστοῦ interpretantur, διὰ τὴν εἰς Ἰησόν ἀμετάτρεπτον (Pauli) πίστιν; illud verò ὑπερ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν ita conjungunt cum primo membro τούτου χάριν, ut hunc velint esse sensum: *Paulum captivum esse Christi pro Gentibus* διὰ τὴν διδασκαλίαν, quam praedicavit inter Gentes. Ita hinc colligunt multos quidem, ut Martyres simplices, passos esse propter primam causam, *id est,* propter fidem in Christum, non autem propter secundam, quia non praedicarunt: sed Paulum propter utrumque, quia & fidem in Christum constanter retinuit, & primus eandem fidei doctrinam praedicavit Gentibus.

Aquinas etiam ex hoc contextu colligit duplicem esse causam Martyrii, fidem in Christum & caritatem erga Ecclesiam.

Caeterùm si alteram interpretationem sequaris, ubi ὁ δεσμίος τοῦ Χριστοῦ subjectum est, & subintelligendum sit aliud praedicatum ut suprà declaravimus: illud τοῦ Χριστοῦ causam subjecti significat, cur scilicet Paulus factus fuerit captivus, nempe propter Christum, in quem credidit & quem porrò praedicavit: illud verò τούτου χάριν cum illo membro, ὑπερ ὑμῶν, ratio finalis fuerit praedicati, cur scilicet Paulus captivus Christi aut oret pro Gentibus Deum Patrem, aut constans maneat & fortis in sua captivitate, nempe ob salutem Gentium, ne à doctrina recepta deficiant, aut etiam in ea labefactentur; quae constructio & sententia mihi magis placet. Hoc verò absque dubitatione retinendum est Apostolum his paucis verbis complexum esse de sua captivitate, quae fusè tractata porrò fuerunt à Luca in Actis, à c. 21 usque ad finem. Ac proinde hujus versus intelligentiam ex illis capitibus esse desumendam: ibi autem constat, quae causa fuerit captivitatis, quàm diuturna fuerit, quàm fortiter se gesserit in illo carcere & quam ob causam, &c. Non poterit ergo quis hallucinari, si hunc versum interpretetur consentaneè cum illa historia: eò enim remittit nos Spiritus Sanctus.

2. *Siquidem audistis dispensationem Gratiae Dei mihi in vos datae.*

Sic malo vertere tollendae ἀμφιβολογίας causa, quàm dicere, quae data est mihi: illud enim, *quae*, referri fortè posset ab aliquo ad dispensationem: cùm in Graeco referendum sit ad gratiam. Gratia enim ipsa est res data & concredita Paulo in Gentes dispensanda: dispensatio autem est ipsum ministerium quo dispensavit gratiam. Quid autem intelligit nomine χάριτος? Summam Evangelii. Hoc enim nil aliud praedicat in summa, nisi gratiam Dei, *id est*, nos per gratiam absque operibus legis servari.

Illud εἴγε bifariam accipi potest: aut pro si tamen, aut pro etenim. Primo sensu non incongruè accipi posse aliquibus videtur, si hîc incipias ὑπερβατὸν. Sed alter sensus magis congruit, sive admittas ὑπερβατὸν, sive construas cum verbo Sum. Causam enim reddit Apostolus, cur dixerit se hujus doctrinae causa vel orare Deum pro Gentibus, ne ab ea deficiant, vel constantem esse in sua captivitate pro Gentibus, ut suo scilicet exemplo discant esse constantes. Quid ita pro Gentibus est sollicitus Apostolus? ratio est, quia (sicut audiverunt) ipsorum Apostolus est constitutus, & dispensatio Evangelicae gratiae inter Gentes commissa illi fuit.

Dicit autem *audivistis*, quia non solùm ex ipso (ut probabile est) audierant, quòd fuerit à Christo constitutus Apostolus Gentium; verùm haec historia in ore omnium fidelium erat, & omnium sermone celebrabatur. Pro intelligentia ergò etiam hujus versus consulenda est historia de conversione vocationéque Pauli, quae habetur Actor. 9., & ad eam nos mittit Spiritus Sanctus hac Apostolica brevitate. Alludit enim Apostolus ad oraculum illud factum à Domino ad Ananiam, cum dixit de Paulo, *Vas electionis est mihi iste, ut perferat nomen meum coram Gentibus & Regibus*, &c. Act. 9. 15.

Nomen Οἰκονομίας Scholia acceperunt passivè: quod scilicet Paulo gratis dispensata sit gratia, cum scilicet ei revelatum est Evangelium, unde subdunt, χάριτος γὰρ τότε καλέσαι καὶ τὸ πληρῶσαι τῷ φωτί ἵν' εὐπειθέστερος γένηται. Sed meliùs, si active accipiamus, quatenus, scilicet, Apostoli constituti sunt dispensatores gratiae Dei, sicut ipse Apostolus eos vocat 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei. Qua dictione significat ministrorum esse, nil aliud in Ecclesia praedicare docere & dispensare, quàm quae à Patrefamiliàs Deo acceperunt dispensanda.

Sensus igitur est, quia audivistis eóque nostis me constitutum esse à Christo Oeconomum, *id est*, peculiarem Apostolum vestrum: ideò pro vobis Gentibus peculiariter sollicitus sum, ut, sicut docui Evangelium, sic etiam pro vobis orem Deum, ut in eo persistatis.

Summa eorum, quae modo fusius dicta sunt, haec est:

1. Quis sit Apostoli Scopus in hoc tertio capite: idem planè qui est in primo ac secundo capitibus: confirmare scilicet Ephesios in fide Christi, inque ea ut progressum faciant exstimulare, juxta doctrinam à se receptam.

2. Ad hoc assequendum, quatuor uti argumentis. 1. à suo exemplo, *id est*, ab exemplo suae constantiae. 2. à suo legitimo ministerio. 3. à certitudine Evan-

Evangelii per suum Ministerium gentibus traditi. 4. ab applicatione beneficii accepti, quibus additur exhortatio, precatio, gratiarum actio.

3. Sectio capitis in duas partes, prima versibus prioribus duodecim, altera reliquis novem. Haec praefati sumus, & ita ἀνάλυσιν cap. 3. habuimus.

Ad textum prioris partis quod attinet, vidimus versum primum; ac quomodo sit construendus, multorum sententias retulimus. Summa verò haec est, duas interpretationes nobis videri probabiliores: *Prima* est, si primum versum conjungamus cum 14. cúmque verbo κάμπτω *genua mea pro vobis ad Patrem* construamus: ita ut versus intermedii per parenthesin claudantur, ut hyperbaton, & in versu 14. epanalepsis fiat; haec, quoad dicendi formam, omnium est planissima: cùm talia hyperbata & epanalepses sint Paulo familiares, ut vidimus. Et ita legendum esse, τούτου χάριν. (*id est*, hujus rei gratia, ut, scilicet, coaedeficemi in Christo, in habitaculum Dei, per Spiritum Sanctum, sicut habet ultimus versus capitis secundi) Ego Paulus ὁ δεσμίος Christi ὑπερ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν, *oro Deum Patrem &c.* Haec est prima.

Altera est, si subintelligamus verbum *sum*, ita tamen, ut illud ὁ δεσμίος τοῦ Χριστοῦ maneat subjectum cum verbo autem sum; eadem dictio, δεσμίος, tanquam praedicatum repetatur, & initium praedicati sit illa dictio ὑπὲρ ὑμῶν hoc modo, Hujus rei gratia *ego Paulus captivus Christi* pro vobis sum captivus, nempe jam multos menses, & adhuc captivus non simpliciter, sed ille qui omnibus est notus, qui fortis persistit in sententia, qui & in carcere loquendo & foris litteras scribendo Christum constanter praedicet: hanc enim vim habet articulus ὁ δεσμίος: haec est altera, qua nulla est magis consentanea cum historia & cum scopo etiam Apostoli, qui voluit suo exemplo Ephesios ad constantiam in fide exstimulare; nimirum cum dicat: *Ego Paulus Jesu Christi captivus pro vobis oro eum, &c.* Quo pertinent & quae scribit in v. 13 *Quapropter peto, ne deficiatis propter afflictiones meas, quas pro vobis tolero:* 1. cap. ut sitis fortes ac constantes, & ut meo exemplo ad hanc constantiam vos incitem. Sequitur versus tertius.

3. *Quod* (videlicit) *per revelationem notum mihi fecit mysterium, sicut praescripsi* (id est, paulò antè scripsi) *paucis* (ἐν ὀλίγῳ.)

4. *Ad quod* (breve scriptum) *potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi.* Sic ad verbum.

Syriac. sic: *Prout potestis, dum legitis, intelligere notitiam meam, quae est in mysterio Christi Dei.* Beza sic: Ex quo (brevi scripto) perlecto potestis intelligere, quae sit mea intelligentia in mysterio Christi. Ultimum membrum versus tertii totúsque versus quartus per parenthesin legendus est. Haec est hujus versus conversio.

Porrò initio tertii versus incipit explicare quod dixerat, se factum esse *Oeconomum* gratiae Dei apud Gentes. Sunt autem tria necessaria Oeconomo. *Primum*, ut ei tanquam dispensatori tradantur quae debet dispensare. *Secundò*, detur ei autoritas dispensandi. *Tertiò* ei indicetur, quibúsnam debeat accepta dispensare; addo & *quartum*, quomodo debeat dispensare. Horum

Horum *primum* explicare incipit v. 3; ait enim, per revelationem sibi notum esse factum mysterium, nempe salutis: quod posteà quale sit & quibus potissimum in rebus consistat breviter aperit ver. 5. & 6. *Alterum*, nempe autoritatem dispensandi explicat v. 7; ait enim, *Cujus* (Evangelii) *factus sum minister &c.* Tertium, quibúsnam debeat speciatim dispensare declarat v. 8, ubi ait, Mihi data est haec gratia inter Gentes evangelizandi, &c.; ubi sequentibus etiam versibus pergit clariùs explicare mysterium hoc, quod sibi revelatum esse in v. 3. dixit, *id est*, divitias Christi, quas Gentibus dispensandas accepit. *Quarto* etiam addit modum seu medium, quo debuit dispensare divitias, dicendo, *Per Evangelium*, v. 6. &. v. 8. Ita videmus versus insequentes pertinere ad explicationem versus secundi, ubi dicit dispensationem gratiae Dei, sibi traditae in Gentes, *id est*, inter Gentes dispensandae, perfectam fuisse etiam Gentibus. Sed haec singula postea fusiùs à nobis declarabuntur. Nunc redeamus ad verba versus tertii.

Cùm ait, Mysterium sibi factum esse notum per revelationem, docet cognitionem Evangelii, qua donatus erat, fuisse sibi certissimam, quia à Deo per revelationem accepit, non autem ab hominibus. Quòd in parenthesi ait, καθώς προέγραψα ἐν ὀλίγῳ, quidam sic interpretati sunt, quasi Apostolus aliam brevem Epistolam praemiserit ad Ephesios, in qua declaraverit, quanta sua esset cognitio in mysterio Christi; sed nullam adferunt probationem. Itaque retinuimus receptam interpretationem, quae etiam habetur in Scholiis, τὰς προλεχθείσας ἄνω λέγει οἰκονομίας, nempe quod Gentes elegerit, vocarit, &c. Loquitur ergo Apostolus de iis, quae in primo & secundo capite scripserat: quae certè, etiamsi nihil aliud unquam scripsisset, satis tamen abundè declararent, quanta fuerit sapientia Apostoli & intelligentia rerum divinarum, &c. Ergo illud, προέγραψα, referatur ad caput primum & secundum hujus Epistolae. Illud ἐν ὀλίγῳ Scholia bifariam interpretantur, ἢ πρὸ ὀλίγου ἤ διὰ βραχέων: *id est*, aut paulò antè aut brevibus. Sed utramque significationem ego conjungerem, quia & paulò antè, nempe duobus praecedentibus capitibus, & brevibus seu paucis hoc fecit. Quomodo enim tot tantáque mysteria potuissent breviùs dici ac scribi, quam Apostolus scripserit? Ergo verti posset illud καθώς ἐν ὀλίγῳ, quemadmodum paulò antè parcis scripsi. Ad quartum versum quod attinet, ibi nihil est difficultatis in verbis: praesertim retenta D. Bezae versione, quae omnia reddit perspicua. Scholia explicant quid sit illa συνέσις Apostoli: non prudentia, ut quidam vertunt, sed cognitio & intelligentia: συνέσις ἐστὶν ἡ εἴδησις ἤ γνῶσις, &c. Ita clauditur parenthesis quarto versu. Sequitur quintus versus.

5. *Quod in aliis aetatibus non innotuit filiis hominum, quemadmodum nunc* (ὡς νῦν) *revelatum est sanctis Apostolis ejus & Prophetis per Spiritum.*

Syriac. nil habet diversi, nisi quod *filiis hominis* habet pro *filiis hominum*. Filii autem hominum sunt ipsi homines, ut notum est. Nomine aliarum aetatum γενεῶν secula omnia à condito orbe usque ad Christum intelligit. Nomine autem Prophetarum, quibus etiam ait revelatum esse hoc mysterium, non intellexit Apostolus Prophetas ante Christum, sed post Christum, de quibus ad *Ephes.* 4. Dedit alios Apostolos, alios Prophetas, &c.. Ait enim antè non fuisse cogni-

cognitum; nunc autem revelatum sanctis Prophetis; igitur de Prophetis illius temporis loquitur.

Quaestio ab omnibus proponitur, quódnam sit hoc *mysterium*, quod ait anteà filiis hominum non innotuisse, nunc autem revelatum: & quibúsnam innotuerit, & quibúsnam non innotuerit, & quomodo non innotuerit. Breviter, quantum ad hujus versiculi intelligentiam cognitu necessarium est, respondeo.

I *Primum*, de nomine mysterii. Hoc nomine aliquando totum pietatis Christi negotium ac beneficium significatur: 1. *Tim.* 3. Magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne, &c. Ita complectitur incarnationem filii Dei, & quaecunque ad ejus personam, naturas, & officium pertinent; sicut etiam Scholia hîc rectè declarant. Et Apostolus sic intelligit v. 4. cum suam ait notitiam in mysterio Christi posse ex iis, quae breviter scripsit, cognosci. Dicere igitur absolutè & simpliciter tale hoc mysterium fuisse superioribus seculis omnibus ignotum, nimis absurdum est 2. Aliquando συνεκδοχικῶς capitur pro parte hujus Mysterii, nempe pro vocatione Gentium in societatem populi Dei: neque hoc simpliciter, sed cum suis circumstantiis temporis & modi, quo erant vocandae & participes faciendae salutis, nempe absque circumcisione sinéque ullis legis operibus, &c. Et de hoc mysterio propriè loquitur Apostolus in versu quinto, cùm ait, *Illud non innotuisse superioribus aetatibus &c*, quemadmodum mox explicat v. 6., cùm ait, *Gentes*, videlicet, *cohaeredes esse & concorpores & conparticipes promissionis ipsius*, intellige eo modo, quo Paulus praedicabat, nempe sine circumcisione. Hoc fuit ignotum in aliis aetatibus.

II. Sed quibúsnam fuit ignotum? Filiis hominum ait, id est, omnibus hominibus. Intelligi autem omnes nemine excepto inde liquet, quia Paulus docet Angelis quoque fuisse ignotum. At videtur absurdum, mysterium hoc ipsis etiam Prophetis ignotum fuisse; cùm multa extent ipsorum vaticinia de Gentium vocatione in communionem populi Israel, *id est* Ecclesiae Dei; nisi velis excipere Prophetas, quae praedicabant, ea non intellexisse, quod sanè nimis impium est sentire & dicere.

III. Veniendum igitur est ad tertium, *id est*, ad modum, quo intellexerunt & quo non intellexerunt.

Primum igitur Prophetae, sicut praedixerunt, sic etiam intellexerunt. Quid praedixerunt? in genere ipsas etiam gentes benedicendas fuisse in semine benedicto, vocandásque in communionem promissionis: sed quòd hoc modo debuerint in societatem & communionem admitti, nempe sine circumcisione, ita ut ex circumcisis Judaeis & ex incircumcisis Gentibus constaret Ecclesia; hoc demùm illis ignotum fuisse videtur; ideò neque etiam hoc praedixerunt; persuasum enim habebant, propter foedus factum cum Abrahamo, neminem fieri posse participem foederis promissionis & salutis: nisi etiam foederis Symbolo participaret, juxta verba Domini, *Qui non fuerit circumcisus octavo die, exterminabitur de medio populi*. Sicut enim foedus est aeternum, sic etiam Symbolum foederis futurum perpetuum credebatur. Ac proinde Gentes quidem admissum iri in communionem populi & foederis, sed non sine circumcisione, &c. Hujus ignorantiae specimen videmus in Apostolis etiam post mortem Christi.

Petrus non audebat accedere ad incircumcisum Cornelium, Actorum 10. Sed

Sed opus ei fuit visione & oraculo Christi dicentis: *Quod Deus mundavit, tu non commune dixeris.* Hinc alii dicebant, *Nisi circumcidamini, non potestis salvari.* Hic est primus modus, quo Paulus intelligit mysterium hoc non innotuisse superioribus seculis ulli mortalium, nempè quoad modum, quo erant Gentes admittendae etiam incircumcisae, ut jam taceam de circumstantia temporis. *Deinde,* quod etiam noverunt Prophetae de vocatione Gentium, id quoque non tam perspicuè noverunt atque Apostoli post acceptam revelationem. Ideò Apostolus, ut haec duo discrimina indicaret, non dixit simpliciter non innotuisse illis, sed non innotuisse ὡς νῦν: Quemadmodum nunc sanctis Apostolis & Prophetis est revelatum. Et ait, *Nunc,* quia neque ipsi Apostoli ante hanc specialem revelationem hoc noverant, ut jam ostendimus exemplo Petri. Ita soluta est quaestio, quantum opus fuit ad hujus loci intelligentiam.

Illa particula, ἐν πνεύματι, docet non de quibusvis ministris verbi sermonem hîc esse Apostolo: sed de iis tantùm (uti Apostoli fuerunt & Prophetae) quibus per Spiritum Sanctum immediatè & peculiariter mysterium hoc revelatum est, non autem de illis, qui illud norunt ex aliorum doctrina. Posset tamen etiam sic exponi, ex Spiritu, quem accipiebant etiam Gentes per fidem, cognitum fuisse eas quoque esse cohaeredes.

6. *Gentes* (videlicet) *esse cohaeredes* & (conparticipes) *consortes promissionis ejus in Christo per Evangelium.*

Syr. *Ut sint Gentes cohaeredes ejus & participes corporis ejus, ac in promissione quae exhibita est in eo per Evangelium.*

Intelligentia hujus versus pendet ex iis, quae Apostolus tradidit cap. 2. à versu 12. usque ad versum 26. de Gentibus, quomodo, cùm essent procul, alienatae à Repub. Israel, factae sint propè, &c. Explicat autem hîc mysterium illud, quod dicit non innotuisse in superioribus aetatibus filiis hominum, &c. ubi Scholia ita scribunt, ὅτι μὲν γὰρ κληθήσεται τὰ ἔθνη, εἴδωσαν οἱ προφῆται: ὅτι δε συγκληρόνομα καὶ συμμέτοχα ἔσται, οὐκ εἴδωσαν. Confirmant haec, quae nos suprà diximus ad quaestionem propositam, quibúsnam & quomodo absconditum fuerit mysterium hoc, &c.

Illae duae dictiones, συγκληρόνομα, cohaeredes, & σύσσωμα, concorpores, Gentium cum piis Israelitis communionem exprimunt: ita tamen, ut posterior arctiorem unionem significet. Prior dictio docet omnes nos esse fratres filiósque Dei, quia omnes haeredes coelestis regni: posterior significat omnes esse ejusdem corporis sub uno capite Christo membra. Est autem ampliùs esse membra ejusdem corporis, quàm filios ejusdem patris eóque & cohaeredes. Ac de haereditate dixit in primo capite: de unitione in idem corpus, tanquam filios ejusdem patris eóque et cohaeredes, ac de haereditate dixit in primo capite. De unitione in idem corpus, imo in unum novum hominém cap. secundo. Tertia dictio, συμμέτοχα, promissionis indicat causam, cur & cohaeredes facti simus & concorpores cum piis Judaeis: quia nimirum facti sumus participes promissionis illis factae: & hoc in Christo *(ut explicat)* per fidem Evangelio adhibitam; Evangelium enim offert Christum, in Christo omnes promissiones: summa promissionum est, ut simus unum cum Christo, & cum illo haeredes coelestis regni: Evangelium autem fidem exigit.

Quicunque

Quicunque igitur fidem adhibent Evangelio, ii fiunt συμμέτοχα promissionum, & ex consequenti cohaeredes & concorpores in Christo.

Nomen τῆς ἐπαγγελίας ἀυτοῦ, nempe Dei, propriè illam significat promissionem, quae est caput omnium promissionum, *Ero Deus tuus, & seminis tui, &c.* Hinc enim pendet illa etiam altera insignis, In semine tuo benedicentur omnes Gentes: & ita reliquae. Ergo hac una reliquas omnes complectitur Apostolus promissiones. Quia verò omnes promissiones complementum habent in Christo solo per se, *id est*, Etiam & Amen. (ut loquitur Apostolus 2. Cor. 1.) ideò adjecit, ἐν τῷ Χριστῷ: ut doceat, qui vult earum promissionum fieri particeps, eum oportere Christo inseri; inserimur autem per fidem: fides verò adhibetur Evangelio, ideò subjecit per Evangelium. Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. Et nomen Christi atque Evangelii excludit circumcisionem omniáque opera nostra. Hoc est mysterium diu absconditum, nunc autem revelatum, de salute Gentium, per solam fidem in Christum, sine circumcisione & sine operibus legis.

Ita explicavit noster Oeconomus Paulus, *Primò*, quid sibi traditum sit dispensandum: mysterium scilicet gratiae & salutis in Christo: hoc enim sibi esse revelatum: *Et secundò*, quaenam sit hujus mysterii praecipua illa pars, quam dixit fuisse superioribus aetatibus omnibus absconditam, decretum scilicet Dei de Gentibus sine circumcisione & sine operibus servandis, cúmque populo Israel incorporandis & in unum Ecclesiae corpus colligendis.

Sequitur de autoritate dispensandi Apostolo tradita, v. 7.

7. *Cujus factus sum Minister* (διάκονος) *secundum donum gratiae Dei, quod datum est mihi, secundum efficaciam potentiae illius.*

Syr. *Cujus ego factus sum minister secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi ab efficacitate virtutis ejus.*

Scholia illud, ὅν, *cujus*, ad Evangelium referunt, de quo in fine vers. 6. Sic alii interpretes plerique omnes. Ita minister fuit ejus rei, quam debuit ministrare: alibi tamen saepè vocat se ministrum Christi, à quo fuit ad ministerium vocatus, 1. Cor. 4.

Illud κατά τὴν δωρεὰν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσαν μοι, simpliciter accipiunt pro dono Dei gratuito, & de dono, *id est*, de vocatione ad Apostolatum, interpretantur. Quod verò sequitur κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως ἀυτοῦ, optimè interpretantur Scholia de vi & efficacitate, quam Deus suppeditabat Paulo ad ministerii functionem utiliter obeundam, & ad officium fructuosè faciendum. Mihi tamen magis placet, ut tria hîc intelligamus. *Primo*, Paulum factum fuisse ministrum Evangelii ex gratia Dei. *Secundo*, eum fuisse ornatum eo dono, *id est*, iis donis, quae ad suum faciendum officium, *id est*, ad gratiam Evangelii efficaciter annunciandam & dispensandam inter Gentes, erant necessaria ídque itidem ex gratia: ita ut nomine τῆς δωρεᾶς intelligatur donum gratuitum intelligentiae mysterii illius, de quo locutus est, excellens multarum scientiarum cognitio, donum fidei, facultas docendi, & alia dona ad officium ministri dignè faciendum necessaria: haec erant reipsa in Paulo; ideò

ideò ait τὴν δοθεῖσαν μοί. Sunt autem haec dona varia in ministris, prout placet Deo ea dispensare; ideò dixit, κατὰ τὴν δωρεὰν &; distribuit enim ea Deus, prout expedit Ecclesiis & juxta sua judicia. *Tertio*, efficacitatem Dei in Apostolis operantis omnia per suum Spiritum Paulo etiam non defuisse, intelligere debemus in iis verbis: ita ut nomine ἐνεργείας τῆς δυνάμεως ἀυτοῦ τοῦ Θεοῦ intelligatur vis & efficacitas praedicationis, qua parvo temporis spatio infinita propè hominum millia convertit ad Christum, & Evangelio implevit innumerabiles regiones &c.; de qua efficacitate 1. *Cor*. 15. Plus omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei quae mecum est. Quanquam nihil impedit, quin cum hac praedicationis efficacitate conjungamus etiam vim miraculorum, quibus verbum Evangelii à Paulo praedicatum confirmabatur: quando haec etiam vis nomine ἐνεργείας τῆς δυνάμεως intelligi solet in sacris literis: vim hanc edendi miracula fuisse datam Paulo liquet ex Actis, praesertim cap. 15.

Habemus ergo hîc autoritatem dispensandi gratiam Dei, cum donis ad id necessariis cúmque efficacitate conjunctam, traditam fuisse Apostolo.

8. *Mihi* (inquam) *longè minimo omnium Sanctorum data est gratia haec, inter Gentes evangelizare*, (id est, ut evangelizem,) *impervestigabiles divitias Christi.*

Syr. nihil discrepat. Hîc, praeterquam quod repetit datam sibi autoritatem praedicandi, & quid praedicandum sit ac distribuendum, nempe divitiae Christi: speciatim etiam explicat quibúsnam constitutus sit dispensator: scilicet peculiariter ipsis Gentibus.

Scholia volunt hîc deesse γὰρ: ut sit αἰτιολογία, tanquam dixerit se factum esse ministrum ex gratia Dei: quia (inquit) minimus omnium sanctorum cùm sim, gratia tamen haec data est; ἐπανάληψις etiam benè habet, ut referatur ad versum 2. *Oeconomia mihi in vos data est: Mihi inquam, &c.* Nomine *Sanctorum* intelligit praecipuè Apostolos, quanquam omnes pii sancti vocabantur. Quòd se vocat ἐλαχιστότερον omnium, quod longè ampliùs est quam esse ἐλαχιστὸν, hoc non facit ex ὑποκρίσει, sed quia noverat se talem esse; nempe cum suum ante conversionem in Judaismo statum comparabat cum statu reliquorum. Nemo enim aliorum persecutus fuerat Christum & Christianos, sicut ipse Paulus. Quòd hîc dicit est idem, quod etiam habet in I. ad Tim. c. 1. cùm ait, se esse primum omnium péccatorum, quos Christus servatum venerat. Admiserat enim peccatum omnium gravissimum respectu facti & operis, quia in primam tabulam & immediatè contra Deum; quanquam non fuit respectu modi, quo illud admisit, gravissimum; quia non ex malitia, ut Pharisaei, sed ex ignorantia, ut ipse fatetur, Christum & Ecclesiam persecutus est & blasphemavit. Provocat igitur nos ad consideranda ea, quae Lucas in Actis, & quae ipse ad Galat. & ad Timoth. scripta reliquit; ut indè, cur se vocet omnium Sanctorum longè minimum, intelligamus.

Divitiae Christi speciales sunt remissio peccatorum, justificatio, regeneratio, resurrectio, vita aeterna, & c.

9. *Et illuminare omnes* (ad verbum, *id est*, ut illuminem & ut proferam in lucem omnibus) *quae sit communio mysterii quòd erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia condidit per Jesum Christum.* Syriac.

Syriac. *Et elucere faciam omni homini, quae sit dispensatio mysterii, quod erat absconditum in Deo, qui omnia condidit* (omisit: *per Jesum Christum).*

Explicat effectum Evangelii praecipuum, quod est, quae in Deo abscondita erant hominibus patefacere; non solum res ipsas per se occultas in lucem proferendo, sed ipsos etiam homines alioqui sua natura caecos, ut res ipsas videre queant, illuminando. Nam verbum φωτίζειν & φωτίσαι utrumque significat: nempe res ipsas occultas in lucem proferre, seu reddere visibiles (nam ipsae quoque illuminari dicuntur, dum luce perfusae visibiles fiunt) & deinde etiam significat illuminare ipsos homines, ut qui in tenebris non poterant, ad praesentiam lucis ipsi etiam illustrati possint videre. Utrumque enim illis, qui in tenebris sedent, praestat lux solis & ignis seu candelae, cum illis exoritur vel adfertur. Utrumque etiam attribuit Spiritus Sanctus Evangelio, atque adeò ipsis quoque ministris Evangelii. Non solum enim luce Evangelii res alioqui in Deo absconditas in lucem proferunt, id quod Evangelio convenit per se: verùm etiam homines ipsos sua natura caecos illuminant, sed ministerialiter: quemadmodum etiam dicuntur per Evangelium regenerare, remittere peccata, &c. 2. Cor. 4. 10. cùm tamen sint hae propriae Dei actiones: sed quia opera ipsorum ministrorum & organo Evangelii ad eam rem utitur Deus: ideò & Evangelio & Ministris ipsis tales actiones communicantur in sacris literis. Hoc ideò explicare volui, ut intelligamus verbum φωτίσαι hoc in loco plus significare quàm in lucem proferre. Certè in Actis cap. 2. hoc officium Paulo legimus attribui à Christo, sicut ipsemet Paulus narrat regi Agrippae, dicendo Christum sibi apparuisse & dixisse, *Se illum mittere ad Gentes, ut aperiret oculos eorum, & illi se converterent à tenebris ad lucem.* Cùm igitur Paulus in hac Epistola dicit Gentibus sibi datam esse hanc gratiam, ut evangelizet inter Gentes, & ut omnes illuminet: illud φωτίσαι significat non solùm proferre in lucem mysterium, quod erat absconditum, sed etiam homines illuminare (ministerialiter) ut illud intelligere queant. Itaque una voce Latina non potest vis hujus verbi φωτίσαι satis exprimi in hoc loco.

Illud πάντας, φωτίσαι πάντας, restringitur ad omnes illos, ad quos dicebatur missum esse Apostolum.

Ac juxta duplicem verbi hujus significationem, bifariam etiam intelligitur hoc fecisse Apostolus: Primùm, omnibus quibus praedicavit, in lucem protulit hoc mysterium, & quaenam hujus fuerit communio explicavit: deinde omnes illuminavit tanquam minister, quos Christus vi sui Spiritus illuminare decreverat, *id est,* Electos; vel etiam breviùs: respectu officii rectè dicitur missum fuisse, ut omnes illuminaret: sed quoad effectum solos electos illuminasse, tanquam minister Christi, intelligendus est.

Illud τίς ἡ κοινωνία τοῦ μυστηρίου hunc habet sensum; Judaei putabant ad se solos pertinere salutem, Gentes autem non fore participes salutis futurásve de populo Dei nec de Ecclesia, nisi & ipsae circumciderentur & se legi Mosis subjicerent; sed Deus, qui aliter decreverat in seipso, per meum ministerium patefecit suum consilium & decretum fuisse, ut Gentes citra circumcisionem & citra opera legis in communionem salutis per solam fidem reciperentur. Et ita per meum

meum ministerium patefactum est, rem aliter se habuisse in Deo, quam putarunt Judaei. Hic est sensus.

Illud, *Qui omnia condidit per Jesum Christum*, intelligi potest aut de prima aut de secunda creatione. *Quicunque enim regenerati sunt, per Christum regenerati sunt & regenerantur, sicut etiam omnia per eundem creata sunt.* Placet verò, ut de prima immediatè intelligamus, sed ita ut inde argumentum ad secundam ducatur: sicut per Christum omnes condidit, non solum Judaeos sed etiam Gentes: sic etiam per eundem tam hos quam illos recondit & regenerat, novásque facit creaturas, ut sint concorpores, &c. Vis enim est in dictione τὰ πάντα: & allùdit ad id, quod supra dixit καὶ πάντας φωτίσαι, nempe non solùm Judaeos sed etiam Gentiles. Quid ita? Quia etiam τὰ πάντα creavit per eundem Christum. Argumentum est à creatione ad recreationem, non dissimile illi in 2 ad *Cor.* 4. Deus, qui jussit è tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus vestris, &c. Alloquebatur Gentiles: q. d. sicut lucem illam creavit non solùm propter Judaeos, sed etiam propter omnes alios homines, qui omnes in tenebris sunt nati, sic etiam lux ista Spiritus communis est etiam vobis, &c. Hoc verò diligenter observandum est in tota hac Epistola, cùm nominat Gentes, praesertim ubi dicit mysterium hoc de salute Gentium fuisse absconditum, observandum, inquam, est nomen Gentium magnam habere emphasin, & eo declarari rationem cur dicat Apostolus mysterium hoc de salute Gentium fuisse incognitum; ratio haec est, quia esse Gentilem & esse praeputiatum idem sunt, ut liquet in sacris literis. Quòd igitur vocandae essent Gentes ad salutis participationem, & in κοινωνίαν societatémque Sanctorum in Israël, hoc non habebant Judaei pro absurdo: quia intelligebant vocatum iri illas ex Gentilismo ad Judaismum, id est, à praeputio ad circumcisionem: & ita circumcisos factósque ex Gentilibus Judaeos in participationem porrò salutis admissum iri.

Hoc enim erat Judaeis persuasum, non posse gratiam promissionis factae Abrahamo alicui communicari sine Sacramenti etiam illius foederis & promissionis communione: quemadmodum etiam nunc multi sentiunt, sine signis non posse rem signatam ab ullo percipi. Haec erat recepta apud Judaeos sententia. Proinde non offendebantur, quod Gentes per Evangelium vocarentur ad Christum, quia intelligebant illas omninò Sacramento circumcisionis, quo & ipsi erant signati, obsignandas esse; sed quod Gentes, dum manebant Gentes, id est incircumcisi, debuerint aut potuerint fieri de populo Dei, hoc demum erat illis incredibile, sacrilegium, blasphemia. Argumentum hoc Judaeorum erat commune ante revelationem hujus mysterii factam Apostolis & Prophetis. *Quicunque vult in societatem foederis cum Abrahamo iniri, eóque in communionem Sanctorum recipi & de Ecclesia fieri: in foederis etiam signo obsignetur necesse est. Non enim sine signo res signata communicatur.*

Atqui signum foederis fuit & est circumcisio: Ergò, &c.

Quo pertinet mandatum Dei. *Qui non fuerit circumcisus, is exterminabitur de populo meo.* Ideo Gen. 17. jussus fuit Abrahamus omnes quos domi habebat, etiam qui non erant ex ipsius semine, circumcidere.

Quare,

Quare, nisi Gentes per circumcisionem in societatem populi Judaici admittantur, non possunt dici aut esse de Ecclesia, esse cohaeredes, esse concorpores, esse consortes promissionis. Cùm igitur Paulus aliter doceat, sequitur eum esse haereticum, sacrilegum, blasphemum, &c.

Ad majorem respondet Apostolus, illam non esse perpetuò veram, sed tantùm usque ad Christum: Christum enim abrogasse legem: itaque post Christum etiam sine circumcisione posse homines fieri de populo Dei, & participes salutis probat: quia Deus hoc mysterium revelavit sanctis Apostolis.

Atque hoc est, quod subjicit de multiplici sapientia Dei in servandis suis electis: quam Angeli didicerunt ex re ipsa, quam in Ecclesia spectarunt: & contemplati sunt quasi in speculo. Hoc enim effectum, in Ecclesia manifestum, confirmatio fuit revelationis factae sanctis Apostolis & Prophetis.

10. *Ut nota nunc fiat principatibus & potestatibus in supercoelestibus* (locis) *per Ecclesiam illa multivaria* (ad verbum) *sapientia Dei.*

Vetus interpres, *multiformis;* sic Beza. Erasmus: *vehementer varia, valde multiplex.*

Syr. habet: *Et per Ecclesiam innotescat sapientia Dei plena varietatum.* Benè respondet huic voci Apostolicae πολυποίκιλος. Scholia monent illud ἵνα accipiendum esse pro ὥστε, ita ut &c. ποίκιλον opponunt ἁπλῷ. Ita docet sapientiam Dei in consecrationem Gentium cum Judaeis sub uno capite Christo agnitam fuisse ab Angelis variam & multiplicem, cùm antea eam noscerent ἁπλῆν. Illud verò πολὺ additum ποικίλῳ addit incrementum. Ergò ad verbum significat multipliciter variam. Sed de nomine satis. Nunc ad rem ipsam.

Si illud ἵνα est pro ὥστε, non igitur ideò constitutus est Paulus Apostolus & Minister Evangelii inter Gentes, nec praedicavit divitias Christi, aut illuminavit Gentes, ut sapientia Dei innotesceret Angelis quàm varia & multiplex sit: sed ex ejus praedicatione hoc secutum est: dùm scilicet Gentes ad auditum Evangelium factae sunt cohaeredes & concorpores & consortes promissionis, manentes tamen Gentes, id est, incircumcisi. Pertinent igitur haec ad amplificationem beneficii in Ephesios collocati.

Quod ait *de principatibus & potestatibus in coelis*, quidam intellexerunt de principibus, qui in Ecclesia circa res coelestes dominantur, seu qui praesunt Ecclesiis in rebus coelestibus: hanc interpretationem legis apud Hieronymum. Sed est nimis coacta. Ambrosius interpretatur de malis Angelis. Et ait innotuisse illis hanc sapientiam Dei, ut converterentur; videtúrque sentire quosdam illorum ad praedicationem Evangelii de Christo, quae fiebat ad Gentes, conversos fuisse. Qualis haec opinio? Et tamen fuit unus ex Patribus, & quidem non postremus.

Cum Augustino nos sentiamus haec de bonis Angelis dicta esse: hos nimirum spectantes totum hoc Ecclesiae corpus constans ex tali capite, quod & Deus & homo est, passo, mortuo, suscitato à mortuis, & nunc sedente in coelis ad dexteram Patris; constans item ex tot támque variis populis & nationibus diversarum linguarum morum, aliis circumcisis aliis incircumcisis,

&

& tali modo copulatum, nexu spiritus & fidei: quod Gentes scilicet incircumcisae per solam fidem factae sint cohaeredes & concorpores & conparticipes promissionis unà cum Israelitis circumcisis, quódque omnes in unum corpus sub uno capite Christo coierint. Hos, inquam, bonos Angelos haec videntes, quae antè ignorabant, per haec cognovisse, idque summa cum admiratione & gaudio, quàm varia & multiplex sit Dei sapientia, quà haec omnia facta sunt.

Quòd igitur ait, per Ecclesiam, intelligimus hoc corpus Ecclesiae ex incircumcisis & circumcisis collectum, cujus caput est Christus, tanquam rem verè novam & omnino inopinatam, fuisse Angelis instar speculi, in quo viderunt & admirati sunt hanc admirabilem & magnificam Dei sapientiam: eóque & gratulatos nobis esse tantum beneficium.

Ex iis, (quantùm ad intelligentiam hujus loci attinet) intelligimus, quid sit illa πολυποίκιλος sapientia Dei. Ad summam ea haec fuit, quam Paulus ipse tùm c. 1. tùm maximè c. 2. de Gentibus explicavit in unum corpus cum Israel collectis: nimirum, quod, cùm crearit Deus omnia in summa sapientia, & pro eadem sapientia hominem ad suam imaginem creatum & in peccatum lapsum sublevarit promissione Messiae, foedus deinde aeternae salutis in Abrahamo firmaverit: legem deinde adjecerit, qua & foedus ipsum in solo semine Abrahae, & signum etiam foederis confirmavit, ita ut Gentes essent à foedere & ab Ecclesia atque ab omni promissione exclusae, sine Christo & sine Deo in Mundo, nullam habentes spem salutis: tamen non minùs pro illis mori voluerit Filium suum, eorúmque expiari peccata sanguine Filii unigeniti. Neque hoc solùm, sed quod vix centesima parte Judaeorum ad participationem salutis vocata statim miserit Apostolos, qui vocarent Gentes: eásque sine circumcisione sinéque operibus legis, per solam fidem, illámque ex gratia donatam, servarit, ac cum Electis piísque in Israel circumcisis in unum corpus copularit, imò in unum novum hominem, cujus caput voluit esse Christum ex duabus diversissis naturis constantem, ex quo capite salus vita motúsque spirituales semper fluant, quibus in dies adolescamus, crescamúsque in virum perfectum, in aetatem plenitudinis Christi: rejectis interim omnibus Judaeis, exceptis paucis reliquiis. Hoc demum totum, quod hactenus diximus, summam, admirabilem, stupendam, veréque ab ea, quam ante Christum in colligenda sibi Ecclesia servarat, variam atque diversam & πολυποίκιλον vocat Apostolus sapientiam. Haec est illa sapientia, quam idem Apostolus admiratur ad Rom. 9. 10. 11. Cùm videns Israele rejecto assumtas fuisse Gentes; et excisis ramis naturalibus olivae ramos oleastri in eorum locum positos esse & in arborem insitos; et qui quaerebant justitiam per opera eos mansisse injustos, qui autem non habebant, nec quaerebant justitiam, eos sola fide, credendo in Christum, factos esse justos verámque justitiam consecutos esse. Haec, inquam, est illa sapientia, de qua Apostolus haec, quae dixi, contemplatus & admiratus, exclamavit dicendo, *O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei; quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viae ejus!*

Haec est illa sapientia, quam in inversione manuum Jacob supra Ephraim & Manasse admiratus est Joseph: putabat enim factum illud & illam inversionem manuum ex ignorantia profectum fuisse. Sed Jacob respondit, *Scio, scio,*

scio, fili mi, quid scilicet faciam; πολυποίκιλος certè est sapientia, qui primi erant eos facere novissimos: & qui erant novissimi, eos efficere ut sint primi: abscondere à sapientibus, & revelare parvulis: eligere stultos mundi, & confundere sapientes. Et qui missus fuerat ad oves Israel, eum illis relictis sese conferre ad Gentes per Apostolos. Deníque, quando mundus non cognovit Deum in sapientia, qua omnia condidit & qua legem dedit: per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. O verè πολυποίκιλον sapientiam, quam Deus in hoc, quod nos videmus, & de quo etiam nos sumus, corpore Ecclesiae, ex tot diversarum nationum, linguarum, morum, locorum hominibus, iísque peccatoribus colligendo, & uni capiti Christo, vinculo unius Spiritus & fidei inseparabiliter in omnem aeternitatem adglutinando: capite in coelo existente, membris partim in coelis partim in terris degentibus, luculenter demonstravit & quotidie demonstrat. Nunc tenemus, quae sit ista πολυποίκιλος sapientia, de qua loquitur Paulus, & quam dicit innotuisse Angelis, per Ecclesiam nempe, tanquam per speculum.

II. *Secundùm propositum* (πρόθεσιν) *seculorum, quod fecit in Christo Jesu, Domino nostro.*

Syriac. *Id quod praeparatum fuerat à seculis. Et fecit illud in Jesu, Domino nostro.*

Πρόθεσις τῶν αἰώνων nil aliud est, quàm propositum ante secula, propositum scilicet Dei. Quid enim est πρόθεσις τῶν αἰώνων quàm θέσις πρὸ τῶν αἰώνων? Sicut & ad Col. 1. de Christo, πρωτότοκος πάσης κτίσεως: id est, genitus πρὸ πάσης κτίσεως. Θέσις autem significat positionem & constitutionem, seu decretum.

Sensus verò est, totum hoc quod factum est, unde πολυποίκιλος sapientia Dei nota facta est Angelis etiam ipsis per Ecclesiam, non temere & fortuitó factum esse, sed secundùm propositum aeternum Dei; quod sicut fecit in Christo, sic etiam in eodem tandem reipsa complevit atque perfecit. Proinde haec particula verè confirmat hanc fuisse sapientiam Dei mirabilem, quòd, scicilet, Gentes hac ratione servarit in Christo & concorpores fecerit. Quid ita? quia pro sua aeterna sapientia sic decreverat & constituerat facere, quanquam hoc ignorarint Angeli, & non sit patefactum nisi in extremis temporibus.

Photius in Scholiis sic constituit: ἡ κατά πρόθεσιν τῶν αἰώνων πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ νῦν ἐγνώθη διὰ τῆς Ἐκκλησίας.

Ejus verba haec sunt: αὕτη γὰρ (πολυποίκιλος σοφία) καὶ τῶν αἰώνων προέθετο καὶ προώριστο, ἣ καὶ ἐν ἐσχάτοις καιροῖς διὰ τῆς ἐκκλησίας ἐγνωθη.

Illud etiam ἣν ἐποίησεν ἐν τῷ Χριστῷ, &c. sic idem explicat τόδε ἣν ἐποίησεν, ὅτι καὶ ταύτην διὰ τοῦ Χριστοῦ καὶ προέθετο τῶν αἰώνων, καὶ προώρισεν: οὐδὲν γὰρ ἄνευ τοῦ υἱοῦ οὔτε ἠβουλήθη, οὔτε ὥρισεν, οὔτε ἐποίησεν. Δι᾽ αὐτοῦ γὰρ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν.

12. *In quo habemus* παῤῥησίαν *& adductionem in* (alii cum) *fiducia, per fidem ejus.*

Syriac. *Per quem nobis est audacia & accessus, per fidem in ipsum.*

Παῤῥησία à παῤῥησιάζειν: quid autem est παῤῥησιάζειν? Est liberè, confidenter, & intrepide,

trepidè, quicquid velis, dicere atque etiam facere. Est enim à πᾶν & ῥέω: Et παῤῥησία est πάντὸς ῥησία: sed ν verso in ρ. Est igitur propriè facultas & libera dicendi quidvis, atque etiam faciendi.

Παῤῥησία apud Deum oritur ex fiducia ἐκ τῆς πειθήσεως: fiducia verò ἐκ τῆς πίστεως.

Hactenus percurrimus contextum prioris partis hujusce capitis tertii: & quis fuerit Apostoli sensus in singulis versibus breviter ostendimus.

Nunc singuli versus diligentiùs examinandi: & quae ibi continentur doctrinae eruendae colligendaeque nobis sunt: atque inprimis argumenta, de quibus initio diximus, in ipso contextu monstranda.

Hujus rei gratia Ego Paulus vinctus ille Christi Jesu, pro vobis (captivus & vinctus sum &c.) Vel, *pro vobis flecto genua ad Patrem.*

1. In hoc primo versu *Primum* habemus argumentum, quo Ephesios eóque & nos ad constantiam in fide Christi hortatur Apostolus: argumentum, inquam, ab exemplo ductum sanctorum Apostolorum & Prophetarum aliorúmque piorum virorum, qui propter veritatem Evangelii fidémque in Christum retinendam multa passi sunt, & etiam ipsam non recusarunt fortique animo pertulerunt, & mundum vicerunt.

Argumento hoc usus est Apostolus non solùm hîc, sed alibi etiam, & speciatim ad Hebr. cap. II. cùm fideles ad constantiam in fide cohortaretur; unde cap. 12. concludens ait, *Quapropter nos quoque, cùm tanta nos circumstet nubes testium, abjecto omni pondere & peccato ad nos circumcingendos proclivi, constanter propositum nobis stadium curramus..* Ubi observandum est, Apostolum duo demonstrasse de veteribus illis sanctis Martyribus: unum, propter quámnam causam constantes fuerint in perferendis afflictionibus: nimirum propter fidem seu propter pietatem: & deinde per quid tam fortes effecti tot mala pertulerint: nempe per fidem. *Haec enim est victoria quae vincit mundum: fides nostra* 1. Joh. 5.

Pro fide igitur nemo fuerit in cruce ferenda constans, nisi vera fide donatus sit: quia pro fide nemo fortiter pugnat, nisi fidelis. Inde liquet, qui succumbunt & deficiunt à fide, eos vel nullam habuisse fidem, vel hypocriticam, vel valdè imbecillam: quanquam discrimen magnum est inter utrumque deficientium genus: quod uni non facilè redeunt ad fidem, alteri resipiscunt, ut Petrus: *scintilla vivae fidei in eorum cordibus per flatum Spiritus Sancti denuò excitata & reaccensa.*

Hoc igitur est primum argumentum Apostoli, ab exemplo ductum. Quanta verò sit vis hujus argumenti ad fideles in fide conservandos, liquet à contrario. Nulla enim re populi magis ad defectionem incitantur, quàm si videant pastores ac ministros deficere. Nihil igitur sceleratius & perniciosius in Ecclesia defectione ministrorum & virorum in Ecclesia excellentium. Sicut contrà nihil salutarius Ecclesiae illorum constantia & fortitudine animi. Hoc argumentum confirmavit Christus, qui in hunc etiam finem, praeter alios, voluit propter veritatem, idque pro nobis, pati, ut nobis relinqueret exemplum patientiae & fortitudinis in talibus causis, ut ait Petrus: *Christus pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* 1. *Pet.* 2.

1. Hinc secundo loco observanda est particula illa, ὑπὲρ ὑμῶν. Nam etiam Christus passus est & vinctus fuit pro nobis, non minùs quàm Paulus pro Ephesiis, imò & pro nobis: sed Christus bifariam intelligitur passus fuisse & vinctus pro nobis: Primùm, ut sua passione pro peccatis nostris satisfaceret: Secundò, ut nobis exemplum constantiae in fide praeberet: ideo ait Petrus, Primùm, *Christus passus est pro nobis.* Deinde, *nobis relinquens exemplum.* At verò Apostolus & alii sancti viri non sunt passi pro nobis, nisi ut suo exemplo nos in fide confirmarent, & ita servaremur. Nec aliter intelligitur locus similis Coloss. 1. & 4. ubi ita scribit, *Nunc gaudeo de iis, quae patior pro vobis: Et reliquias afflictionum Christi vicissim explico in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Scripsit enim & hanc Epistolam Romae, déque iisdem passionibus loquebatur, de quibus & ad Ephesios. Itaque idem sensus est utrobique: nempe Apostolum passum esse, quae passus est pro nobis próque tota Ecclesia, non ut eam redimeret à peccatis (id enim facerat solus Christus), neque ut aliquid passioni Christi adderet ad perfectam nostri redemptionem, ut nonnulli blasphemarunt (sanguis enim Christi infinitae virtutis est, non solum ad Electorum sed etiam reproborum omnium peccata expianda sufficiens) sed passus est Apostolus pro Ecclesia, ut suo exemplo fideles omnes discerent & quotidiè discant esse constantes in fide, & quaevis tormenta pro Christi confessione perferre. Leo Papa sic etiam interpretatus est: unde & ita scriptum reliquit, *Accepere justi, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiae, non dona justitiae.* Haec Leo primus Episcopus Romanus. Ut summa sit non solum blasphemia, sed etiam impudentia, ex hujusmodi locis Paulinis colligere concluderéque velle merita sanctorum addenda esse passioni Christi ad plenam pro peccatis nostris satisfactionem.

Hoc igitur discrimen retineamus inter passionem Christi, & passiones piorum sanctorúmque Martyrum: omnes quidem esse pro nobis próque nostra salute, sed diversa ratione; quod Christi passio & ad plenam satisfactionem faciat pro peccatis nostris, & ad perfectissimum exemplum (quò pertinet & illud ex Epist. Petri, *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armemini* &c. 1. *Pet.* 4. 1.) Passiones autem Sanctorum ad exemplum duntaxat spectent, & ad confirmationem doctrinae ac fidei, quam praedicarunt & professi sunt. Idem tradit Thom. 3. parte, quaest. 48. art. 5. ad tertium.

3. Illud quoque observandum est in hoc versu, cur Paulus tam seriò causas reddat suae captivitatis: ait enim, *Hujus rei causa*, id est, propter doctrinam. Deinde, *Ego Paulus captivus Jesu Christi*, id est, propter Christum. Item, *pro vobis*, nempe captivus sum. Causa colligitur ex apologia Pauli ad Agrippam regem in Actis cap. 26. & ultimo. Calumniatores, ut fieri solet, abutebantur carcere Pauli ad eum traducendum, quasi propter scelera admissa in carcerem esset conjectus: ex quo fiebat ut periclitaretur doctrina per ipsum praedicata. Purgat igitur se, & ibi in Actis & hîc ad Ephesios: ac dicendo

se

se captivum esse propter Christum, seque doctrinae à se traditae defendendae causa proptérque salutem Ephesiorum se in illo carcere gaudere (ut exponit Coloss. 1.) constantémque esse, depellit calumnias, séque, non propter scelera, sed propter honestam causam in carcerem esse conjectum.

Hinc discimus, licet sanctorum officium sit cruces laeto forti animo perferre imò & in illis gloriari (Rom. 5.), calumnias tamen, quae inde per impios sparguntur aut spargi possunt, non esse dissimulandas, sed voce & scriptis depellendas, suámque innocentiam explicandam: quid ita? ne infamia nostrarum personarum redundet in infamiam fidei, doctrinae & religionis, quam profitemur.

4. Ex hoc etiam versu, ubi Paulus non solum suam commemorat captivitatem, sed illius etiam causas adfert, quod, scilicet, propter Christum sit vinctus proptérque illius doctrinam, non autem propter scelus aliquod à se admissum: discimus calamitates & afflictiones, non solum quae à natura sunt, uti sunt varia morborum genera, verùm etiam quae ab hominibus inferuntur, uti sunt carceres, cruces tormentorúmque genera varia & mortes, communes quidem esse piis cum impiis hominibus, sed longè diversas esse illorum causas: quando impii propter sua scelera plectuntur: pii autem variis afficiuntur per impios malis, propter pietatem & veram religionem.

Abel occiditur à fratre, frater maledictus à Deo vagus ac profugus fit in Mundo: sed diversa utriusque causa. Unus occiditur propter pietatem, alter propter scelus admissum punitur duro perpetuóque exilio.

Joseph coniicitur in carcerem, coniiciuntur & duo Pharaonis Eunuchi: sed ille per calumniam; causa autem vera fuit, quia malum admittere noluit, ad quod à sua domina invitabatur: at verò isti propter suas iniquitates.

Cruci affigitur Christus, affiguntur & duo latrones: quàm verò diversae & illius & horum causae?

Hinc illud, *Non poena, sed causa Martyrem facit.* Meritò igitur Apostolus, ut discrimen hoc ostenderet, sui carceris causas adfert longè alias, quam erant multorum aliorum captivorum causae: ipse captivus erat Christi, alii multi captivi diaboli, proptérque scelera.

Atque ex hac causarum ejusdem carceris & calamitatis diversitate fit, ut variè afficiantur, tam pii quàm impii, in eadem cruce; quia impii supra modum tristantur, dolent, & despondent etiam animum, suorum conscii scelerum; pii autem laetantur & gloriantur in ipsis afflictionibus, pacatam cum habeant tranquillámque conscientiam, sciántque se propter gloriam Dei, aut propter salutem Ecclesiae affligi. *Quo pertinet illud in Actis,* Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati: *Et illud Apostoli,* Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, &c. Merito itaque de hoc suo carcere scribens ad Colos 1. ait. Gaudeo pro vobis in afflictionibus meis. Quo ex loco ad Coloss. (ut hoc obiter dicam) colligo versum etiam hunc ad Ephesios sic posse cum hoc verbo construi: Ego Paulus ille vinctus Jesu Christi, pro vobis (scil.) gaudeo in his meis vinculis, &c. Ex eodem enim carcere, déque eadem re, & in eundem finem scripsit ad utramque Ecclesiam, ut scilicet utramque consolaretur hortaretúrque suo exem-

exemplo ad constantiam in fide Christi, nec sinerent se propter afflictiones, vel Apostoli sui vel suas, à recepta doctrina abduci. Imò potiùs laetentur, sicut & ipse gaudebat pro ipsorum salute. Sed hoc obiter.

5. Hinc etiam manifestum fit quódnam sit Dei consilium, cum suos electos tradit in manus tyrannorum & impiorum hominum cruciandos, variisque eos premi calamitatibus.

Neque enim dubium est, quin afflictiones omnes à Deo, tanquam à primario autore, nobis inferantur, quamquam ad hoc utatur opera impiorum hominum & aliarum rerum à se conditarum, juxta illud *Amos* 3. Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Et illud Christi, Non cadet capillus de capite vestro sine voluntate Patris vestri. Mat. 10.

Constat etiam Deum nihil agere temerè, cùm summa sit sapientia. Neque etiam obscurum est Deum non delectari afflictionibus & malis nostris, cùm sit Φιλάνθρωπος & beneficentia delectetur, juxta illud *Jer*. 32. Laetabor super eis, cum benefecero eis. Et apud Jes, 28. nos legimus, Deum cum nos affligit *facere opus non suum*. Sed cur igitur castigat, & facit opus non suum? *ut faciat* (inquit Propheta) *opus suum:* quódnam autem est opus Dei proprium? Servare & benefacere. Caedit igitur ut sanet: affligit ut servet: occidit ut vivificet. Hinc liquet, quo consilio suos affligat electos: nempe ad bonum; ídque tribus modis. 1. Nimirum ad bonum vel eorum quos flagellat, 2. vel aliorum quorum causa alios flagellat 3. vel denique ad bonum tam eorum qui caeduntur, quam aliorum quorum causa caeduntur.

In *primo* gradu sunt omnes electi, cùm peccant. Ideò enim ii caeduntur, ut resipiscant & ne pereant, sed serventur: de quibus est illud Apostoli 1. *Cor*. 11. Cùm judicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Ubi illud corripi vocat παιδεύεσθαι, quod sonat in morem pueri corripi & erudiri: ut significet Apostolus, cum Deus nos castigat, eum nihil agere nisi quod quivis bonus pater agit, dum filium delinquentem erudit virga. Quò & illud spectat, *Heb*. 12. Quos Deus diligit, corrigit & castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In hoc primo gradu sumus plerique omnes, quia multa subinde admittimus, quae opus habent correctione.

In *secundo* gradu fuit propriè ipse Christus: cùm enim is peccatum non fecerit, non igitur propter ipsius salutem, sed propter nostram, quorum peccata in se transtulit, fuit à Deo Patre percussus, ut Jesaias loquitur. Reliqui licet pii & sancti fuerint, ut Prophetae & Apostoli, quia tamen nunquam caruerunt peccato, idcircò non possunt simpliciter dici fuisse castigati ob aliorum tantum salutem, ac non etiam in suum bonum.

In *tertio* igitur gradu fuerunt & sunt multi praeclari in Ecclesia viri: quos Deus variis & gravissimis afflixit & affligit calamitatibus: quam ob causam? tum ut ipsi exerceantur in fide, spe, patientia, invocatione, & laude nominis Dei: tum ut alii eorum exemplo confirmentur in fide, & afflictionibus propter gloriam Dei constanter & fortiter ferendis. Talis fuit etiam Apostolus: nam de prima causa, exercitii scilicet in fide, ipse testatur de se, 2 *Cor*. 11. Item alibi, Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Satanae, qui me colaphizet. 2. Cor. 10. De altera, nempe in

 aliorum

aliorum exemplum & bonum, est hic praesens locus, & ad *Coloss.* 1. 2. Siquidem audivistis dispensationem gratiae Dei mihi datae in vos.

1. In hoc versu primum reddit rationem, cur dixerit se captivum Christi, aut pro ipsis orare genuáque flectere ad Patrem hujusce rei gratia, hoc est, ut coaedificentur supra Christum: aut se in sua captivitate & vinculis aequo esse & constanti animo, atque etiam (ut exprimit Coloss. 1) gaudete; ut scilicet suo exemplo ipsi etiam discant esse constantes in doctrina, nec sinant se ullis calamitatibus ab illa abduci: reddit, inquam, rationem, cur ita sit pro ipsis Gentibus salutéque ipsorum sollicitus: nempe hanc ab causam, quia ipsorum minister & Apostolus factus est à Deo: ídque mutabili ratione, & vocatione, sicut ipsi quoque audiverunt. Ratio haec pendet à generali propositione de officio ministri, quae haec est: Cujusuis boni ministri & Apostoli est non solùm docere fideliter, quos sibi Dominus concredidit erudiendos: verùm etiam tum precibus tum exemplo curare, ut constantes permaneant in fide veráque pietate, ínque ea proficiant. Atqui ego sum vester Apostolus: dispensatio enim gratiae mihi datae commissa est apud vos, &c. Ergò.

Hîc igitur discimus quodnam sit officium boni ministri, nempe ut sit sollicitus de sua Ecclesia, curétque illam non solùm doctrina sua erudiendam, verùm etiam exemplo vitae constantiaeque, & verò etiam precibus ad Deum ardentibus, in vera pietate confirmandam ac stabiliendam. Sunt enim ministri patres Ecclesiarum: quis autem parens curam suae familiae non suscipiat, ut quibuscunque potest rationibus eam servet, ejúsque salutem promoveat? Tales certè fuerunt Apostoli, & inter hos Paulus nemini fuit secundus; quemadmodum ejus Epistolae declarant & Acta Apostolorum. Hinc illa sollicitudo de omnibus Ecclesiis inter Gentes, de qua scribit in 2. Cor. 11. Legatur totum illud caput. Hinc apparet, quales sint illi ministri, qui, praeter concionem ordinariam & publicas preces & Sacramentorum administrationem, nihil praeterea curant in suis Ecclesiis; déque illarum salute solliciti non sunt: sive credant sive non credant, sive proficiant sive non proficiant, perinde illis est: eóque nec exemplo vitae, nec precibus ad Deum privatis, earum pietatem promovere student. Mercenarii sunt, non autem veri pastores.

2. Illa quoque vox, qua ministerium vocat dispensationem atque oeconomiam, & ministros dispensatores atque oeconomos, ut in 1. Epistola ad Cor. cap. 4., pertinet ad explicationem officii ministrorum, quod in doctrina potissimùm versatur & Sacramentis. Etsi enim oeconomus ille dicitur, qui familiam administrat totámque rem domesticam: praecipua tamen pars officii oeconomi in dispensatione rerum ad victum necessariarum consistit. Ideò vox dispensatoris perplacet: praesertim ubi ait, Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Hîc jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.

Ministri igitur praeficiuntur Ecclesiis filiísque Dei tanquam dispensatores & œconomi, ut familiam alant: quibusnam cibis? quos paterfamilias suppeditavit, & in suo penu collocavit. Penu Dei sunt sacrae literae. Ex iis igitur depromendus est cibus Ecclesiae: non miscendus cum cibis humanarum traditionum, neque corrumpendus falsis glossis: hoc est enim officium fidelis dispen-

sa-

satoris. Est etiam dispensandus hic cibus pro cujusque necessitate & statis temporibus: nemóque defraudandus suâ portione.

Ratio quoque habenda est infantium, qui opus habent lacte. Et adultorum, quibus solidus necessarius est cibus. Proinde ad captum cujusque sese debet accommodare minister, quemadmodum & Apostolus faciebat, ut ipse de se ad Cor. testificatur. *Lactis potu vos alui* 1. *Cor*. 3. Denique boni & fidelis œconomi est non permittere ut filii patrisfamilias apud hostes parentis cibum sumant, ne loco salubrium ciborum venenatis vescantur. Hostes sunt haeretici & seductores. Faciebat hoc Apostolus: proinde Pseudo apostolis, quantum poterat, resistebat, monebátque fideles ne haereticos audirent. *Haereticum hominem post unam aut alteram admonitionem devita &c.* Tit. 3. Atque hac de causa, etiam absens & è carcere, hasce scribebat Epistolas, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philip., ad Coloss. &c.

Ex hac igitur voce οἰκονομίας & dispensationis discant ministri, quid sui sit officii.

3. Gratiae quoque vox hîc praetereunda non est; cujus ait se constitutum esse dispensatorem. Hoc nomine indicavit, quaenam sit propria Evangelii materia, quae populis dispensanda est. Substantia Evangelii est gratia per Christum nobis parta, quâ sublatis per crucem inimicitiis ex inimicis facti sumus amici reconciliati, facti filii Dei eóque & haeredes coelestis regni; ídque gratis propter Christum. Gratiam hanc tum in primo tum in secundo capite docuit. Et paulò post etiam explicat hîc dicendo, *Gentes factas esse concorpores, consortes piorum, cohaeredes, &c.*

Meminerimus ergo substantiam Evangelii in hoc consistere, ut liberè & apertè praedicemus, *nos per gratiam fuisse electos in Christo, per gratiam redemptos, per gratiam vocatos, per gratiam justificari, per gratiam donari fide, per gratiam regenerari, per gratiam Deum omnia bona in nobis operari, per gratiam denique nos glorificatum iri: Gratiâ estis servati per fidem, non ex vobis, non ex operibus, Dei donum est cap.* 2. Cùm autem Apostolus vocatus fuerit ad dispensandam hanc gratiam inter Gentes, ut scribit: an non debuit talem doctrinam de gratuita salute per Christum solà fide apprehensam praedicare? debuit, si fuit fidelis oeconomus: & fecit, quia fidelis fuit dispensator. Et quia suum diligenter fecit officium: propterea à Judaeis tot tantáque passus est, ut tandem in carcerem quoque fuerit illorum opera conjectus. Ita videmus, quid maximè in odio sit hominibus hujus mundi, praesertim hypocritis, doctrina, scilicet, de gratuita salute per solam fidem in Christum. Haec tamen est summa totius Evangelii.

4. Cùm verò ait, Gratiae hujus sibi datae & communicatae dispensationem concreditam esse, non simpliciter, sed in Gentes: duo docet, Primùm Deum noluisse, ut thesaurum hunc sibi soli retineret aut absconderet subtus terram, sed dispensaret. Quod noluit in Paulo, in aliis etiam ministris non vult. Quò pertinet illud, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Secundò docet, suam vocationem peculiariter fuisse ad Gentes, sicut & Petri inter Judaeos; Gal. 2. Interim tamen & Petrus ad Gentes accessit & docuit, & Paulus Judaeis praedicavit

dicavit Christum: ratio autem fuit, quia Apostoli fuerunt Apostoli, quorum singulis data fuerat autoritas praedicandi Evangelium ubique locorum & apud omnes populos: sed ita tamen, ut ordo servaretur inter eos, cùm Deus sit autor ordinis non confusionis.

Ergo multò magis inter pastores Ecclesiarum ordo servandus est: ut quisque illi Ecclesiae totus diligentissimè inserviat & thesaurum gratiae dispenset, ad quam peculiariter vocatus est à Domino

II. Hîc verò secundum *argumentum*, quo in hoc contextu exstimulat Ephesios ad persistendum in doctrina, incipit explicare: explicaturus magis ac magis in insequentibus. Argumentum est à ministerio Pauli: habet autem multa capita hoc argumentum.

Primum. quod Paulus legitimè sit vocatus, & quidem ad Gentes: quia vocatus fuit & factus Apostolus Gentium à Christo: ídque immediatè & mirabili ratione, sicut explicat Actorum, 9. & 22. & alibi. Hoc primum caput suae vocationis innuit, cùm ait ver. 2. *Audivistis dispensationem Gratiae mihi datae in vos.* Deinde vers. 7. cùm ait, *Cujus factus sum minister ex dono gratiae Dei*, &c. Item ver. 8. ubi ait, *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, ut inter Gentes evangelizem, &c.*

Alterum caput hujus argumenti est quòd Paulus, sicut legitimè vocatus est, sic etiam optimè instructus fuit in cognitione mysterii hujus & Evangelii, ad quod praedicandum Gentibus vocatus & missus fuerat. Et hoc caput in vers. 2. innuit, dicendo: *Gratiae mihi datae.* Nomine enim *Gratiae* diximus hîc significari summam seu substantiam Evangelii.

Deinde clariùs exprimit, cùm ait, vers. 1. quòd per revelationem notum mihi fecit mysterium, &c.

Tertiò, cùm in ver. 4. subjicit, *Ex quo scripto potestis cognoscere, quae sit mea intelligentia in mysterio Christi.* Item vers. 5. dicendo, hoc esse revelatum nunc sanctis Apostolis: inter quos & ipse erat non postremus.

Tertium caput argumenti est, quòd non solùm sit legitimè vocatus, nec solùm plena perfectáque doctrinae coelestis de aeterna salute cognitione donatus: verum etiam, quòd fuerit à Deo donis aliis ad ministerium hoc necessariis ornatus. Et hoc habet in vers. 7. cùm ait se factum esse ministrum Evangelii, κατά τὴν δωρεὰν gratiae ipsius, &c. Id quod alibi clarius explicatur, ut ad Cor., cùm ait, *Qui fecit nos idoneos ministros novi Testamenti &c.*

Quartum est, quod, praeter dona Spiritus Sancti in se collata, Deus suâ etiam efficacitate sibi semper adfuerit in sui ministerii functione: ut dubitari non possit, quin quae suo praestitit ministerio apud Gentes, Deus illa effecerit; id quod clarè explicat 1. Cor. 15. *Non ego autem hoc feci, sed gratia Dei quae mecum est.* Caput hoc habet in vers. 7. cùm ait. *Secundùm efficacitatem potentiae ipsius.* Item cùm ait ver. 9. *Sibi datam esse hanc gratiam, ut illuminet omnes.*

Quintum est eventus seu effectum, quod Pauli ministerium consequutum est: quia non solùm Gentes ipsae factae sunt concorpores & cohaeredes; verùm etiam Angeli ipsi inde noverant, quàm admirabilis sit πολυποίκιλος sapientia Dei in suis servandis electis. Hoc habet vers. 10.

Hoc

Hoc igitur argumentum, quod à tot capitibus & circumstantiis sui ministerii deduxit Apostolus, efficacissimum esse debuit apud Ephesios, & debet etiam esse apud nos, ut in doctrina Apostolica constantes permaneamus. Coactus autem fuit uti hoc argumento à Pseudoapostolis, qui ministerium Pauli traducebant quasi non legitimum. Argumentum tale est.

Ego primùm legitimè fui ad dispensandam gratiam Dei inter vos, electus & vocatus quia à Christo immediatè, ut ex omnium sermone notum est & audivistis. Deinde optimè & certò novi doctrinam, quam vobis tradidi, quia eam habui per revelationem à Christo. Donis quoque ad ministerium necescariis Deus me pro sua gratia instruxit: imò & sua praesentia in me fuit efficax. Et denique eventus ipse docet ministerium meum probari Angelis. Non est igitur cur de doctrina per me vobis tradita propter meas afflictiones dubitetis, aut ab illa deficiatis: sed potiùs, sicut ego certissimus doctrinam hanc esse divinam & certam & salutarem propter eam constans sum in carcere, ut pro illa mori etiam non recusem: sic vos persuasi de certitudine doctrinae constantes in illa persistere debetis. Hoc est argumentum, quod, ut dixi, incipit in ver. 2. & continuatur per aliquot versus.

Hinc autem colligimus doctrinam hanc: Absurdum non esse neque arrogantiae attribuendum, si minister iisdem rebus permotus, quibus & Paulus adductus fuit, suum magnificet ministerium, non sui efferendi causa, sed doctrinae per se traditae confirmandae gratia, & ut fideles in vera retineat fide. His explicatis breviores erimus in aliis versibus examinandis.

III. Tertium quoque *argumentum*, ductum nimirum ab ipsa doctrina seu ab Evangelio, quod praedicaverat inter Gentes, incipit in ver. 2., cùm summam doctrinae Evangelicae vocat Gratiam, quod in praedicatione Gratiae Dei in Christo & propter Christum ea consistat.

Argumentum enim tale est: Substantia Evangelii consistit in praedicatione hac, quòd Deus ex sola gratia sua propter Christum, sine operibus nostris & sine circumcisione, nos servarit; nos verò ejus fiamus participes per solam fidem. Atqui hanc ego vobis tradidi doctrinam: *Gratia estis servati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est:* cur igitur in ea permanendum non sit non video. Sed clarius hoc argumentum explicat in vers. 3. & in insequentibus. Habet enim & hoc tertium argumentum aliquot capita.

V. 3. *Quod*, scilicet, *Deus per revelationem notum mihi fecerit mysterium (sicut paulò antè paucis scripsi.)*

v. 4. *Ex quo scripto perlecto potestis intelligere, quae sit mea intelligentia in mysterio Christi* (notum, inquam, mihi fecit mysterium).

v. 5. *Quod* (mysterium) *aliis aetatibus non innotuit filiis hominum, ut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus & Prophetis per Spiritum.*

v. 6. *Gentes*, scilicet, *esse cohaeredes, & concorpores, & consortes promissionis ejus in Christo per Evangelium.* Non potest sensus erui, nisi omnes ii versus simul conjunctim legantur. Incipit autem versu tertio explicare, quod dixerat versu secundo de dispensatione gratiae sibi datae. Quaenam est ista, ô Paule, dispensatio, quam dicis nos audiisse? ait:

v. 7. *Quòd*, scilicet, *Deus per revelationem notum mihi fecit mysterium:* (Pa-

(Parenthesi, quae incipit in fine secundi & continuatur toto tertio versu, confirmat ab experientia sibi fuisse revelatum mysterium: quia ex iis, quae antea scripserat, possunt cognoscere quanta sit Pauli intelligentia in isto mysterio) Sed quódnam est hoc mysterium? respondet, dicendo:

Gentes (scilicet) *esse haeredes, & concorpores, & consortes promissionis ejus in Christo per Evangelium.*

Quod igitur hîc exprimit de Gentium incircumcisarum gratuita salute, & cum populo Israel consociatione, est illud mysterium, quod ait superioribus aetatibus fuisse ignotum, nunc autem sanctis Apostolis revelatum: & pars est illius gratiae, cujus dispensationem dixit sibi injunctam fuisse ad Gentes, vers. 2.

Quare argumentum tertium, quod ad corroborandos in fide Christi Ephesios & nos simul omnes deducit à substantia & à qualitate doctrinae Evangelicae Apostolus: hoc continuatur in ver. 3. & aliis insequentibus: unde postmodum concludit, ne propter suas afflictiones à tam certa talíque doctrina deficiant, néve de illa dubitent. Habet autem & hoc tertium argumentum multa capita multásque circumstantias, quibus firmius fit magísque efficax ad persuadendum.

Primum caput est, quòd hujus doctrinae summa atque substantia in *Gratia Dei*, seu in gratuita salute per Christum consistit: & hoc vers. 2. cùm suum ministerium vocat Gratiae dispensationem. Quid igitur gratius esse debeat hac doctrina.

Alterum caput est, quòd haec doctrina, licèt non omnibus nota sit, *certissima* tamen est Dei doctrina: quia revelata sanctis Apostolis & Prophetis per Spiritum Dei: & ita etiam sibi. Horum autem doctrina, ut suprà cap. 2. exposuit, fundamentum est, supra quod fundatur Ecclesia: quare oportet eam esse certissimam & firmissimam. Et hoc habet in vers. 3., cùm dicit mysterium, nempe salutis & totius pietatis, sibi per revelationem notum esse factum: id quod dicit posse nobis constare ex iis, quae scripsit antè, in cap 1. & 2. Item caput hoc de certitudine doctrinae confirmat vers. 5. cùm ait mysterium hoc revelatum fuisse sanctis Apostolis & Prophetis per Spiritum. Item vers. 7. ubi docet, quam praedicabat doctrinam, fuisse confirmatam efficacitate potentiae Dei, id est, miraculis. Quantum igitur facinus, si quis de hac doctrina dubitet?

Caput *tertium* est, quòd haec doctrina, eóque & gratia ac salus, quam annunciat, non solùm ad Judaeos sed etiam ad Gentes pertineat. Eos enim, licèt Gentes maneant, id est, incircumcisi, per fidem tamen in Christum fieri participes promissionis Dei & ideo filios Dei & haeredes & ejusdem corporis Christi, quod est Ecclesia, membra. Et hoc vers. 6., cùm ait mysterium hoc, ante ignotum nunc autem revelatum, in hoc consistere, ut Gentes fiant cohaeredes, concorpores & conparticipes promissionis cum Israëlitis. Item cùm ait, vers. 8. sibi datam esse Gratiam evangelizandi inter Gentes: Et v. 9. cùm ait, se missum esse ad illuminandum omnes, per Evangelium scilicet. Item, cùm inde concludit neminem à salute per Christum excludi, modò, scilicet, credat in Christum, quia omnia etiam per Christum condidit Deus, vers. 9., quasi dicat: Quid igitur vobis Gentibus carius esse debeat hac doctrina?

Quartum est, quòd haec doctrina de gratuita Gentium, sine circumcisione & sine

sine operibus legis, per solam fidem in Christum, salute, déque illarum cum Israelitis concorporatione, nova non est, ut calumniantur adversarii: quia, licet non innotuerit superioribus temporibus, sed nunc primùm sit revelata: fuit tamen jam inde ab aeterno in Deo secreta, suo tempore revelanda. Et hoc vers. 3. Cùm eam vocat mysterium, ante non revelatum erat igitur, sed ignotum filiis hominum, non autem Deo. Item si nunc revelatum est mysterium, ante igitur erat, sed absconditum, v. 5. Item ver. 9. Cùm ait mysterium hoc, quod Evangelium annunciat, fuisse à seculis absconditum in Deo. Item cùm ait nunc servari Gentes per hanc doctrinam Evangelii secundùm propositum Dei aeternum. v. 11. Doctrina igitur est non nova, nec à Paulo nunc excogitata, sed aeterna & divina est; quasi dicat, quis igitur eandem aeternam Christi doctrinam novitatis insimularet?

Quintum est, quod doctrina haec perfectissima sit, ita ut ad salutem nostram nihil desiderari possit amplius. Et hoc cùm ait, Primò, per hanc Gentes fieri haeredes, &c. v. 6. Item per Evangelium annunciari impervestigabiles divitias Christi: v. 9. Item cùm eam vocat πολυποίκιλον σοφίαν θεοῦ: vers. 10.; quasi dicat, cur igitur ab hac declines?

Sextum, quòd doctrina haec facilis sit facillimámque ad salutem viam patefaciat & praebeat, cùm nihil exigat quàm fidem in Christum, sed veram & vivam. Ex hac enim oriri fiduciam adeundi Deum eúmque ut Patrem invocandi. Et hoc. v. 12. cùm ait, In Christo, quem praedicat & qui fide percipitur; & offert Evangelium, nos habere adductionem, nempe ad Deum in fiducia, quae est ex fide Evangelio, scilicet, praestita. Sunt haec omnia capita proprietates essentiales verae doctrinae ad salutem necessariae.

Argumentum igitur tale est:

Doctrina Evangelii, quam ego vester minister vobis attuli, & non infructuosè praedicavi, *Primum*, doctrina est Gratiae Dei, *id est*, docens nos servari per gratiam Dei: *Secundò*, doctrina est certissima, quia revelata sanctis Apostolis & Prophetis per Spiritum Sanctum: *Tertiò*, doctrina est universalis atque catholica, non solum ad Judaeos sed ad omnes etiam omnium locorum & temporum Gentes pertinens: *Quartò*, doctrina est non nova aut ab hominibus excogitata, sed vetustissima & aeterna: quia licèt non semper fuerit & omnibus nota, fuit tamen in Deo abscondita, & post suo tempore revelata: *Quintò*, doctrina est perfectissima ad perfectam salutem satis supérque sufficiens, *quia inpervestigabiles omnes Christi divitias affert.* Denique doctrina est facilis, facilem ad Deum aditum patefaciens, quia docet in Christo, quem praedicat Evangelium, per fidem apprehenso παῤῥησίαν praeberi, & accessum ad Deum cum fiducia nobis patefieri: & nos omnes haec novimus expertique sumus. Quid igitur est esséve potest, cujus causa debeatis ab hac doctrina deficere, aut de ea dubitare? & non potiùs meo exemplo constantes in ea permanere, & ejus causa adversa omnia tolerare ac superare? Hoc est praecipuum, quod in hoc tertio vers., & deinceps in aliis observandum ac considerandum est. Argumentum, scilicet, à qualitate doctrinae Evangelicae, quam praedicabat Paulus, deductum. Sed alia etiam obiter occurrunt hîc perpendenda nobísque ad nostram salutem accommodanda.

2.

2. Secundo igitur loco observanda est vox mysterii, qua in 3. vers. & 4. totum pietatis Christianae negotium significatur: sicut idem Apostolus. 1. Tim. 2. docet, dicendo: *Magnum est profecto pietatis mysterium.* Adde verò, quòd eam dicit sibi fuisse factam notam per revelationem. Mysterium est à μύω.

Doctrina igitur salutis verè abscondita est mundo & omnibus hominibus: imò stultius nihil hominibus videtur hac Evangelii doctrina: ut verè dixerit Paulus, Animalis homo non percipit quae sunt Dei, nec potest percipere, &c. 1. Cor. 2. Quid ita? quia in summa docet, Deum habere Filium sibi coaeternum & ὁμοούσιον: Filium hunc factum esse hominem absque peccato: hunc sua obedientia & morte peccata mundi expiasse, ita ut qui credit hoc per hanc fidem servetur. Quid prudentibus hujus mundi stultius & magis ridiculum, hypocritis verò & sanctis hujus seculi scandalosius dici proponíve potest? Proinde Paulus, Praedicamus Christum *(inquit)* crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, &c. 1. Cor. 1. Est igitur verè mysteriorum plena doctrina Evangelica atque Christiana: ut verè etiam dixerit idem Apostolus, *Dispensatores sumus mysteriorum Dei.* Nam etiam Sacramenta mysteria sunt: quia, quod significant & exhibent, occultum est oculis & rationi humanae. Quid? quod Electis quoque, quibus tamen per Spiritum Sanctum ex parte revelatur, adhuc est mysterium magna ex parte. Videmus *(inquit Apostolus)* per speculum, *id est*, in aenigmate. 1 Cor. 13. Item, cognosco ex parte, &c. Et. *Johan.*: Filii Dei sumus: sed nondum apparuit qui erimus. 1. Joh. 3. Praecipuè verò illa hujus mysterii pars, quam explicat vers. 6. quòd, scil., Gentes, permanendo Gentes & incircumcisi, debuerint & potuerint non solùm servari, sed etiam fieri concorpores cum Judaeis circumcisis, ita ut ex utrisque fuerit unum corpus Christi, quod est Ecclesia: hoc demùm fuit, & superioribus aetatibus ante Christum & post Christum, Judaeis ferè omnibus mysterium magnum & absconditum. Ergo, quòd nunc nobis notum sit acceptum feramus revelationi Spiritus Sancti.

V. 4. Quod dicit, Ex brevi scripto suo, *id est*, ex capite 1. & 2. hujus Epistolae, Ephesios & nos item, si illud legamus, posse intelligere quanta fuerit intelligentia Pauli in mysterio pietatis & religionis Christianae, duo collegimus: Unum Spiritum Sanctum ita Pauli mentem illustrasse & manum in scribendo attemperasse atque movisse, ut ejus Epistolae, si à piis attentè legantur, intelligi haud difficulter possint: ac quod de Pauli Epistolis dico, idem de aliorum etiam Apostolorum & Prophetarum scriptis dicere non dubitamus: modò, ut dictum est, qui legunt, piâ & attentâ mente legant, & linguam & φράσεις intelligant. Nam si quis aut prorsus sit linguae imperitus, quâ sacra Biblia scripta sunt, aut impius sit, & Spiritu Dei destitutus, aut non attentè sed perfunctiorè legat: ad hoc certè non dicam sacra Biblia facilè intelligi posse: *animalis enim homo non percipit quae sunt Dei*, &c. Opus igitur est pietate ac Spiritu Dei imprimis, primorúmque fidei principiorum cognitione. Deinde cognitione linguae & φρασέων ejus linguae, quia si non intelligas verba, quo modo scriptoris sensum percipies? Denique necessaria est mentis fidelis attentio: ideò etiam Christus ait, *Scrutamini Scripturas.* Et David in primo Psalmo requirit meditationem, ut in sacris literis meditemur die ac nocte.

Errant

Errant igitur qui tradunt sacras literas ita esse obscuras, ut, nisi accedant Patrum interpretationes, intelligi nequeant. Quasi verò Patres primi, qui commentati sunt in sacras literas, non intellexerint Scripturas, cùm nullos habuerint priorum Patrum Commentarios.

At speciatim de Pauli Epistolis scribit Petrus eas difficiles esse intellectu 2. Pet. 3. Nego de Epistolis loqui: sed de quibusdam rebus, quae in Epistolis continentur, veluti de tempore adventus Christi, de illius mora ad judicium, & similibus aliis rebus; quas cùm homines curiosi & superbi percipere nequeant nec simpliciter credant, eas depravant ad suam perniciem: sicut etiam doctrinam de justificatione per solam fidem. Item de libertate Christiana multi depravant ad licentiam carnis. Expressè enim loquitur Petrus de pravis hominibus, omnia depravantibus & torquentibus, ut ex contextu liquido apparet. Locus igitur Petri non favet adversariis. Paulus apertè ait, si ipsius scripta legamus nos pii, inde posse nos intelligere quae fuerit ipsius intelligentia in mysterio pietatis.

Alterum hinc consequitur, sacras literas esse cuique legendas. Scribit enim ad totam Ecclesiam & ad singulos fideles: & monet, ut legant quae scripsit, fore enim ut intelligant. Ergo hac etiam in parte turpiter peccant, qui cavent ne scilicet Biblia ab omnibus legantur.

v. 5. Quod aliis aetatibus non innotuit filiis hominum, ut nunc revelatum est sanctis Apostolis & Prophetis per Spiritum.

Quodnam sit illud mysterium, quod propriè fuit omnibus ante Christum ignotum, etiam Angelis ipsis, declaravimus: Imò ipse Apostolus explicat, ver. 6.

Caeterùm de toto etiam mysterio pietatis Christianae idem Apostolus scribit Rom. ultimo: *Temporibus aeternis fuisse tacitum:* intelligitur ergo hoc comparativè, ut suprà explicuimus: quia ante Christum & paucioribus & obscuriùs fuit revelatum ac patefactum, quàm post Christum. Sicut & illud, *Spiritus nondum erat natus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* Joh. 7. comparativè intelligendum est: nempe quoad copiàm majorem & quoad multitudinem hominum. Nam ante etiam glorificationem Spiritum acceperant Apostoli & aliquot alii, sed pauci & non tanta copia quanta post glorificationem.

1. Observandum igitur incrementum cognitionis Dei. Ante adventum Christi cognitus quidem ipse fuit à multis, sed obscurè: post adventum à pluribus & clariùs: post glorificationem à multò pluribus & multò clariùs: sed in coelo Electi omnes videbunt facie ad faciem. Res enim divinae in Electis semper augentur, quia non ex meritis nostris sed ex gratia.

2. Probat Apostolus suam doctrinam esse certum Dei verbum, quia revelata sibi & Apostolis ac Prophetis fuit per Spiritum. At Pontificii hoc eodem utuntur argumento ad probandum ea, quae in conciliis definierunt, esse à Deo, quia revelata (inquiunt) sunt à Spiritu Sancto Patribus, &c. *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Eodem abutuntur Anabaptistae.

Resp. Non inficiamur, quin praeter Scripturas sacras nonnulla ab Apostolis in Ecclesiis instituta fuerint, & ad nos usque quasi per manus tradita pervenerint. Non negamus etiam, quin multa Patres in Conciliis defi-

definierint & ordinarint pro varia temporum necessitate, eáque non sine aliquo Spiritus Sancti afflatu. Verùm hîc discrimen non parvum faciendum & retinendum est. Quaecunque ab Apostolis ipsis instituta fuerunt, ea omnia à Spiritu Sancto fuisse omnino credimus & confitemur: quanquam alia ad tempus duntaxat servari propter caritatem voluerunt, ut quae constituerunt in concilio Hierosolimitano de abstinentia à suffulcato & idolothytis: alia verò non ita, sed ut in Ecclesia perpetuò, quoad ejus fieri posset, retinerentur.

Ad Patrum verò traditiones quod attinet, eae non unius omnes sunt generis, sed aliae cum sacris literis consentaneae sunt, aliae dissentaneae, aliae nec consentaneae nec dissentaneae. Quae consentaneae sunt, eas omnes tanquam divinas & verè Apostolicas retinendas & servandas esse cum omnibus Sanctis credimus & profitemur. Quae dissentaneae sunt, eas nullo modo admittendas esse cum omnibus piis praedicamus. Si verò neque consentaneae sint neque dissentaneae, eas modò in sua relinquantur natura, & ne aut propter adjectam superstitionem, aut propter injectum conscientiis laqueum, fiant dissentaneae, faciant verò potiùs aut ad ordinem aut ad honestum decorum, eóque ad aliquam Ecclesiae aedificationem: eas, inquam, tum propter caritatem, tum etiam propter antiquitatis reverentiam, servandas esse docemus, sicut contrà omnem ἀταξίαν & omnem temerarium sanctorum Patrum contemptum damnamus. Ita quandonam Patres in Conciliis vel usi vel abusi sint verbis illis Apostolicis, visum est Spiritui Sancto & nobis, ex subjecta materia, hoc est ex iis quae definierunt, judicari potest & debet. Neque enim de illis, sicut de Apostolis, idem affirmare simpliciter possumus eos semper & in omnibus suis decretis à Spiritu Sancto actos fuisse. Atque haec ad Pontificios quod attinet satis sunto.

Hinc etiam ad revelationes Anabaptistarum quid respondendum sit, liquet: praesertim cum ipsi se penitus ab Ecclesiis & Pontificiorum & nostris separent, Patres rejiciant, Concilia contemnant, & loco verbi Dei meros sequantur ἐνθυσιασμοὺς.

Si quid igitur revelationum congruit cum Apostolicis & Propheticis revelationibus: illud agnoscamus esse à Spiritu Sancto. Si non congruat, tales revelationes minimè probandas esse docemus atque evincimus.

V. 6. *Gentes,* scilicet, *esse cohaeredes & concorpores & conparticipes promissionis ejus in Christo per Evangelium.*

1. Observandum primùm hîc est progressus pietatis & incrementum beneficiorum Dei in electis: per Evangelium, ait, nos in Christo factos esse participes promissionis, concorpores, & cohaeredes. Ab ultimo enim beneficio, quod est possessio coelestis haereditatis, progreditur descendítque ad alia inferiora & ad medium usque, quo haec omnia nobis communicantur, nempe ad Evangelium. Per Evangelium enim, nempe fide receptum, inserimur Christo: insiti, fimus participes promissionis, quia Deus fit noster Deus & benedicimur in semine Christo, remissionem peccatorum consequuti: inde fimus concorpores veráque ac viva Ecclesiae membra, cujus caput est Christus. Ordine enim naturae primùm inserimur capiti: inde fit, ut cum reliquis etiam membris sanctis communionem habeamus, quam jam habemus cum capite: hinc postremò sequitur aeterna haereditas. Sed initium fit ab auditu Evangelii, ex auditu autem nascitur fides.

Ante

Ante etiam in capite 2. similem gratiae progressum observare possumus. Primò enim dixit, *Gratia Dei per fidem nos factos esse salvos.* Deinde, *in Christo Jesu propinquos esse factos, qui eramus longè:* Tertiò, *factos esse cives regni Dei, ac concives sanctorum:* Quartò, quod etiam majus est, *esse factos Dei domesticos:* nunc, *id est*, hoc in loco factos esse haeredes & concorpores, quia conparticipes promissionis in Christo, per Evangelium nimirum fide apprehensum. Gratia igitur Dei in Electis indies magis ac magis sese exerit per effecta.

7. In hoc praeterea versu videmus, quàm diversum sit judicium Spiritus Dei, & carnis prudentiaeque nostrae humanae. *Judicium & doctrina Spiritus est, nos per Evangelium fide*, scilicet, *receptum* (fidem enim exigit) *fieri cohaeredes, concorpores, consortes promissionis, salutis in Christo promissae & oblatae*, sicut hîc manifestè docet Apostolus. At Judaei judicabant non posse quempiam nisi per circumcisionem inseri in Ecclesiam, & sine operibus legis non servari. Quàm sint haec contraria nemo non videt.

Spiritus res spirituales spectat & proponit, uti est fides: humana hypocrisis res externas, ut circumcisionem. Etsi enim eam mandaverat Deus, in ea tamen non consistebat salus. Signaculum tantùm erat justitiae fidei.

Non sunt igitur externa quidem contemnenda, quae, scilicet, à Deo praecipiuntur & dum praecipiuntur; uti fuit ante Christum circumcisio, uti est aqua baptismi, uti est panis & vinum in coena. Sed interim salus in externis posita non est, sed in internis, in fide, in regeneratione spirituali, in circumcisione cordis, & in spirituali carnis Christi manducatione. *Non qui in manifesto Judaeus est, is est* Judaeus, *sed qui in occulto: neque quae in carne est circumcisio, sed quae in Spiritu.* Roman.

Si igitur (ut hîc docet Paulus) per Evangelium (fide scilicet receptum) facti sumus concorpores veráque Ecclesiae membra: cur alii, quia non admittimus idolomanias, idololatrias, *quia non colimus statuas, quia non adoramus ossa mortuorum* & alia hujus generis multa externa non probamus: alii verò, quia non manducamus dentibus corpus Christi, nos ab Ecclesia separant, & concorpores esse negant? Nobis satis esse debet, quòd simus concorpores cum Ecclesia sanctorum, Prophetarum, Apostolorum & omnium verè fidelium, propter eandem fidem, spem & charitatem.

Valeant igitur cum suis superstitionibus & falsis dogmatibus hypocritae. Hoc verò pro axiomate retineamus, quod non est revelatum sanctis Apostolis & Prophetis illud non pertinere ad mysterium pietatis. Et per Evangelium fide receptum nos fieri membra Christi & concorpores Ecclesiae ipsius.

v. 7. *Cujus*, scilicet *sum minister, secundum donum gratiae Dei, quod datum est mihi, secundum efficacitatem potentiae ipsius.*

Observanda sunt haec omnia, quae de se facto Evangelii ministro tradit, & quae omnia ex gratia Dei proficiscuntur: quoniam haec non fuerunt propria Apostoli Pauli, sed communia sunt omnium legitimorum & verorum Christi ministrorum.

Primum ex Gratia, seu per Gratiam Dei vocantur ad ministerium: ait enim se factum esse ministrum ex gratia Dei. Id quod ad Gal. & ad Tim. demonstrat:

strat: quia fuerat persecutor Christi & Ecclesiae doctrinaeque Evangelicae. Quid igitur minus Paulus commeruit, quam ut fieret minister & Apostolus Christi? Quare singulare Dei donum est, vocari à Deo ad ministerium. Nam hanc gratiam multa etiam alia dona consequuntur, ut explicat.

Secundò igitur, qui à Deo fiunt ministri Evangelii, iis etiam tantùm cognitionis Evangelii & coelestis doctrinae donatur, quantum satis sit ad ipsorum & suarum Ecclesiarum salutem. Hoc antea declaravit, dicendo, sibi notum factum esse mysterium per revelationem. Et infrà ait, revelatum esse Apostolis & Prophetis per Spiritum. Certè, sine opera Spiritus Sancti nemo vera Evangelii cognitione donatur: ac proindè, qui non tenent Evangelii summam, hos ego nullo modo ad ministerium vocatos fuisse à Deo dixero.

Tertiò, praeter cognitionem Evangelii, aliis quoque donis ad Evangelium fructuose praedicandum donantur; veluti est facultas rectè & dexterè sacras literas interpretandi, & ut loquitur ad Tim. ὀρθοτομεῖν: cognitio item linguarum, zelus gloriae Dei, modestia, prudentia, comitas, vitae honestas & alia hujus generis: de quibus 1. ad Timoth. 3. & Tit. 1. & alibi. Caeterum dona haec in aliis plura atque majora, in aliis pauciora & minora collocat Deus, pro ipsiùs beneplacito, & prout ad plura majoráque officia praestanda uti Dominus decrevit alicujus opera. Quia enim constituerat uti opera Pauli ad res maximas, ad conversionem scilicet Gentium per totum orbem terrarum; ideò videmus eum etiam maximis donis munitum fuisse à Domino. Apostolus ait, κατά τὴν δωρεάν mihi datam.

Quartò, Dominus etiam talibus Ministris adest & in ministerio cooperatur, pérque Spiritum suum efficacem reddit illorum operam erga Electos. Ideò ait κατὰ τὴν ἐνέργειαν potentiae ipsius. Addit & vim operandi miracula, cùm opus est. Haec enim etiam significantur nomine ἐνέργειας, potentiae Dei. Fuit haec necessaria initio nascentis Ecclesiae ad confirmandum Evangelium: sed nunc eo confirmato miraculis opus non est. Proinde, quod dicit Paulus de Antichristo, eum venturum in signis & prodigiis mendacibus: verè declarabit se esse Antichristum & novam adferre doctrinam, quae miraculis ut confirmetur opus habeat. Hoc & nos vidimus nostro seculo, si quae nova idololatria fuit populis persuadenda, si quae nova superstitio, nova haeresis confirmanda erat, Satan adhibuit falsa miracula, imposturas, fascinationes. Ad Evangelii praedicationem miraculis non est opus: quia doctrinam diu jam confirmatam praedicamus. Miracula, quae Deus per nos edit, sunt populorum conversiones ad Christum, mutatio vitae, constantia in cruce propter Evangelium. Ergo, quod adversarii inde concludunt, nos non esse veros ministros Evangelii, quia miracula non edimus, non causam pro causa adferunt. Neque enim vis edendi miracula efficit, ut quis sit verus minister Evangelii: quando etiam Antichristum ait Paulus editurum miracula: & vis haec perpetua esse non debuit in Ecclesia. Sed quaenam verum esse Christi ministrum declarant? Ea, quae antè diximus: vocatio à Deo, sive immediata sive per homines: cognitio Evangelii, dona Spiritus Sancti, efficacitas potentiae Dei in ministerio, quae certè in nostris pastoribus loculentissimè manifestata est, & quotidie manifestatur.

V.

v. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia, ut inter Gentes evangelizem impervestigabiles divitias Christi.

1. Hîc, praeter ea quae dicta sunt, nihil habeo quod peculiariter observarim: nisi illud quod ait de impervestigabilibus divitiis Christi, quae per Evangelium non solum annunciantur, sed etiam communicantur, nempe credentibus. Si quis igitur credat Evangelio, annon omnes divitias Christi consequitur? Circumcisio ergo, aut alia externa Sacramenta, per se necessaria, non sunt ad remissionem peccatorum, eóque nec ad vitam aeternam consequendam. Dixi per se: quia si contemnantur dum praecipiuntur, contemnitur Deus illorum autor. Qui autem Deum contemnit, salutem aeternam consequi non potest.

2. Illud quoque observandum est in hac dictione. Si quis propter Evangelium ad summam redigatur paupertatem, eum tamen esse omnium ditissimum: quia propter divitias Christi contempsit divitias mundi.

Item, licet se minimum sanctorum vocet: non tamen se è sanctorum numero excludit. Ergo, licet agnoscamus nos esse peccatores, non ideò tamen nos è numero sanctorum & vera Ecclesia separamus: imò hac vera & ingenua confessione declaratur nos ad sanctorum communionem pertinere.

v. 9. Et ut illuminem omnes quae sit communio mysterii, quod erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia condidit per Jesum Christum.

1. Observandum est hîc, quòd ait, *ut illuminem omnes:* nempe actiones Dei proprias ministris suis communicari. Certè remittere peccata proprium Dei est: datur tamen ministris *Joh.* 20. Quorum remiseritis peccata, &c. Regenerare homines proprium Dei est. Ait tamen Paulus: Ego vos genui per Evangelium. Item, ligare & solvere Dei est. Sic illuminare proprium Dei est: ait tamen Paulus, sibi datam esse gratiam illuminandi omnes. Quid ita? Quia Deus per illum hoc faciebat. Observanda igitur est dignitas ministerii & ministrorum: ac proinde utrumque est suo honore afficiendum. Peccatur hac in parte bifariam, per excessum scilicet & per defectum. Pontificii nimium tribuunt ministerio ejúsque ministris. Anabaptistae nihil. Illi enim volunt omnia, quae ad salutem faciunt, à sacerdotibus nos expectare, ita ut, nisi illi te absolvant, *(exempli causa)* non sis absolutus. Isti verò ministerium prorsus contemnunt. Proinde non ferunt, ut dicatur *minister regenerare, remittere peccata, servare homines,* quod tamen ait Paulus Timotheo & alibi. Nos igitur regia via debemus incedere: ea autem haec est, ut sciamus Deum operari per ministros salutem nostram: sed non tamen illis alligari. *Quare remissio peccatorum, regeneratio, mentis illuminatio, salus nostra* ita à Deo est, ut tamen etiam à ministris sit, sed longè diversa ratione: quia à Deo ita est, tanquam à causa efficiente, ut sine eo esse non possit: à ministris autem ita est, ut etiam absque ipsis servari possimus. Quod verò de ministris dicimus, idem de Verbo & Sacramentis intelligimus.

2. Observandum etiam hîc est aliud argumentum. Deus omnia condidit per Jesum Christum. Ergo etiam per eundem omnia recondit & servat. Hoc idem concludere voluit Johan. cap. I. Ubi primò conditorem omnium facit Christum. Deinde omnium etiam servatorem, omnium, inquam, credentium. Sic 2. *Corinth.* 4. Deus, qui de tenebris jussit lucem splendescere, is splenduit in cor-

dibus

dibus vestris. Sic ad *Rom.* 3. Numquid Deus Judaeorum tantum est Deus? annon etiam Gentium? Dicta haec non ita intelligenda sunt, ut Origenes voluit, quasi Deus ideò omnes ad aeternam vitam servat, quia omnes creavit. Sed ita, quòd scil. Deus omnium creator ex omnibus etiam hominum ordinibus aliquos servet: ut declaret, se tam horum quàm illorum, id est, omnium esse Deum & creatorem. Hinc est, quod Paulus saepè repetit, *In Christo non est Judaeus neque Graecus: non est masculus neque foemina.* Gal. 5. Col. 3. Discámus igitur, cùm Deus per Christum omnia condiderit, omnes etiam posse servari: eóque neminem esse contemnendum & de nemine desperandum.

v. 10. *Ut nota fiat nunc principatibus & potestatibus in coelis per Ecclesiam* πολυποίκιλος *sapientia Dei.*

Quid consecutum sit Evangelii ad Gentes praedicationem, declarat Apostolus: nempe quòd non solùm homines in terris audierunt, quanta sit Dei bonitas & φιλανθρωπία: verum etiam Angeli, qui in coelis sunt, & quidem primores etiam, ut principatus & potestates, videntes ac contemplantes corpus hoc Ecclesiae, ex Gentibus incircumcisis & ex Judaeis circumcisis, omnibus verò eodem sanguine redemptis & servatis & haeredibus regni coelestis effectis collectum, quibuscum & omnes Angeli in sempiternum victuri sunt: *in hoc corpore viderunt tanquam in speculo, quàm magna, quàm admirabilis, & quàm multiplex & incomprehensibilis sit Dei sapientia atque bonitas.*

1. Observanda igitur est vis & praestantia Evangelii: quia ad illius praedicationem factum est, ut non solùm homines intellexerint, quanta fuerit & sit Dei erga se bonitas, & ex hac cognitione servati sint: verùm etiam Angeli noverint, quod antè non potuerunt cognoscere, quamvis semper viderint faciem Dei & in ipsius semper steterint conspectu. Ergo agnoscamus quid reiiciant, qui rejiciunt Evangelium.

2. Observanda quoque est illa particula νῦν, nunc nota facta est Angelis illa πολυποίκιλος sapientia. Ergo antea erat ignota, quamvis semper (ut diximus) viderint faciem Patris. Hinc colligimus, quàm sit elumbe illud Gregorii argumentum, Sanctos in coelo omnia, quae in terris fiunt, videre, quia Deum omnia videntem vident. *Quomodo* (inquit) *non omnia vident, qui videntem omnia vident?* Annon etiam Angeli semper viderunt Deum omnia videntem? Ignorarunt tamen hanc sapientiam, quam in servandis gentibus patefecit. Item de die judicii Christus ait, illum quoque ab Angelis ignorari. Etsi igitur & Angeli & beati alii Spiritus vident in coelo faciem Patris: non vident tamen in eo, nisi quae vult ab ipsis videri: sed quae vult esse in seipso secreta, ea videre quomodo illi possunt? Quomodo autem quis probare poterit, hanc esse Dei voluntatem, ut Sancti in coelo videant quae hîc à nobis fiunt & dicuntur? Apud Jes. Israelitae invocant Deum & ut se exaudiat precantur: addita hac ratione, *quod Abraham ignoret nos & Israel nesciat*, Jes. 63. 16. Possunt igitur & Angeli & beati omnes aliquid novi quotidie nosse & in rerum cognitione proficere.

3. Illud quoque, quod de sapientia Dei multivaria dicit Apostolus, praetereundum non est. Duplicem sapientiam patefecit hucusque Deus: unam in mundi

mundi creatione, alteram in ejus redemtione, & praesertim in Gentium ad Christum vocatione & cum Israelitis consociatione sub uno capite Christo. De prima est illud: *Omnia in sapientia fecisti Domine.* Et 1. Corinth. 1. *Et quia non novit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Hanc primam sapientiam norunt Angeli ab initio & laudarunt, de qua Job 38. Haec nusquam vocatur πολυποίκιλος. In creatione enim mundi non videmus *nisi simplicem Dei potentiam, simplicem voluntatem & simplicem sapientiam.* Simpliciter dixit esto & fuit, fiat & factum est. At in redemptione mirabiles & quasi pugnantes inter se rationes servatas à Domino fuisse videmus: quemadmodum ostendimus, cum declaravimus, quae sit ista πολυποίκιλος sapientia, & in quibus potissimum rebus consistat. Deus ab aeterno elegit nos quoque Gentiles ad aeternam vitam in Christo: creatos tamen sivit cum reprobis omnibus peccare & mancipia fieri Satanae: promissionem facit salutis per semen mulieris Adae & posteris ejus. Et interim paulò pòst elegit Abraham & semen ejus, reliquis rejectis. Solis Israelitis se Deum ipsorum esse declarat, solis dat legem & promissiones: nos Gentiles execratur: atque ut uno verbo dicam cum Apostolo, Eramus Gentes in carne, eramus preputium, mortui in peccatis, ambulantes in iniquitatibus juxta seculum & mores mundi hujus: juxta voluntatem principis mundi, id est, Satanae: sine Christo, à Republ. Israelis alienati, extranei à pactis promissionis, spem nullam habentes, & denique ἄθεοι in mundo. *Quis unquam cogitasset nos curae esse Deo? nos esse ex ejus electis? nos servatum iri, futuros filios Dei, & cùm Israel cohaeredes, concorpores & consortes promissionis? Imò quis putasset Judaeos excisum iri, ut nos insereremur?* Et tamen ita factum est. Quanta igitur est sapientia, bonitas, & φιλανθρωπία Dei in redemptione mundi, & praesertim in salute Gentium patefacta? Sed nos hinc cogitemus, quàm admirabilior apparitura sit haec Dei sapientia: *cùm à mortuis excitati visuri sumus Deum facie ad faciem, cùm Deus erit omnia in omnibus.* Est illa nobis abscondita, *quia nec oculis vidit nec auris audivit, &c.;* sed ab effectis tunc revelabitur & reipsa nobis patefiet, qualis & quanta fuerit Dei sapientia in decreto, quod de nobis servandis & glorificandis in Christo fecerat ante mundi constitutionem.

v. 11. Secundùm propositum aeternum, quod constituit in Christo Jesu Domino nostro.

Servit hic versus tum omnibus, quae jam dicta sunt, tum maximè ei, quod proximo versu dixit de multivaria sapientia Dei.

Primùm igitur docet Apostolus, quaecunque narravit de beneficio redemptionis Christianae, de hujus beneficii dispensatione, & cum Israelitis consociatione, salutísque per solum fidem participatione, omnia, inquam, haec ita facta esse, sicut in aeterno Dei consilio decretum ac definitum fuerat, ut fierent: ac proinde tacitè confirmat salutem non ex operibus nostris, neque ex circumcisione, sed ex sola Dei gratia propositóque Dei aeterno pendere. Hoc est unum.

Deinde hinc consequenter explicat, quàm πολυποίκιλος sit haec Dei sapientia, qua mundum redemit, Gentésque speciatim Christo copulavit, & in unum corpus cum piis Israelitis conjunxit. Si enim omnes illae multae variae & pugnantes inter se admirabilésque rationes, quibus usus est Deus in redimendis

dis electis & Christo conjungendis, ut supra declaravimus: si omnes, inquam, hae rationes jam inde ab aeterno definitae fuerunt in consilio divino: id quod propriè ad sapientiam pertinet (sapientis enim est omnia ordinare); sequitur admirabilem igitur & verè πολυποίκιλον fuisse aeternam Dei sapientam, quae cùm esset in Deo abscondita, postea ab effectis patefacta est, non solùm nobis, sed etiam Angelis. Hoc est alterum.

Hinc etiam sequitur, eam sapientiam clarius apparituram quam sit admirabilis: nempe cùm omnia, quae in illo sapientissimo consilio fuerunt definita, ultimum acceperint complementum: quando ab effectis manifesta fit & cognoscitur haec Dei sapientia. Quod dico illustratur historia Josephi. Quam multa, quam varia, quam insperata praecesserunt ipsius in Egypto glorificationem? quam pugnantia & contraria omnia visa sunt tantae futurae exaltationi? Per quos anfractus ad eam pervenit exaltationem? Omnia tamen fuerunt ad illam in aeterno & sapientissimo Dei consilio ordinata: & omnes Josephi calamitates servierunt illius exaltationi. Annon igitur fuit πολυποίκιλος Dei sapientia in Josepho exaltando? Fuit certè: sed ignota erat; post exaltationem autem ab effectis fuit patefacta. *Idem cogitandum nobis est de sapientia Dei in nostri omnium per Christum redemptione, vocatione, justificatione, resurrectione & glorificatione.* Est enim status iste noster nostráque haec misera conditio in gloriosissimam, & quae omnem superat captum, permutanda: ita tamen, ut prius oporteat separari animam à corpore & corpora putrefieri, quam glorificemur; quae glorificatio, qualis ac quanta sit, nec dici nec cogitari potest. Et haec omnia facta sunt, fiunt & fient secundum propositum Dei in Christo Jesu, Domino nostro. Ergo tunc plenè apparebit & illustris fiet haec πολυποίκιλος sapientia. Et credo ad hanc πολυποίκιλον sapientiam pertinere, quod cùm ante unum tantum populum servaret in Palaestina, postea varias Gentes è variis regionibus ad salutis participationem vocarit atque collegerit.

v. 12. *In quo habemus παῤῥησιαν & adductionem in fiducia per fidem ipsius.*

Hîc summam habemus beneficii, quod nos Gentiles per praedicationem, seu per ministerium Pauli & per Evangelium ab illo praedicatum, accepimus à Deo pro ipsius gratia, sine circumcisione sinéque operibus legis. Amplificatio autem hujus beneficii ex toto superiori contextu pendet. Proinde hîc propriè habemus quartum argumentum, quo Paulus ad Ephesios in doctrina Evangelii fidéque confirmanda utitur. Breviter explico beneficium, deinde illius amplificationem ex superioribus versibus ostendam.

Principio illud resumendum est, quod habuimus cap. 2. v. 12. de statu Ephesiorum, cùm adhuc essent infideles, Evangeliúmque nondum audivissent. Qualésnam tum erant?

1. Ait, *Eratis sine Christo* 2. *Abalienati à Repub. Israelis.* 3. *Extranei à pactis promissionis.* 4. *Spem non habentes.* 5. *Sine Deo in Mundo.* Ex collatione horum cum iis, quae jam narrat de beneficio accepto per Evangelium à Paulo praedicatum & ab ipsis auditum, luculentius apparet beneficii magnitudo: si praesertim suppleatur ex aliis versibus, ut ex v. 16., id quod in hoc v. 12. desiderari posse videtur. Age ergo. Primum tum erant sine Christo: hîc ait, jam eos esse in Christo, *In quo* (Christo) *habemus &c.* 2. Erant tunc abalienati

à

à Repub. Israelis: hîc cùm doceat nos omnes esse in Christo, tum Gentes tum Judaeos, (ait enim *in quo habemus*, nempe vos & nos simul) concludit manifestè, quòd supra v. 6. expressè dixerat, nos scilicet factos esse concorpores. 3. Tunc erant extranei à pactis promissionis: nunc itidem concludit ex eodem principio id quod dixerat v. 6., eos factos esse consortes promissionis: quia in Christo omnes promissiones habent suum Etiam & Amen. Ergo si omnes sumus in Christo, omnes etiam facti sumus participes promissionis. Quae enim fuit promissio? *Ero Deus tuus.* Atqui habemus in Christo accessum ad Deum: factus igitur est noster Deus. 4. Tunc non habebant spem salutis: nunc, inquit, nos habere fiduciam, quae est ex fide. Denique, tunc erant sine Deo: nunc habent accessum ad Deum, & παῤῥησιαν ad illum. En beneficium, quod ex auditu Evangelii per Paulum praedicati consecuti sunt Ephesii, & simul nos omnes.

Est autem hic *ordo salutis*, quem Apostolus innuit in hoc versu, observandus. *Primò*, Paulus electus à Christo in Apostolum Gentium, & solenni caeremonia ex mandato Spiritus Sancti missus ab Ecclesia, venit ad Gentiles cum alios tum etiam Ephesios, & Evangelium illis praedicat, cujus summa est: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnes, qui credunt in eum, non pereant, sed habeant vitam aeternam.* Joh. 3. 16. Initium igitur habet à praedicatione Evangelii salus nostra. *Secundò*, Dum Ephesii audiunt Evangelium Spiritus Sancti, donat eos fide, quâ Evangelio credant: *fides enim est ex auditu.* Rom. 10. Hujus fidei mentionem hîc facit, cùm ait, διὰ τῆς πιστέως ἀυτοῦ. *Tertiò*, Per hanc fidem opera Spiritus Sancti inseruntur Christo, in quem crediderunt. Et hoc est quod ait, *In quo* (Christo insiti & incorporati) *habemus, &c.* *Quartò*, Insiti in Christo, unúmque cum illo effecti, vident sibi propter eum aditum & accessum patere ad Patrem. *Quintò*, Fiduciam itaque concipiunt adeundi ad Patrem eúmque liberè invocandi & quicquid volunt petendi; & hoc est quod ait, *Habemus παῤῥησίαν & accessum cum fiducia*, nempe ad Deum Patrem, in Christo scilicet: de quo accessu seu aditione antè diximus, cap. 2. Cui autem non minùs quàm unigenito & primogenito Jesu Christo familiaris patet accessus ad Deum Patrem, quid hoc homine felicius? Hinc enim omnia pendent bona, & hoc significat illa promissio, *Ero Deus tuus &c.* Hoc beneficium consecuti sunt Ephesii & nos itidem omnes. Undénam vero? Ex eo, quòd unum facti sumus cum Christo, eóque & cum tota Ecclesia sanctorum. Unde verò haec unio? Ex Spiritu Sancto, quem accipimus credentes & ex fide. Unde autem fides? Ex auditu Evangelii. A quo verò vel à quibus audivimus Evangelium? Ab Apostolis. Ephesii certè à Paulo. Incredibile igitur & inaestimabile est beneficium, quod Ephesii & aliae Gentes à Christo acceperunt per Paulum, pérque Evangelium ab ipso praedicatum. Ita videmus, quomodo Paulus paucissimis hisce verbis, *In quo* (Christo) *habemus παῤῥησιαν & accessum* (ad Deum Patrem) *cum fiducia per fidem ejus,* id est, in eum: totum beneficium Christi, hoc est, summam felicitatem complexus sit, quam per doctrinam Evangelii consequimur. Annon igitur in doctrina hac Evangelii constanter perseverandum est?

Porrò ad hujusce beneficii amplificationem pertinet, quod suprà in v. 1. dixerat, se hujusce doctrinae causa, quae Ephesiis summam attulit felicitatem,

in carcere & in catena esse, & quòd etiam in ipsorum salutem afflictiones has suas fortiter ferat, ut post explicat ver. 13. Debere igitur & ipsos constantes permanere in tam vera utilíque doctrina. Ad eandem amplificationem facit, quod subjicit vers. 2., se fuisse à Christo delectum, ut esset ipsorum Apostolus: sibi concreditam fuisse doctrinam de Gratia Dei, ut eam Ephesiis & aliis Gentibus dispensaret. Item, quae in ver. 3. 4. & 5., quòd doctrinam hanc pietatis, cùm per se sit mysteriorum plena eáque abscondita mundo, sibi tamen Deus eam revelârit per suum Spiritum, non tam sua quam ipsorum Ephesiorum aliarúmque Gentium causa: atque ita revelarit, ut eam optimè intelligat, quemadmodum ipsimet Ephesii testes esse possunt, si, quae modò scripsit, attentè legant: ac proinde se non tradidisse illis doctrinam incertam aut incognitam. Eodem spectant, quae de summa Evangelii ad Gentes recitat v. 6. *Gentes omnes, si credant in Christum, esse cum Israele cohaeredes, concorpores, consortésque promissionum Christi.* Cur igitur in tali doctrina non persistant, per quam tam magna acceperunt beneficia? Quae item repetit in ver. 7. & 8., tum de suo ministerio, tum de doctrina Evangelii quam praedicavit inter Gentes, ad ejusdem beneficii amplificationem pertinent. Se enim per gratiam factum esse ministrum Evangelii propter ipsas Gentes: agnoscant igitur & ipsi gratiam hanc, Deum quoque sibi efficaciter adfuisse cùm praedicaret inter Gentes. Quorsum? In ipsorum salutem. Et quid praedicavit? quid dispensavit Gentibus? *Inpervestigabiles divitias Christi.* O singularem igitur veréque incomparabilem gratiam, quae nobis Gentibus facta est! Quid? quòd Deus usus est Pauli ministerio, non solum ad praedicandas has divitias & ministeria sua, verùm etiam ad illorum mentes illuminandas, ut cognoscere possent quae ab ipso praedicabantur, & quaenam sit communio mysterii illius, quod ab aeterno absconditum in Deo nunc tandem revelatum est? vers. 9. Quid quod ministerio Pauli factum est, ut Angeli nôrint quae ignorabant de Gentium salute & incorporatione cum Christo & cum ejus Ecclesia? vers. 10. Innuit autem Angelos beneficium hoc non solùm admirari, sed etiam gratulari Gentibus juxta illud Christi, *Angeli gaudent super uno peccatore poenitentiam agente:* Luc. 15.; & quidem omnia haec esse facta & beneficium hoc collatum in Gentes non temerè nec fortuito, sed secundùm propositum Dei aeternum & sapientissimum. Quantum igitur est illud beneficium, ô Ephesii? quod per meum ministerium & ex doctrina Evangelii, per me ad vos allata, accepistis? Quid sequitur? Futuros vos non solùm ingratos in Deum, verum etiam in vosmet ipsos iniquissimos, insanos, caecos, si à doctrina recepta, quae tantam vobis attulit salutem, deficiatis, aut etiam de illa propter meas afflictiones dubitetis.

Nunc tenemus explicationem illorum quatuor argumentorum, quibus, ut initio diximus, confirmare voluit Apostolus Ephesios, & nos simul cum illis, in vera & Apostolica doctrina, eóque in fide Christi. Quare in eundem finem observanda & memoria retinenda nobis sunt.

In hoc postremo ver. 12. nihil praeterea video, quod longa observatione opus habeat: nisi quod habemus hîc:

Primo quidem manifestum discrimen inter fidem & fiduciam: cùm fiducia effectum sit fidei. Fides enim immediatè respicit verbum Dei, fiducia verò ipsum

sum Deum, cui ideo fidimus, quia ejus promissionibus tanquam veris credimus. Ex fiducia porrò nascitur *παῤῥησια*, quae facultas est qua liberè quicquid volumus loquimur. Est enim *παῤῥησια*, non à *παρὰ* & *ῥησία*, sed à *πᾶν* & *ῥησία*, quasi *πανῥησια*, quia significat libertatem dicendi quidvis, etiam quae saepenumerò dicenda non sunt. Ex eadem fiducia nascitur accessus, seu animus accedendi ad Deum eúmque liberè invocandi in Christo & per Christum, cui nos insitos esse sentimus. Cùm autem fiducia effectus sit fidei, fit ut etiam tum animus accedendi ad Deum tum *παῤῥησία* in ejus invocatione pendere dicendae sint ex fide.

Secundò, hinc colligimus ad quémnam invocandum nos impellat fides, & ad quémnam etiam nos adducat Christus Mediator: nimirum ad Deum, non autem ad Angelos vel ad sanctos demortuos. Et certum est, qui verè Christi sunt & in Christo, eos non accedere ad sanctos demortuos, sed ad Deum vivum. Ait enim Apostolus in Christo nos habere accessum ad Deum. Qui igitur ad alios quàm ad Deum habent accessum, ii extra Christum hoc faciunt, non in Christo; eóque Christo factum hoc non probatur.

ALTERA PARS

Capitis Tertii.

Constat haec pars primùm adhortatione ad constantiam in fide & doctrina Christi: quae adhortatio ex superioribus quidem concluditur, sed subjectis aliis quoque rationibus confirmatur. Deinde constat precatione ad Patrem, ut in summa is eos confirmet in vera pietate, hoc est, in fide cum primis & in caritate. Denique constat *δοξολογία*, quae etiam ad propositum scopum pertinet, & ab argumento, quod tractat Apostolus, non aliena est.

13. *Quapropter peto* (rogo) *ne deficiatis* (segnescatis) *ob afflictiones meas pro vobis.*

Syriacus sensum longè diversum habet. Sic enim legit. *Quapropter peto, ut non anxius mihi sit* (spiritus) *ob afflictiones meas, quae sunt pro vobis. Nam haec est gloria vestra.* Quasi dicat, Peto & rogo Deum, ne ego deficiam, sed constantem me efficiat. Mea enim constantia est gloria vestra.

Ratio hujus diversitatis est, quia illud *μὴ ἐκκακεῖν* positum est absolutè, non addita particula *ὑμᾶς*, vos. Ideò Syriacus & alii retulerunt ad personam Pauli, & verbo *αἰτοῦμαι*, obsecro, subintelligunt Deum; ut sit sensus: Quapropter rogo Dominum, ne sinat me deficere & anxium mihi esse spiritum ob afflictiones meas, quas patior pro vobis. Et Hieronymus hunc etiam sensum recitat. Sed constat ex praecedentibus & subsequentibus, Apostolum hortari Ephesios, ne ipsi deficiant, vel (ut alii interpretantur) defatigentur & segnescant, aut languescant in studio pietatis propter afflictiones.

Scholia illud *ἐκκακεῖν* accipiunt, ut non solùm significet deficere & succumbere, sed etiam turbari *θορυβεῖσθαι*. Et illud *ὑπὲρ ὑμῶν* interpretantur pro vobis, & propter vos. Ideò sic habent, *Διὸ αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν, μηδὲ θορυβεῖσθαι ἐν ταῖς θλίψεσί μου, αἵτινες ὑπὲρ ὑμῶν καὶ δι' ὑμᾶς εἰσί μου.* Sensus igitur perspicuus est.

Διότι,

Διότι, Propterea, id est, propter ea, quae hactenus dixi de maximo & incomparabili beneficio, quod à Christo, per doctrinam à me ad vos allatam pérque meum ministerium, accepistis: αἰτοῦμαι, id est, *peto & rogo*, nempe ὑμᾶσ: μὴ ἐκκακεῖν, id est, *neque* deficiatis (scilicet in doctrina) *neque* etiam *turbemini*, ita ut de illa dubitetis, aut etiam in studio pietatis languidiores fiatis ἐν ταῖς θλίψεσι μοῦ. Vel Hebraismus est, id est *per & propter afflictiones meas:* Vel simpliciter, ne succumbatis in afflictionibus meis ὑπερ ὑμῶν: id est, quas patior *propter vos* & tolero pro vobis, id est, in salutem vestram: ἥτις ἐστὶ δόξα ὑμῶν. Illud ἥτις referri potest primò ad θλίψεις Pauli: & tunc ἥτις fuerit pro αἵτινες, scilicet, θλίψεις, & ἐστι pro εἰσὶ. Erat enim gloriosius Ephesiis, quòd haberent ministrum suum vincula propter Christum perferentem forti animo.

Secundo referri potest (id quod magis placet) ad illud μὴ ὑμᾶς ἐκκακεὶν. Haec enim erat gloria Ephesiorum, si construatur, Obsecro ne deficiatis aut turbemini: quae est gloria vestra: *id est*, qua in re vestra consistit gloria: vel quae res gloria est vestra, nempe si non deficiatis sed constantes permaneatis. Dura quidem est locutio, quam ob causam Apostolus vocat se imperitum sermonis, ad Corinthios: sed sensus est perspicuus, sive ad afflictiones Apostoli referas, sive ad constantiam Ephesiorum.

Propositio igitur haec est: Ex iis, quae dixi, rogo vos ne deficiatis à doctrina & fide, néve de illa dubitetis propter afflictiones meas. Ratio prima sumitur tum à causa efficiente harum afflictionum, tum à finali: & utraque causa significatur illa particula ὑμῶν. Efficiens causa fuit praedicatio gratiae apud Ephesios. Quia enim praedicaverat Apostolus Gentes, in Christum credentes, tam servari per Christum & esse de Ecclesia Dei, sine circumcisione & sine operibus legis, quàm erant Judaei cum circumcisione & cum operibus: idcircò Judaeorum opera tandem factum est, ut fuerit in carcerem conjectus. Hoc igitur est, quod dicit ὑπὲρ ὑμῶν, *id est*, ὑμᾶς. Fuerunt enim Ephesii quodammodo causa, ut Apostolus in illis esset afflictionibus, quia illis praedicaverat gratiam. Finalis autem causa, cur scilicet Paulus constans maneret in carcere, fuit salus Ephesiorum: ut scilicet ipsis esset exemplo constantiae in fide per quam servarentur. Atque hoc est, quod ait ὑπὲρ ὑμῶν, *id est*, pro vobis vestráque salute. Quia utrumque sensum admittit haec locutio, ut notant Scholia, ideo utrumque etiam amplector. Haec est prima ratio, ducta à particula ὑπὲρ ὑμῶν duplici sensu accepta, hoc modo: Cúm ego propter vos in carcere sim, & pro salute vestra hîc constans permaneam, non debetis igitur propter has afflictiones meas deficere. Altera ratio aut à qualitate afflictionum Pauli ducitur, aut à consequentibus constantia vel inconstantia Ephesiorum: juxta duplicem verborum illorum, ἥτις ἐστι δόξα ὑμῶν, interpretationem. Si à qualitate afflictionum, hoc modo formatur ratio: Afflictiones meae non possunt esse vobis sicut nec mihi dedecori, sed potius summo honori & gloriae: quia non propter scelera conjectus sum in carcerem, sed propter honestissimam causam Christi. Ergo non debetis deficere, quasi pudeat vos ministrum habere in carcere. A consequentibus autem constantia vel inconstantia Ephesiorum argumentum ducitur hoc modo: Gloria vestra fuerit magna non solum apud homines, *id est*, in Ecclesia Dei, sed etiam ídque inprimis apud Deum, si propter meas afflictiones non patiamini vos abduci à fide Christi, sed constantes

in ea persistatis. Contra ignominia consequetur aeterna & confusio, si deficiatis. Ergo non debetis deficere aut turbari. Haec est ἄνκλυσις hujus versus, in quo adhortatio ad constantiam & perseverantiam in fide continetur.

Apparet autem, vel saltem valde probabiliter colligitur ex hac adhortatione & ex his rationibus, non defuisse, qui ex afflictionibus Pauli occasiones acceperint Apostolum simul & ejus ministerium ac doctrinam traducendi, eóque seducendi Ephesios, ne crederent, sicut docuerat Paulus, nimirum *se solâ fide in Christum servari.* Quid ita? Quia doctrina ejus vera non est, nec ipse gratus est Deo. Si enim & illa esset vera & iste Deo gratus, Deus certè, qui suorum curam habet, non permisisset Paulum in manus Neronis tradi & tantis premi afflictionibus. Est etiam vobis ignominiosum, talem pro Ministro vestro & Apostolo agnoscere, qui propter seditiones in tota Judaea imò in toto orbe excitatas in carcere est. Non est igitur, cur ejus sequamini doctrinam. Ac probabile est, nonnullos defecisse, alios turbatos fuisse, coepisséque de Pauli doctrina dubitare (ut fieri solet in mutatione ministrorum) cùm audirent alios magni etiam nominis jam in Ecclesiam Ephesinam ingressos alia docere, quàm Paulus docuerat. Hoc enim antè praedixerat Apostolus, ut in Actis legimus, futurum ut inter Ephesios surgerent Pseudoprophetae perversa loquentes Act. 20. Haec igitur causa est, cur Apostolus tanta differentia tótque argumentis hortetur Ephesios, ut ne propter suas afflictiones turbentur, & cur argumenta adversariorum retorserit, demonstrans se verum esse Christi Apostolum, suam doctrinam esse Christi doctrinam, se non esse in carcere propter scelera sed propter Christum, & quia doctrinam salutis praedicavit Gentibus: eóque suum carcerem nec sibi nec Ecclesiae Christi esse ignominiosum, sed potiùs gloriosissimum.

Atque haec de sensu vers. 13., ubi ex praecedentibus concludit per adhortationem non esse, cur Ephesii debeant à vera doctrina propter suas afflictiones amoveri aut turbari.

Sequitur *precatio.* Sciebat enim Apostolus à Dei gratia pendere constantiam in fide, sicut & reliqua omnia bona. Ait igitur:

V. 14. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.*

Hîc nihil est diversitatis, & sensus est perspicuus.

Illud τούτου χάριν, si nolimus esse epanalepsin primi versus, refertur ad versum praecedentem, τούτου χάριν, id est, *ne ob afflictiones meas deficiatis aut segnescatis flecto genua*, id est flexis genibus ad Patrem Domini nostri Jesu Christi ex ardentissimo & toto pectore oro. De hoc ritu orandi genibus flexis, postea dicemus. Significavit certè Apostolus hac voce se ardentissimè precatum fuisse Deum pro salute & constantia Ephesinae Ecclesiae. Quòd non dixerit simpliciter *flecto genua ad Deum, sed ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*, & quidem Domini nostri, duo significat: Primum, se orasse & orare Deum non simpliciter ut Deum, sed tanquam Patrem omnium, tam Gentilium quàm Judaeorum, propter Christum Filium unigenitum, communicata ejus filiatione jam

jam effectum: eóque se in fiducia Christi & per Christum orare: tacuè docens, quomodo & ipsi Ephesii orare debuerint. Deinde significavit, sicut Pater Christi factus est Pater non solum Judaeorum sed etiam Gentium: sic etiam Christum Dominum & redemptorem esse tam Gentium quam Judaeorum. Totum autem hoc facit ad scopum Apostoli. Subdit:

v. 15. *Ex quo tota familia in coelis & in terra nominatur.*

Syriac. *Ex quo nominatur tota cognatio, quae est in coelis & in terra.*

Illud ἐξ οὗ Scholia referunt πρὸς τὸν πατέρα: Et illud πᾶσα πατριὰ interpretantur παντὰ τὰ γένη, quatenus de hominibus intelligitur in terris, unde & progenitores patres appellantur, ab illo, scilicet, coelesti Patre.

Quatenus verò de Angelis in coelo intelligitur, ubi unus non generatur ex alio, nomine πατριᾶς intelligunt ordines & τὰ συστήματα Angelorum, & ita fermè Patres interpretantur hunc locum de familiis omnibus, quod, sicut omnes Angelorum ordines, sic etiam tam Gentilium quàm Judaeorum familiae ex uno sint & eodem autore ac Patre Deo: eóque meritò Apostolum rogasse pro ipsis etiam Gentibus, quod sicut tam ipsi quàm Judaei erant creati ab eodem Deo, sic etiam tam ad ipsos, si credant in Christum, quàm ad Judaeos pertineat redemptio & salus. Ita volunt esse argumentum à creatione ad creationem, *id est*, ad redemptionem: sicut etiam suprà vers. 9. dixit, *Qui omnia condidit per Jesum Christum.* Et Rom. 3. eodem sensu dixit, *Nunquid Judaeorum tantum Deus est, annon & Gentium?* Sensus igitur fuerit, *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*, pro vobis, ô Gentes, quia ab hoc Patre sunt omnes vestrae familiae, progenitores vestri ab hoc uno Patre vestro vocantur vestri patres. Sed altera interpretatio magis probatur, quae haec est, Primùm illud ἐξ οὗ refertur immediatè ad proximum genitivum Jesu Christi. Deinde illud πᾶσα πατριὰ pro tota familia (nempe Dei, id est, pro tota Ecclesia, tum in coelis tum in terris existente) accipit, ut sit sensus: Tota Dei familia, quam habet in coelis & in terra, id est, in omnibus terrae partibus, & non tantùm in Judaea, à Christo nominatur, *id est*, Christiana est & Christiana appellatur: eóque tam Gentiles & in Christum credentes quàm Judaei Christiani sunt & appellantur. Meritò igitur tam ad hos quàm ad illos pertinet salus, & tam ex Gentibus quàm ex Judaeis constat Ecclesia Dei: neque ea restringi debet ad Judaeos & intra fines Judaeae, ut mei faciunt Judaei, cùm ubique terrarum sint qui vocantur Christiani à Christo; ac proinde meritò etiam, *Ego pro gentibus flecto genua ad Patrem omnium communem, in fiducia communis Domini nostri Jesu Christi.* Hic est verus & genuinus sensus.

Voluit autem procul dubio perstringere Judaeos illos, qui totam πατριᾶν, id est, familiam & cognationem Dei, hoc est, Ecclesiam, ad suam gentem restringebant excludentes Gentiles, eámque volebant Israëliticam ab Israële appellari. Non, non ita, inquit Paulus, sed à Christo nominatur tota Dei familià, ita ut, quicunque Christiani vocantur, ad familiam Dei pertinere censendi sint: & ubicunque illi sunt in nomine Christi collecti, ibi Ecclesia Dei est. Atqui etiam qui ex Gentibus in Christum credunt, ubicunque locorum sint, Christiani vocan-

vocantur & sunt. Ergo, ubique locorum & in coelis & in terra est Ecclesia Dei, & illa non solùm ex Judaeis circumcisis sed etiam ex gentibus incircumcisis, imò & ex Angelis, qui in coelo sunt, & qui etiam neque sunt ex semine Abrahae, neque circumcisi neque legi Mosis subjecti, constat.

Notandum verò est, cùm ait ὀνομάζεται, intelligi more Hebraeorum & sacrarum literarum nomen cum re, pro ita nominatur ut revera etiam sit, nempe Christiana familia & Ecclesia, sicut & illud, *vocabitur nomen ejus Immanuel*, item Filius Dei, pro reverà erit sicut appellabitur & pro tali agnoscetur. Ita ab Ecclesia Christi vera, quae est corpus ipsius, non excluduntur nisi & qui non dederunt nomen Christo, Christianíque non appellantur nec appellari volunt, uti infideles omnes: & qui falso Christiani vocantur, *id est*, hypocritae. Ad familiam enim non pertinent, nisi qui per spiritualem regenerationem ex Patre coelesti nati sunt in Christo, ac proinde qui & nomine & re sunt Christiani.

Nunc tenemus sensum hujus etiam versus 15. & cur superioribus adjecerit hanc particulam *ex quo Christo tota familia nominatur in coelis & in terra*. Sequitur petitio, seu quid petierit à Patre pro gentibus.

V. 16. *Ut det vobis secundùm divitias gloriae ipsius, ut potentia corroboremini per Spiritum suum in interiori homine.*

Syriac. *Ut det vobis juxta opulentiam gloriae, ut in virtute corroboremini per Spiritum suum.*

Postremam particulam, εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, conjungunt cum vers. 17. Graeca Scholia aliter legunt construunt & interpretantur hunc versum, quàm nostri. Conjungunt enim cum hoc versu etiam sequentem, & simul construunt hoc modo: Precor det vobis corroboremini δυνάμει, per Spiritum ejus, τό κατοικῆσαι τόν Χριστὸν ἐις τὸν ἔσω ἄνθρωπον διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Ita una erit petitio cum explicatione adjuncta. Petitio haec fuerit: Peto à Deo det vobis pro magnitudine suae gloriae, *id est*, bonitatis & potentiae, corroboremini per Spiritum ejus τῇ δυνάμει, *id est*, ut sitis potentiâ Dei (adversus scilicet omnes tentationes) moniti. Haec est propositio. Quaenam hujus rei finalis causa? Subjicit dicendo, Ut Christus habitet in interiori (vestro) homine. Quomodo? διὰ τῆς πίστεως, inquit. Sed quid est in interiori homine Christum habitare? Subjicit explicationem, dicendo, ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Sic Scholia.

Caeterùm nos sequemur receptam constructionem & sensum, nempe ut illud εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον construatur cum verbo κραταιωθῆναι: Illud autem ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν cum verbo κατοικῆσαι: & ita versus distinguantur 16. & 17. Juxta igitur hanc lectionem, Prima petitio Pauli continetur versu 16; ea autem haec est, *Rogo Deum, det vobis secundùm divitias gloriae suae* (quid det? κραταιωθῆναι τῇ δυνάμει, *corroboremini* potentia, per quid? διὰ τοῦ πνεύματος ἀυτοῦ. Sed quà in parte debemus corroborari? explicat, dicendo, εἰς ἔσω ἄνθρωπον.) Haec itaque fuerit prima petitio, eáque in genere, pro constantia, scilicet, & perseverantia fortudinéque Ephesiorum, piorúmque omnium adversus omnes tentationes Diaboli, quibus nos à fide Christi amovere conatur.

Illud κατὰ τόν πλοῦτον τῆς δόξης ἀυτοῦ intelligitur de magnitudine tum misericordiae Dei, quâ velit, tum potentiae, quâ potest dare, ut simus fortes adversus omnia adversa & constantes in fide. Glorĩa enim Dei vocatur id, unde

unde apparet gloriosus & glorificandus. Apparet autem ab effectis, quae tum à bonitate voluntatéque, tum à potentia & sapientia ejus proficiscuntur. De gloria potentiae Dei est illud *Rom.* 6. Christus resurrexit per gloriam Patris, id est, per potentiam divinam. De gloria misericordiae & gratiae est illud *Ephes.* 1 *vers.* 6. Ad laudem gloriae gratiae suae; & supra dixit *cap.* 2. Deum esse divitem in misericordia: Et *Rom.* 3. Omnes egent gloria Dei, id est, misericordia & gratia. Excludit autem haec particula omnia merita nostra.

Illud δυνάμει κραταιωθῆναι significat corroborari potentia Dei, *id est*, virtute spirituali nobis à Deo communicata: quâ, scilicet, possimus resistere Diabolo & omnibus adversis ac tentationibus, ita ut ea δύναμις sit in nobis à Deo efficax: de qua statim dicet vers. 20. καὶ τὴν δυνάμιν τὴν ἐνεργουμενὴν ἐν ἡμῖν: Et de qua Act. 1. v. 8. Accipietis δυνάμιν supervenientis in vos Spiritus. Ideò placet simplex versio, quae haec est, ut virtute corroboremini. Est enim haec δυνάμις, id quô corroboramur. Etiam haec particula excludit merita & vires nostras. Verùm, quia haec δυνάμις & corroboratio datur & fit per Spiritum Sanctum: ideò adjecit Apostolus, διὰ τοῦ πνεύματος ἀυτοῦ: & hanc ob causam vocatur etiam δυνάμις τοῦ πνεῦματος ἁγίου, Act. 1. Quâ voce magis ac magis commendatur gratia.

Illud εἰς, cùm ait εἰς τόν ἔσω ἄνθρωπον, non displicet ut pro ἐν accipiamus, sicut alibi quoque (ut observavit D. Beza) occurrit, & sit Hebraismus.

Caeterum, quid nomine τοῦ ἔσω ανθρώπου intelligendum sit, non est una omnium sententia. Quidam accipiunt pro toto homine, quatenus renatus est, & qui saepe nomine spiritus significatur: sicut contrà exteriorem hominem intelligunt totum etiam hominem, quatenus renatus non est, qui etiam nomine carnis intelligitur. Sensus hoc modo is fuerit: *Deus corroboret vestrum spiritum;* id est, vos, quatenus estis renati ex Spiritu Dei; & hanc partem, licet caro sit infirma, corroboret adversus omnes tentationes. Haec est prima interpretatio.

2. Alii intelligunt partem hominis rationalem, mentem, cor, spiritum: sicut nomine exterioris hominis corpus, partémque animalem & carnalem. Nam sic etiam accepisse videtur idem Apostolus 2. Corinth. 4. vers. 16. Διὸ οὐκ ἐκκακοῦμεν, *propterea non succumbimus* (in afflictionibus, de quibus dixerat); *sed licet externus homo noster corrumpitur, internus tamen renovatur in singulos dies.* Quis, obsecro, est iste homo externus, qui corrumpitur afflictionibus hujus mundi? Corpus ipsum animatum cum suis annexis. Interior igitur est mens & cor, sed renovatum per Spiritum Sanctum. Sententiam hanc confirmare videntur, quae sequuntur in vers. 17. cùm ait, *ut Christus habitet in cordibus vestris per fidem.* Videntur enim quasi explicationis causa, quid nomine interni hominis intellexerit, haec fuisse dicta, nempe corda nostra, *id est*, mens & voluntas & animi affectus. Petit enim Apostolus, *roboretur homo noster interior,* id est, corda nostra, ut in illis habitare, id est, perpetuum domicilium habere possit Christus. Et sic Syriacus sensisse videtur, qui hanc particulam, εἰς ἔσω ἄνθρωπον, conjunxit cum vers. sequenti: ut idem esse ostendat cum cordibus. Et sic Scholia interpretatur: iis duobus nominibus, nempe interni hominis & cordium, significari non superficialem καὶ ἐπιπόλαιον, sed τὴν κατὰ βάθους ἐνοικησιν & quasi συμφυῆ, nempe ipsi Christo, qui Spiritus est & spiritualis etiam homo

homo. Ideò in Spiritu habitat. Ergo sensus iste videtur proprius esse hujus loci, nempe, *Ego Paulus precor Deum patrem, det vobis,* ut, licet externè & quoad corpus multis obnoxii sitis calamitatibus, ut etiam ego sum: Per Spiritum tamen ipsius corroboremini internè in animo, mente, spiritúque vestro; quo, scilicet, possitis Diabolo & Mundo resistere, fortes in fide, atque ita Christum perpetuò retinere in cordibus vestris. Haec est prima petitio Apostoli, *petitio*, scilicet, *doni fortitudinis adversus omnia adversa, Satanam, Mundum, Pseudoapostolos, calumniatores, omnésque cruces.* Sequitur secunda.

V. 17. Ut inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.

Syriacus (ut suprà dixi) conjungit postremam particulam superioris versus cum hoc, sic dicendo: *Ut in filio hominis vestro interno inhabitet Christus per fidem & in cordibus vestris.*

Versus autem iste construitur cum verbo superioris versus, *Det vobis*, id est, precor Deum Patrem δώῃ ὑμῖν, sicut δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος, sic etiam κατοικῆσαι τόν Χριστον in cordibus vestris. Ita fit manifestum, hanc esse alteram & utcunque diversam à priore petitionem. Illa enim prior generalior est, quia est de corroboratione totius interioris hominis, adversus nimirum omnes tentationes: haec restringitur ad inhabitationem Christi in nobis.

Sed haec *inhabitatio* bifariam considerari potest: nempe aut tanquam causa efficiens proxima illius corroborationis, de qua suprà: aut causa finalis. *Ut efficiens proxima*: quia si Christus in nostrîs inhabitet cordibus: inde profectò, tanquam à capite influente in membra vitam & motum, excitabitur vis & δυνάμις in interiori nostro homine, qua fiamus fortes adversus omnes hostes omniáque tentationum genera. Si hoc modo consideretur inhabitatio Christi in nobis, id quod fit per fidem: omnino precatur Apostolus Ephesiis nobisque omnibus causam illius superioris corroborationis efficientem proximam: quae est inhabitatio Christi in cordibus nostris per fidem: eóque precatur fidei constantiam & incrementum. A Patre enim per Christum communicatur Spiritus Sanctus: per Spiritum δυνάμις, qua corroboremur: hinc constantia in fide. Si autem consideretur ut *finalis* causa, precatur nobis Apostolus, simus fortes in interiori homine adversus omnes tentationes, *id est*, simus constantes & fortes in fide. In quem verò finem? Ut per hanc fidei constantiam Christum perpetuo in cordibus nostris inhabitantem retinere possimus. Non enim Christus inhabitat in nobis, nisi per fidem: fides autem non retinetur in tentationibus, nisi Deus nos efficiat communicatione suae potentiae fortes per Spiritum suum, Ergò, &c. Utrumque verum est quod dixi. Prior tamen sensus meliùs cum Apostoli contextu congruere videtur. Atque haec de summa & sensu hujus versus.

5. Illud κατοικεῖν, sicut observavit D. Beza, distinguitur à παροικεῖν. Illud enim significat perpetuum habere alicubi domicilium: hoc autem habere ad tempus, sicut etiam apud Latinos habitare & commorari. Cùm igitur Apostolus precatur, ut Christus inhabitet in cordibus nostris per fidem, manifestè precatur donum perseverantiae in fide, per quam Christus perpetuò habitet in cordibus nostris. Sequitur tertia petitio. *V.*

V. 18. *In caritate radicati & fundati, ut valeatis* (sic ad verbum) *comprehendere cum omnibus Sanctis, quid* (sit) *illa latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas.*

Sic habet ad verbum. Redditur autem oratio obscura & difficilis propter istos nominativos ἐῤῥιζωμένοι, καὶ τεθεμελιωμένοι, qui cum superioribus verbis aegrè copulari posse videntur. Immediatè enim praecedit ὑμῶν, ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Si continuanda sit oratio, oportuisset dicere, ἐῤῥιζωμένων ἐν ἀγαπῇ καὶ τεθεμελιωμένων. Si verò construendus sit ille versus 18. sicut & praecedens cum verbo δώῃ in vers. 16. dicendum fuisset ἐῤῥιζωμένους καὶ τεθεμελιωμένους scilicet ὑμᾶς: sic etiam dixit δώῃ κραταιωθῆναι: nimirum ὑμᾶς. Ideò Photius in Scholiis trifariam ad hoc respondet: Primo, fortè σφᾶλμα esse γραφικὸν, erratum fuisse in scriptione, ab iis, scilicet, qui descripserunt, ut in recto posuerint quod ponendum erat in accusativo. Sed quia non placet aperire hanc fenestram infidelibus & haereticis traducendi sacra Biblia: subdit secundam dicendo Apostolum usum fuisse constructione antiquorum, qui aliquando nominativum posuerunt pro accusativo: & talem φράσιν ait etiam apud Thucydidem reperiri. Tertio ait καθ᾽ ὑπερβατὸν accipiendum esse illud ἵνα, quod habes post τεθεμελιωμένοι, & praeponendum versui, sicque legendum, ἵνα ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμενοι possitis comprehendere cum omnibus sanctis, & quae sequuntur. Lectionem hanc secutus est D. Beza, ac mihi etiam magis placet. Potest autem duplex esse sensus. *Primus*, Rogo etiam Deum det vobis ἵνα ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμενοι &c. possitis comprehendere. Ita duo hîc precatus fuit Apostolus; unum, ut post fidem in caritate etiam corroborarentur & stabilirentur: Alterum, ut ita stabiliti ac confirmati in fide & charitate, crescerent in cognitione mysterii, de quo suprà, quanta, scilicet, sit amplitudo &c. beneficiorum Dei in nos collatorum & conferendorum. *Alter*, ut hoc causam finalem afferat, cur precatus illis sit tum donum fortitudinis in interiori homine, tum fidei incrementum, per quam Christus magis ac magis inhabitet in nobis; ut, scilicet, inde in caritate quoque, nempe & Dei erga nos & nostra erga Deum ac proximum, magis ac magis radicentur (ut ita loquar cum Apostolo) & in ea radicati comprehendere queant, quae sit longitudo, latitudo &c. Hic est alter sensus. Si hunc sequamur, docet Apostolus: ad perfectam cognitionem mysterii pietatis Christianae, de quo hactenus locutus est, necessarium esse ut abstineamus à peccatis, resistendo fortiter Satanae, dono fortitudinis & constantiae. Sapientia enim non habitat in corpore subdito peccatis. Necessarium item esse, ut fide constanti Christum in cordibus nostris inhabitantem retineamus: & denique, ut etiam in caritate simus benè firmati & constabiliti. Et ita Bucerus. Si prior sensus magis placet, fuerit hîc nova petitio, duabus constans partibus: quarum prima est, ut in caritate firmas agamus radices. Altera, ut cum sanctis omnibus in cognitione mysterii amoris ac beneficiorum Dei crescamus. Quanquam diversa est interpretum sententia, quid sit haec longitudo, latitudo, &c. quam precatur Paulus, ut comprehendamus, ut postea dicemus. Sed hîc tantùm de verborum constructione & generali sensu agimus. Sy-

Syriacus sic habet, *per caritatem existente firma radice vestra & fundamento vestro, ut possitis assequi cum omnibus sanctis, quae sit altitudo & profunditas & longitudo & latitudo.* Videtur sensisse Christum habitare per fidem in cordibus nostris: per caritatem autem in Deum & proximum retineri à nobis firmam radicem & fundamentum, *id est,* conservari nos in radice arboris, cui sumus insiti, & in fundamento, supra quod aedificati sumus, quod est Christus doctrináque Apostolorum: quasi dicat per bonam conscientiam retineri fidem, per fidem Christum, per Christum augeri nos cognitione.

Hactenus de varietate lectionis déque varia hujus versus explicatione. Interpretum sententias fideliter recitavimus. Nunc de sensu Apostoli quid nobis videatur probabilius atque simplicius, breviter dicendum est.

Primum placet, ut illud ἵνα praeponatur versui, sicque legatur, *Ut in caritate radicati & fundati valeatis comprehendere cum omnibus Sanctis & Electis Dei, quid, qualis, quantáque sit illa latitudo, longitudo, profunditas & sublimitas, sive altitudo.*

Secundo, ut hîc finalis causa afferatur, cur precatus sit Ephesiis, primo, animi fortitudinem adversus omnes tentationes Diaboli: & deinde fidei incrementum, atque ut Christus inhabitet in cordibus nostris, & denique caritatis confirmationem: causa est, ut, scilicet, ita confirmati in caritate possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, &c. & quae sequuntur. Ita bene fluit oratio.

Tertio, quod ait de caritate, placet illud intelligendum esse de caritate tum Dei inprimis erga nos, tum nostra porrò erga Deum & proximum, quae ex sensu illius caritatis Dei erga nos nascitur. Tum enim constat Christum per fidem in cordibus nostris inhabitare, cùm per fidem sentimus nos verè à Deo amari: & tum constat nos verè hanc Dei dilectionem in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusam habere, cùm in caritate erga Deum & proximum bene fundati & radicati sumus: quando hujus firmitudo ab illius firmitudine pendet. Proinde radices propriè habemus non in nostra sed in Dei caritate, quo pertinet illud Coloss. 2. Quemadmodum igitur accepistis Christum Jesum Dominum, in ipso ambulate sic ut radices habeatis in illo fixas.

Illae duae *metaphorae* radicationis & fundationis ad causam, quam tractat Apostolus, nempe ad constantiam contra omnes tentationes & ad perseverantiam in fide Christi, accommodatissimè fuerunt hîc ab Apostolo usurpatae. Supra enim c. 2. ad finem docuerat nos esse ceu lapides super fundamentum, *id est*, super Christum exstructos: oportet igitur inniti firmiter hoc fundamento & in illo manere, alioqui frustra lapides superstruuntur fundamento, nisi in illo stabiles maneant. Alibi verò saepè comparamur arboribus in terra plantatis, quae suo tempore fructus proferant. Oportet igitur fixas habere radices in eo, in quo plantati sumus solo: alioqui vana est plantatio omnis & rigatio. Sumus autem plantati in Christo. Illud, *Ut valeatis assequi*, *quae sit latitudo, &c.* variè expositum fuit ab interpretibus.

1. Primum, constat hisce vocibus usum fuisse Apostolum non propriè sed metaphoricè. Tres enim tantum sunt dimensiones corporum: longitudo, latitudo, profunditas. Hîc autem quartam addit altitudinem. Non ergo hîc des-

describit corpus aliquod Physicum vel Mathematîcum. Quid igitur? Ambrosius ait describi Deum, quod immensus sit & inaestimabilis, omnia replens & verè infinitus, atque solus verè aeternus. Interpretatio haec non paucis placet, praesertim quod sentiant hîc Apostolum precari nobis felicitatem coelestis patriae; ibi Deum cognoscemus, & videbimus eum sicuti est. Hanc ideo confirmant, quia Paulus ait cum omnibus sanctis: in coelo autem omnes simul sancti videbunt Deum.

2. Alii interpretantur haec de magnitudine & immensitate bonitatis divinae, quae sese in omnia diffundit, in coelum, in abijssos, in omnes terrae partes & creaturas, idque in omnem aeternitatem. Quo referunt illa dicta ex *Psal.* Bonitate Domini plena est terra, *Item*, Bonitas tua usque ad nubes.

3. Ex nostris quidam de magnitudine amoris Christi erga nos exponunt. Volunt autem quae sequuntur de cognitione amoris Christi, esse explicationem hujus metaphoricae locutionis: ac proinde non esse repetitionem.

4. Alii intelligunt de potentia Christi infinita & immensa, eáque aeterna, quia Deus est. Quod vero postea sequitur vers. 19. nempe, Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, &c. illud de charitate ejusdem Christi erga nos immensa intelligunt. Ita duo de Christo cognosci à nobis cupit Apostolus, infinitam ejus potentiam & immensum ejus amorem erga nos: quod iis duabus rebus nitatur fides nostra de aeterna salute per Christum. Adde etiam, quod Christus cognosci non potest infinitae esse potentiae, nisi agnoscatur pro Deo. Amor autem, quem subeundo mortem pro nobis luculenter declaravit, alteram ejus naturam demonstrat & officium. Haec igitur, magis quàm reliquae tres, mihi placet explicatio.

Caeterùm veram & genuinam interpretationem credo eam esse, quam affert Photius in Scholiis: quae eo etiam magis probatur, quod utramque, de quibus modo diximus, interpretationem de potentia nimirum & de amore Christi erga nos complectitur. Ea autem haec est. Primum ait, his corporum dimensionibus describi magnitudinem mysterii de salute Gentium, nempe de quo hactenus locutus est Apostolus in his tribus capitibus. Σωματικοῖς ὑπογράφει χρήμασι τοὺτοῦ μυστηρίου μεγέθος τοῦ ὑπερ τῶν ἐθνῶν οἰκονομηθέντος. Cùm igitur ait Apostolus, ut comprehendatis quae sit latitudo, longitudo, &c. intelligamus amplitudinem hujus mysterii, de salute, scilicet, totius generis humani per Christum gratuita: de quo & Apostolus idem prima ad Timotheum. 3. *Magnum procul dubio est pietatis mysterium.* Quod ad Timotheum ait, esse mysterium magnum: hîc dicit esse longum, latum, profundum, altum. Non dubito igitur, quin hîc de magnitudine & amplitudine hujus mysterii loquatur Apostolus.

Deinde explicat Photius singulas has dimensiones: & ait, mysterium hoc *primùm* quidem habere longitudinem, quia jam inde ab aeterno fuit praefinitum & praedestinatum, ut per Christum servarentur Gentes: & quidem hoc modo, quo servatae sunt. Quid autem longius aeternitate? congruit hoc cum iis, quae disseruit de electione in 1. cap. & de proposito Dei, in cap. 3. v. 11.

Secundo, Mysterium hoc ait habere latitudinem, quia ad omnes extenditur: εἰς τοὺς πρὸ νόμου, εἰς τοὺς ἐν νόμῳ, καὶ μὲτα τὸν νόμον: εἰς τοὺς ζῶντας, εἰς τοὺς τετελευτηκότας:

εἰς

εἰς τοὺς Ιουδαίους εἰς τοὺς Ἕλληνας, εἰς τοὺς βαρβαρους, εἰς πάντα τα ἔθνη, εἰς τὰ οὐράνια, εἰς τὰ επίγεια. Pacem enim fecit Christus inter homines & Angelos.

Haec est latitudo mysterii, beneficii, scilicet, Christi in omnes communicatio. Hoc est illud, quod hucusque cum primis explicavit: & quod cap. 1. dixerat vers. 9. & 10. patefacto mysterio voluntatis Dei, ut scilicet per Christum recolligeret omnia, quae in coelis & quae in terris. Haec est latitudo mysterii.

Tertiò ait Photius mysterium hoc suam habere profunditatem: quia Christus sua praesentia & potentia usque ad inferos penetravit: & (ut Apostolus loquitur ad Coloss. 2.) exspoliavit Principatus & potestates, eósque traduxit confidenter. Atque huc pertinet, quod in Symbolo dicimus, *Descendit ad inferos.* Haec est profunditas, ad quam pertinet etiam resurrectio mortuorum, quae fiet virtute Christi.

Quarto, Mysterium hoc pietatis suam habet altitudinem: quia (ut ait Photius ex Apostolo) qui descendit, is etiam est qui ascendit supra omnes coelos: *quia exaltatus supra omnes principatus & potestates sedet ad dexteram Patris*, ut cap. 1. explicavit: quia denique in coelis habet Ecclesiam, & nos cum illo resuscitati sumus in coelo.

Nunc tenemus quid precatus sit Apostolus Ephesiis, cùm precatus est eis à Patre cognitionem, qua comprehenderent (id est, verè & perfectè plenéque intelligerent) quae sit longitudo, latitudo, profunditas, altitudo; nempe ampliorem mysterii pietatis cognitionem. Haec explicatio eò magis mihi placuit, quod ἐπίλογον continet eorum omnium, quae hucusque tractavit Apostolus: & deinde, quia facit ad scopum Apostoli, nimirum persuasum haberent Gentiles, se tam ad Christum pertinere sine circumcisione, quam Judaei cum sua circumcisione: solam enim fidem ad salutem percipiendam sufficere.

Nomine sanctorum in illa particula, *cum omnibus sanctis,* omnes fideles intellexit, qui fuerunt à condito orbe. Docet autem cognitionem hujus mysterii esse illud supremum bonum, quod in hac vita fideles consequi possunt & ad quod aspirarunt. *Johan.* 8. Abraham exultavit, ut videret diem meum & vidit & gavisus est; neminem tamen pro mysterii dignitate & magnitudine potuisse perfectam & plenam illius cognitionem in hac vita assequi; se itaque precari Ephesiis, ut unà cum aliis sanctis omnibus tandem aliquando quanta sit magnitudo beneficii Christi simúlque & amoris ejus (ut mox sequitur) comprehendere, id est, perfectè & plenè cognoscere queant: id quod certè fieri nequivit in hac vita, sed in altera demum hoc consequimur. Interim rogandus Dominus, ut det nobis incrementum hujus cognitionis.

V. 19. Et cognoscere illam, quae omnem superat cognitionem, Christi caritatem: ut impleamini ad omnem usque plenitudinem illam Dei.

Syriac. simpliciter. *Et cognoscatis magnitudinem charitatis Christi: ac impleamini omni plenitudine Dei.*

Illud γνῶναι τε τὴν ὑπερβαλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ, nempe possitis, sic resolvit & explicat Photius. καὶ ἵνα γνῶτε τὴν ὑπερβαλλουσαν πᾶσαν ἀνθρωπίνην γνῶσιν ἀγαπην τοῦ Χριστοῦ. Sic igitur resolvenda sunt verba Apostoli: Et rogo, ut possitis γνῶναι τὴν ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπερβαλλούσαν τῆς γνώσεως: id est, quae cog-

cognitionem excellit, seu quae omni cognitione superior est, ut optimè Beza.
Illud verò ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ, bifariam quidem exponunt Scholia, sed prima interpretatio nil ad rem facit; πλήρωμα enim θεοῦ intelligit omnes tres personas in una essentia: tunc autem nos impleri (scilicet cognitione) usque ad plenitudinem Dei omnem, cùm intelligimus Deum nobis in Patre, Filio & Spiritu Sancto adorandum esse. Altera interpretatio tolerabilior est, si dextrè intelligatur: ea sic habet; ut sitis repleti omni virtute, qua plenus est Deus: intellige quatenus capax esse potest aliqua creatura: hoc est, ut sitis quàm simillimi Deo. Sed simplex sensus est, Precor ut plena & perfecta Dei & Christi cognitione adeóque Spiritu Dei repleamini, divináeque ejus naturae perfectè fiatis participes. Ita ut Deus Pater & Filius per suum Spiritum in vobis habitent & mansionem faciant, vosque ejus naturam referatis. Hoc est enim πλήρωμα τοῦ θεοῦ, plena Dei cognitio, perfectáque ejus in nobis inhabitatio & naturae ejus participatio. Haec autem pendent ex cognitione mysterii pietatis & causae illius, hoc est, ex cognitione amoris Dei & Christi erga nos. Fons enim & causa redemptionis omniumque beneficiorum ejus est caritas Christi, eóque & Patris.
Postquam igitur precatus est nobis Apostolus cognitionem mysterii pietatis, quàm amplum, scilicet, & magnum sit beneficium redemptionis: fontem illius aperit, caritatem, scilicet, Dei in Christo: & precatur, ut etiam hanc cognoscamus, & verè sentiamus quàm magna & ardens sit caritas Dei & Christi erga nos, ut ex hac cognitione impleantur corda nostra Deo, id est, perfectam Dei naturam induamus: alludens ad illud quod habet 1. Corinth. 15. *Deus erit omnia in omnibus.* Huc autem, hoc est, ad totam hanc plenitudinem Dei perducuntur, qui donati Spiritu fortitudinis resistunt Diabolo & tentationibus ejus: constantes verò persistunt in fide Christi, & in ea atque in caritate incrementum facere student. Proinde ad hanc constantiam & studium primum hortatus est Ephesios: deindè precatus est illis hoc donum constantiae & studii promovendae pietatis: ut hinc tandem crescant in cognitione etiam mysterii de redemptione & amoris Christi, unde redemptio profluxit, & tandem repleantur Deo, fiantque ei in dies quàm simillimi, donec tandem Deus ita in nobis regnet totus, *ut sit omnia in omnibus.*

V. 20. *Et verò, qui potens est super omnia facere super exabundanti* (id est, ex superabundanti) *quae petimus aut intelligimus, juxta potentiam agentem in nobis.* Sic ad verbum.

Sic autem Latinè reddi potest non multa facta verborum mutatione. *Ei autem, qui potest* (ὑπὲρ πάντα) *ultra omnia, quae petimus aut cogitamus* (ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ) *superabundanter facere, secundum potentiam illum efficaciter operantem in nobis, sit gloria.*
Syriac. *Ei autem, qui potest virtute omni re excellentiore* (id) *facere nobis, & plus quàm petimus aut cogitamus, secundùm virtutem suam, quae agit in nobis, Ei* (inquam) *sit gloria.*
Beza, *Ei verò, qui infinita cum redundantia potest omnia facere supra ea, quae petimus aut mente concipimus, pro vi illa agente in nobis, sit gloria.*

Scholia

Scholia duas hîc ὑπερβολὰς observant de potentia Dei. Prima est, quod possit ὑπερ πάντα ποιῆσαι, quàm quae nos petimus aut etiam cogitamus. Altera, quòd potest etiam ὑπερ ἐκπεριτοῦ id est, supra τὸ ἐκπεριτοῦ. Sensus autem perspicuus est, Deum multo plura & multo copiosius praestare nobis posse, quàm vel petere nos vel etiam desiderare possimus. Potentiam autem hanc Dei, quam ex verbo ejus didicerat, ab experientia etiam ipsa Apostolum aiunt confirmare: quia scilicet illius δύναμιν jam in nobis ipsis efficaciter operante sentimus. Quomodo? Videmus enim Gentiles jam conversos ad Christum, quàm multi sint à pristino illo impiae conditionis statu facti filii Dei.

Verba Oecumenii καὶ ὅτι ἐκ περιτοῦ ὧν αἰτούμεθα καί ὅ νοοῦμεν δυνατός ἐστι ποιῆσαι, δῆλον ἐκ τῆς ἐνεργούσης ἐν ἡμῖν δυνάμεως ἀυτοῦ: τίς γὰρ τοῦτο προσεδόκησε περι τῶν ἐθνῶν, ὅτι οἱ τοσοῦτον ἀπεῤῥωγότες θεοῦ ἐν τοῖς υἱοτηθεῖσιν εἰσιν;

Est autem observandum, cùm Apostolus confirmaturus quod dixerat de potentia Dei, subjecit κατά τὴν δυναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ὑμῖν, cum non loquitur de potentia Dei nuda & absoluta atque otiosa, sed de efficaci, quae cum ejus voluntate conjuncta est. Non enim dixit simpliciter κατά τὴν δυναμιν ἀυτοῦ sed adjecit, τὴν ἐνεργουμένην ἐν ὑμῖν, nimirum & in me & in vobis. Nam & Apostolus & Ephesii non semel experti fuerant δυνάμιν θεοῦ in se operantem: imò quotidie sentiebant ejus efficacitatem. Ergo tum à voluntate tum à potentia Dei, quarum manifestum in nobis testimonium habemus, confirmare voluit, precationem suam exauditum iri: ac proinde certò se sperare fore ut Deus Ephesios suos confirmet in fide, & plura etiam illis largiatur quàm vel ipse precatus sit vel illi desiderare possint. Haec est summa hujus versus.

Ita hîc praedicat potentiam Dei & efficacem ejus bonitatem.

V. 21. Ipsi gloria in Ecclesia, in Christo Jesu, in omnes aetates seculi seculorum, Amen.

Syriacus. *Ei sit gloria in Ecclesia ejus per Jesuah Christum, in omnes aetates seculorum seculorum*, id est, perpetuorum seculorum, *Amen.*

Scholia duplicem afferunt interpretationem illius quod dixit, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Primò: quia Ecclesia semper manet. In illa igitur glorificari vult Deum, quia in sempiternum manet. Deinde, quia ipsi Ecclesiae precatur omnia haec bona, ideò in perpetuum etiam eam servari & gloriam Dei in ea celebrari optavit & voluit. Quid est enim, *sit gloria Deo in sempiternum* in Ecclesia? Nisi in sempiternum maneat Ecclesia & in sempiternum glorificet? Addimus nos tertiam causam: ea est, quia sola Ecclesia novit haec beneficia hócque mysterium, de quo hactenus locutus est: in ea igitur etiam sola vera reddi gloria potest Deo, pro mysterìo hoc gratuitae redemptionis & aeternae salutis, ipsis quoque gentibus per gratiam communicatae.

Quòd ait, ἐν Χριστῷ Ιησοῦ, bifariam exponunt Scholia, vel in ipso Christo, vel per Christum: Si *in Christo*, sensus est considerandum esse Deum Patrem in Christo & in eo glorificandum: extra Christum enim non posse Deum glorificari, cùm in solo etiam Christo sit materia omnis gloriae divinae. Nam in Christo sumus electi, per Christum omnia condita sunt, in Christo facta est redem-

redemtio: in Christo denique totum suum erga nos amorem patefecit Pater. Haec est prima interpretatio. Si verò accipias ἐν Χριστῷ Ιησοῦ, pro διὰ τοῦ Χριστοῦ, sensus fuerit *per Christum* tanquam per Mediatorem (per Mediatorem inquam, non quatenus Pater per eum in nos contulit beneficia, sed quatenus per eum nos ad Patrem habemus accessum) sensus, inquam, fuerit, per hunc Christum Deum nobis esse glorificandum: quòd extra Christum nullus nobis pateat ad Patrem accessus. Christus enim bifariam nobis est Mediator, Primùm, *quatenus in eo amavit nos Deus Pater, in eo elegit, in eo redemit, in eo denique & per eum omnia sua bona in nos confert.* Deinde contrà, quatenus nos per eum accedimus ad Patrem nostrásque ad Patrem fundimus preces; in quem sensum Ecclesia semper solita est sic precari, suásque preces concludere, dicendo, *Per Christum Dominum nostrum.* Hic est alter sensus, & uterque optimè convenit huic loco. Addimus tertium. Illa particula, ἐν τῷ Χριστῷ Ιησοῦ, referri potest ad nomen Ecclesiae, cum articulo ἡ: ut discrimen fiat ab Apostolo inter Ecclesiam, quae non simpliciter est in Christo collecta, sed etiam in Mose, & inter eam, quae simpliciter est in Christo, & ita legatur: *Gloria sit Deo,* ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἡ ἐν Χριστῷ Ιησοῦ: hoc modo docere voluit Apostolus, non posse gloriam dari Deo pro hoc beneficio in Gentes collato, in illa Ecclesia, nempe Judaeorum, ubi mysterium hoc de salute Gentium non intelligitur: quasi dicat, Gentes igitur ipsae Deum glorificent, quae hoc acceperunt beneficium. Neque haec aliena est à proposito Pauli. Illud, εἰς πάσας τὰς γενεὰς, non malè verti potest in omnes generationes, ut non tam temporum quàm hominum in singulis temporibus generationes respexerit Apostolus. Singulis enim seculis generantur homines, qui Christum agnoscunt & ad eum convertuntur. A singulis igitur generationibus per omnia secula cupit beneficium mysterii hujus cognosci, & pro eo ab omnibus hominibus pérque omnia secula Deum laudari & glorificari. Cùm verò haec scribit Apostolus de se, quòd, scilicet, precatus sit Ephesiis & nobis omnibus Gentibus constantiam in fide, & alia, de quibus diximus, bona, & quòd gloriam Deo perpetuam in Ecclesia Christi per omnes seculorum generationes dari exoptarit, dicendo, *Gloria sit ei &c.*, docet simul quid nostri sit officii & quid nos facere deceat, Deum nimirum semper esse glorificandum. Initio cap. 1. dixit: *Benedictus Deus:* in fine hujus tractationis ait: *Gloria sit Deo.* Ergò nos quoque Deum semper glorificemus.

Hactenus simplicem contextus hujusce alterius partis capitis tertii explicationem habuimus. Nunc, quaenam ad nostram doctrinam ex iis colligi possint, videndum nobis est.

1. De Ministris verbi quatuor habemus officia: quorum *unum* est docere, docere, inquam, quaenam cum primis sit via salutis & in quibus ea consistat. Fecit hoc Apostolus hisce tribus capitibus, unde postea deduxit adhortationem, vers. 13. Sed summatim idem facit hîc, cùm docet, in hoc salutem nostram consistere, ut Christus habitet per fidem in cordibus nostris renovatis per Spiritum Sanctum, v. 17. Hoc est unum.

Alterum officium est adhortari, nempe tùm ad constantiam in fide, tùm ad preces, tum ad caritatem. Facit hoc Apostolus primùm, cùm ait, *Obsecro*

ne

ne deficiatis. Item, cùm suo exemplo ad precandum Deum nos invitat, & cùm ait petere se, ut simus in charitate radicati & fundati, ver. 17.

Tertium est, quae docet pastor & ad quae hortatur, ea etiam ut is sua gratia fidelibus suis praestet precari Deum: quando sola doctrina & admonitio non sufficiunt; sed Spiritus efficacitate opus est, qui operetur in nobis velle & perficere pro sua bona voluntate. Facit hoc Apostolus ver. 14. & deinceps.

Quartum est consolari, erigere animos, certàm salutis spem facere promissionibus divinis & explicatione divinae bonitatis atque potentiae. Praestitit hoc Paulus in sua δοξολογίᾳ, ubi ideò divinam potentiam cum ejus voluntate ac bonitate conjunctam commemoravit, ut inde spem faceret Ephesiis fore ut Deus plura etiam praestet, quàm ipse petierit aut etiam ipsi mente concipere queant. Hoc enim ad maximam spectabat consolationem. Quatuor haec officia observent Ministri verbi, quae toto hoc contextu continentur.

Deinde in singulis versibus aliquid etiam speciatim docetur: Ideò percurrendi sunt.

V. 13 *Quapropter peto* (rogo) *ne deficiatis ob afflictiones meas, quae est gloria vestra.*

Manifestum est, Apostolum zelo tum salutis Gentium speciatim Ephesiorum tum gloriae Dei affectum hanc scripsisse Epistolam, ut occurreret scandalo, quo ex suis vinculis multi infirmi fideles offensi in Ecclesia Ephesina de doctrina Pauli incipiebant dubitare, frigidam ad hanc rem suffundentibus Pseudoapostolis, qui erant ex Judaismo: ac proinde curasse tollere hoc scandalum & eos in fide doctrináque recepta confirmare: id quod post multa argumenta tandem concludit hoc ver. 13, duabus subjectis rationibus, una, quòd has afflictiones non patiebatur nisi propter ipsos Ephesios aliósque Gentiles, quos suo ministerio ad Christum adduxerat, eóque salutis participes fecerat. Altera, quòd sua vincula non poterant illis esse ignominiosa, cùm non esset in carcere propter scelus aliquod, sed propter Christum: imò potiùs debere eos hisce Apostoli sui vinculis gloriari, cùm videant illum ea constanter propter gloriam Dei & ipsorum salutem perferre, ac proinde debere eos exemplo sui Apostoli in fide fortes persistere, quòd in hoc ipsorum etiam gloria consistat.

Quatuor ergò in hoc versu observatione dignissima habemus. *Primùm*, de conditione Ecclesiae singulorúmque fidelium, dum sumus in hoc mundo. Ea est, quòd Ecclesiae, sicut obnoxiae sunt multorum calumniis, sic etiam ipsae saepè offenduntur scandalúmque capiunt ex rebus minimè per se malis, imò saepé etiam ex rebus bonis, ita ut offensae de doctrina quoque incipiant dubitare. Apparet hoc in praesenti versu. Turbata enim fuerat Ecclesia Ephesina vinculis Pauli, ita ut jam fides eorum non parum fuerit labefactata, atque ita labefactata, ut nonnulli defectionem cogitarint. Quae causa fuit, cur Apostolus conatus fuerit scribere Epistolam hanc, & sublato scandalo suorum vinculorum Ecclesiam ad constantiam hortari: ideò dixit, *Peto seu rogo ne propter meas afflictiones deficiatis.* Nullum illis Paulus scandalum attulerat, quia nihil egerat mali. Sed illi ex re non per se mala, id est, ex

 vinculis

vinculis Pauli, scandalum acceperant: imò res erat bona, si causam, propter quam in illis erat, spectes. Quid cruce Christi melius & salutarius? Ea tamen fuit scandalo Judaeis: unde Christus vocatus est petra scandali & lapis offensionis: iis, scilicet, qui non credunt, atque etiam illis qui imbecilli sunt in fide. Unde verò id fit? Inde nimirum, quia non intuemur in solum Dei verbum, nec eo solo nitimur: sed rebus externis, vel prosperis vel adversis, multum tribuimus, & prout res Ecclesiae vel prosperè succedunt vel infeliciter se habent, sic etiam nos afficimur ad fidem retinendam vel abjiciendam. Hoc certum est in temporariis: sed saepè etiam ad idem tentantur Electi, ac nisi gratia Dei eos sublevaret, penitus deficerent: sed Deus non sinit nos tentari supra id quod possimus per ejus gratiam ferre, & sui auxilii plus dat quam nos etiam petamus. Hoc primùm habemus ex illis verbis, *Peto ne deficiatis propter afflictiones meas:* id est, peto, ne afflictionibus meis offensi à doctrina deficiatis, quam ex me audivistis, quasi à Deo non sit, quia Deus me in manus Neronis tradi voluit.

II. Hinc sequitur alterum, nimirum scandalum, quo homines offensi in aliquod impingunt peccatum, vel contra primam tabulam, uti est defectio à doctrina & vera religione, vel contra tabulam secundam: scandalum, inquam, hoc non unius esse generis sed duplicis: unum vocant activum seu datum, alterum passivum seu acceptum. Illud primum sic definiunt, esse dictum vel factum contra legem Dei, quo quis meritò offensus ita impingit, ut aut à profectu in fide, aut studio sanctae vitae impediatur ac retardetur. Ideò Tertullianus, libro de veland. Virg., tale scandalum vocat rei malae exemplum; nam revera nil aliud sunt quàm mala exempla. Talia scandala objiciunt improbi sua mala aut doctrina aut vita piis infirmis ac simplicioribus, eósque aut à fide abducunt aut ad similes malos mores impellunt. Ac de hoc scandali genere locutus est Christus, cùm dixit, *Mat.* 18. Si quis scandalizaverit unum ex his pusillis, expedit ut suspendatur collo ejus mola, &c. Tale certè scandalum nullum praebuit Paulus Ephesiis, quo debuerint ita offendi ut à doctrina deficere cogitarent.

Passivum seu acceptum scandalum aiunt esse dictum vel factum minimè per se malum, imò nonnunquam etiam sua natura optimum, quo tamen aut mali ita offenduntur, ut Christum ejúsque Evangelium & Evangelii professores magis ac magis persequantur: quales fuerunt Pharisaei, qui optima Christi doctrina & miraculis offendebantur: aut non mali sed imperiti homines & imbecilli fideles ita offenduntur & impingunt, ut à cursu pietatis impediantur: quales erant tempore Apostolorum multi infirmi, qui libertate vescendi omni ciborum genere offendebantur. Hujus generis nonnulli etiam fuerunt Ephesii, qui vinculis Pauli turbati fuerunt, ita ut jam de doctrina inciperent dubitare. Quasi verò ideò doctrina non esset ex Deo, quia Deus volebat Apostolum suum illis afflictionibus exercere, fidémque illius & constantiam mundo patefacere: cùm potiùs ea ratione voluerit Deus suam doctrinam confirmare, & tandem sanguine etiam sui servi obsignare. Scandalum igitur acceptum, non autem datum fuit. Nihil enim vel egerat vel dixerat aut docuerat Apostolus, unde illi meritò offendi debuerint & propterea defectionem à doctrina cogitare. Neque illae Pauli afflictiones ejus

fuerunt

fuerunt generis, propter quas debuerit quispiam de doctrina per illum praedicata dubitare.

Hinc sequitur *tertium*, quod nobis observandum est & ad Christianam doctrinam pertinet: nimirum tria esse afflictionum genera, à causis propter quas infliguntur petita. *Primum* est, cùm quis judicio etiam humano propter sua scelera patitur, poenásque dat suarum iniquitatum: ut homicidae, adulteri, blasphemi & hujus generis homines facinorosi. Quod certè afflictionum genus evitandum est omnibus, praesertim verò pietatem & nomen Christi profitentibus: quia hoc nomine ipsum etiam Evangelium malè audit: de qua re 1. *Pet.* 4. Ne quis vestrum affligatur ut homicida, aut fur. Hoc certè afflictionum genere non premebatur Paulus. Proinde non erat, cur propter afflictiones Pauli pudere deberet Ephesios doctrinae à Paulo acceptae. Sed licet etiam quis in talia labatur crimina, & propterea etiam publico supplicio afficiatur: non inde tamen effici jure poterit, fidem & religionem talis facinorosi hominis esse falsam eóque abnegandam. Vera enim religio non nititur moribus nostris, sed verbo Dei. Si verò accedat honestae etiam vitae testimonium, sicut in Paulo, multò minus causae datur cuipiam recedendi à fide.

Alterum est, quo Deus solet suorum sanctorum carnales affectus quotidianósque lapsus sine ulla infamia purgare, nos erudire & ut filios suos castigare: variis nimirum morbis, penuriis, persecutionibus, exiliis & aliis id genus crucibus: quas quis citra omnem infamiae notam perferre potest. Hoc alterum genus afflictionum ita commune est sanctis cum aliis omnibus, ut si quis velit ab iis externis communibúsque crucibus de veritate vel falsitate religionis alicujus judicare: is omnium judicio iniquissimus judicandus sit: praesertim cùm Deus hoc afflictionum genere solitus sit suos magis castigare, quàm reliquos punire. *Quos Deus diligit*, ait Apostolus ex Salomone, *corrigit & castigat. Hebr.* 12. Et oportet per multas afflictiones ingredi in regnum coelorum. Act. 14. Ergo neque hinc habebant cur offenderentur Ephesii calamitatibus Pauli, ita ut de pietate illius ambigere deberent.

Tertium afflictionum genus est, quando persecutiones & afflictiones manifestè patimur propter Christum, propter ejus doctrinam & fidem, & propter charitatem in proximum. De quo genere dixit Christus, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Matt 5. Tales fuerunt Prophetarum & Martyrum atque Apostolorum afflictiones. Proinde ad hoc etiam genus referendae sunt afflictiones Pauli, de quibus hìc loquitur. Itaque immeritò iis offendebantur Ephesii, ut nonnulli defectionem eam cogitare visi fuerint. Hoc igitur est quod ait, *Rogo ne deficiatis propter afflictiones meas pro vobis*: quasi dicat, Rogo ne iis offensi deficiatis: non enim sunt ejus generis, cur debeatis illo pacto offendi.

Hinc sequitur *postremum* caput, nimirum afflictiones sanctorum ornamentum & gloriam esse Ecclesiae. His enim Ecclesia celeberrimum sibi nomen comparat, & verò etiam ex his incrementum accipit, ut dicebat Tertullianus, *Sanguine Martyrum irrigari Ecclesiam Christi.* Proinde ait Apostolus, *Quae sunt gloria vestra*, si videlicet referas hoc dictum ad afflictiones, ut sit ἥ pro αἵτινες. Quare potiùs confirmanda est fides ex Martyrum sanguine, quàm ut cogitemus defectionem; & gloriandum est in iis afflictionibus, non dolendum.

Quòd

Quòd si particula illa Apostolî ἥ referatur ad verbum ne deficiatis, ut sit sensus, quae res (nempe constanter perseverare in fide) est gloria vestra & in hoc consistit gloria vestra, doctrinam hinc colligimus necessariam & ad salutem promovendam non parum utilem: nimirum nihil esse gloriosius & honorificentius, tum apud Deum tum in Ecclesia & apud omnes cordatos homines, constantia in vera religione, quam semel professus sis; & contra nulla re reddi homines magis infames inconstantia fidei doctrinae & religionis. Discamus igitur ex hoc loco constantiam in vera doctrina.

V. 14. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Externum gestum, hoc est, genuflexionem pro ipsa ardenti precatione posuit Apostolus.

Quatuor hîc docemur de invocatione seu de precatione.

1. *Qui nobis sit invocandus.* Deus & quidem Pater tanquam fons, sicut totius deitatis in Filio & in Spiritu Sancto, sic etiam omnium bonorum. Ideò ait, Ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. Neque enim excluditur Filius, cùm invocamus Patrem: cùm sint tres illae personae unus & idem Deus: sicut neque Pater excluditur, cùm invocatur Filius vel Spiritus Sanctus. Stephanus certè invocavit Filium in Actis, cap. 7. *Domine Jesu, suscipe spiritum meum, &c.* Et Johan. in Apoc. cap. 22. *Veni Domine Jesu.* Solent tamen Scripturae ad Patrem invocandum & verbis & exemplis nos exstimulare, nempe tanquam ad fontem (ut dixi), sicut totius deitatis, sic etiam omnium bonorum & gratiarum. Et sic Christus docuit, dicendo, *Dicite, Pater noster.* Vult enim eum invocemus non simpliciter ut Patrem Christi, sed ut Patrem nostrum.

2. Deinde docemur, *per quem* & in cujus fiducia invocandus sit Deus. Per Christum, tanquam per Mediatorem, & in hujus nomine atque fiducia: sicut Christus ipse docuit, dicendo, *Joh.* 15. Petite in nomine meo. Et ratio est, quia ad Deum accessus non patet nisi per Christum, ut suprà etiam docuit, cap. 2. & hîc cap. 3. v. 12. Nec fieri potest, ut quis verè audeat ad Deum invocandum accedere, nisi praeditus sit fide in Christum, qua certò persuasus sit Deum propter Christum sibi esse placatum peccatàque omnia condonasse. Ergo ad certam invocationem requiritur fides in Christum, ut in nomine Christi pérque fiduciam in Christum Deum Patrem invocemus. Hoc significare voluit Paulus in hoc versu, cùm dixit, *se genua flectere ad Patrem*, non simpliciter ad Patrem, sed ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, id est, Patrem illius, qui nos redimendo factus est Dominus noster, Patrémque suum nostrum etiam fecit Patrem.

3. Docemur praetereà, *pro quibusnam rebus* debeamus Deum invocare, quídve petendum: pro iis, scilicet, rebus, quas audimus per verbum Dei à nobis exigi nobísque mandari. Debent enim etiam petitiones nostrae esse ex fide: id est, de iis rebus, quas verbum Dei à nobis requirit & ad quas nos hortatur. Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est. Ideo Paulus doctrinae & adhortationi statim subjecit invocationem, petendo à Deo & precando Ephesiis ea, ad quae illos hortatus fuerat: docens suo exemplo, quid nobis quoque faciendum sit.

4.

4. Denique docemur hîc *quo animi affectu,* quóve etiam corporis gestu, invocandus sit à nobis Deus: animo humili atque supplici. Humilitas nascitur ex vera nostri nostrorùmque peccatorum & miseriae atque imbecillitatis cognitione. Proinde in veris precibus solet semper à Sanctis praemitti confessio peccatorum coram Deo, qua sese humiliant in ejus conspectu. Supplicatio oritur & excitatur tum ex cognitione indigentiae nostrae, tum ex cognitione ac consideratione majestatis divinae & gratiae bonitatis & misericordiae ipsius Dei in Christo. *Jes.* 66. Super quem respiciam, nisi super humilem & contritum corde? Notum etiam est exemplum publicani, qui procul stans percutiebat pectus suum, ac dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc.* 18. Cui opponitur Pharisaeus, qui inflatus sua externa justitia dicebat, Gratias ago, quòd non sum sicut caeteri homines, nec sicut etiam hic publicanus. Hîc igitur animi affectus cum primis in vera invocatione necessarius est. Si verò is adsit, fieri nequit quin etiam externi gestus, talem animi affectum exprimentes, consequantur: *qualis est genuflexio, pectoris contusio, manuum expansio & similes.* Etsi enim Deus propriè hos gestus non exigat, sed velit adorari in Spiritu & veritate: tamen quia corpus movetur ab animo, fieri nequit quin sicut affectus est animus, sic etiam externè moveatur corpus, & tunc ii gestus tanquam sinceri non improbantur Deo. Tales igitur gestus externi, quos dixi, & similes humilitatem animi spirantes & referentes, illos ferè qui ex animo invocant consequi solent, sicut etiam legimus in sacris literis de precibus piorum. Salomon levabat manus suas ad Deum versus arcam 1. Reg. 8. Daniel procumbebat in genua tribus vicibus per singulos dies, *Dan.* 6. Publicanus autem stans orabat, *Luc.* 18. David sedendo oravit. 1. Paralip. 17. Et Elias subtus junipero sedendo itidem oravit Dominum. 1. Reg. 19. Caeterùm familiarissima & usitatissima fuit genuflexio sanctis omnibus & Christo ipsi in invocatione de rebus gravissimis, & cùm gravibus premebatur calamitatibus. Christus in horto procubuit in faciem. Sic Paulus hîc ait de se, Flecto genua mea.

V. 15. *Ex quo omnis* (vel tota) *familia in coelo & terra nominatur.*

1. Si illud ἐξ οὗ referatur ad Patrem (ut patres interpretati sunt) causam hîc habemus, cur Deus ab omnibus & pro omnibus invocandus sit: nimirum quia omnium Deus est & Pater, à quo omnes, tam Gentium quàm Judaeorum, familiae sunt. Rationem hanc etiam alibi affert Apostolus, ut ad Timoth., cum rationem addens, cur pro regibus etiam impiis jusserit orari, ait: *Unus enim est Deus* (nempe omnium), *unus & mediator Dei* (nempe unius omnium) *& hominum*, omnium scilicet, 1 Tim. 2. Nemo ergo arcetur ab invocando Deo, & nemo est, pro quo precari Deum non possimus & debeamus: quia Deus omnium est Deus. Id liquet, quia ab ipso omnes hominum ubique locorum familiae. At, dices, orandum igitur fuerit non solùm pro omnibus hominibus vivis, sed etiam pro mortuis? Mortuorum enim quoque Deus est, quatenus, scilicet, eorum etiam creator & dominus est. Resp. Primum, pro vivis orandum esse infinitis locis sacrarum literarum demonstratur: at pro mortuis nullum in Canonicis

nonicis libris habemus testimonium. Debet autem oratio fieri ex fide. *Secundo*, Si oratio pro gratiarum actione accipiatur, pro ipsis quoque demortuis sanctis orari posse, id est, agi gratias Deo, quòd illos, scilicet, donarit perseverantia in finem usque & tandem in coelum receperit, non inficiamur, quia hoc non pugnat cum sacris literis. Et sic oravit vetus Ecclesia, sacrificiúmque, scilicet, laudis obtulit pro mortuis in Domico: sicut in λειτουργίᾳ Chrysostomi & aliorum liquet. At si orationem pro petitione accipias, quid pro ipsis peti aliud potest, quàm ut suo tempore resurgant? Jam enim beati sunt & nihil eis addi potest, quàm corporum resurrectio. Pro damnatis verò jam & in tartarum detrusis nihil peti à nobis potest vel debet. Sunt autem omnium demortuorum animae vel in coelo cum Christo, vel in tartaro cum Satana. Caeterùm pro viventibus adhuc in terra & peregrinantibus omnibus invocandus est Deus, quia omnium Deus est: & ab ipso sunt omnes familiae (ut ait Apostolus) in coelo & in terra. Atque hoc observatum esto, si illud ἐξ οὗ ad Patrem referatur.

Si autem ad Christum: *Primum*, eandem habemus doctrinam de Deo Patre pro omnibus, tam Gentibus quàm Judaeis, invocando, ídque per eundem Christum: quia omnes, qui credunt in Christum, ad unam & eandem pertinent familiam Dei; & sicut unus est omnium hominum Deus, sic etiam unus est Dei & hominum Mediator Jesus Christus. *Deinde*, multiplicem hîc habemus doctrinam de Ecclesia: *Primo* unam tantùm esse Dei Ecclesiam, quia una est πατριὰ, *id est*, familia: ac proinde Ecclesiam, quae fuit ante legem & quae sub lege & quae post legem, sub gratia non fuisse reipsa diversas sed unam & eandem. *Secundò*, hanc esse sanctam, non tam nomine quàm re, tum quia constat ex filiis Dei, veri omnium Electorum Patris (est enim πατριὰ à patre dicta), tum quia omnes insiti sunt Christo, & non solùm vocantur à nomine Christi Christiani, sed etiam sunt reapse Christiani: propter Spiritum Christi Sanctum, quo omnes donati sumus. Nam qui non habet Spiritum Christi, is non est ejus. *Tertiò*, Ecclesiam hanc esse amplissimam & verè Catholicam, respectu & locorum & temporum. Est enim in coelo totúmque illud occupat, & est in terra, in omnes terrae partes diffusa; fuit etiam semper à condito orbe & in finem usque continuabitur, quia una semper fuit & tantùm est πατριὰ, omnes complectens filios Dei, quocunque fuerint unquam tempore; & denique non constat Ecclesia haec ex una tantùm gente Judaica, sed etiam ex omnibus populis & nationibus omnibúsque hominum generibus, qui filii Dei facti sunt per adoptionem & per regenerationem Spiritus Sancti: atque adeò etiam ex Angelis constat, qui in coelo sunt Nam ipsi etiam filii Dei vocantur & sunt: ideò unum & eundem Patrem habent nobiscum, & unum & idem caput, unúmque & eundem Dominum ac Regem Jesum Christum. Est igitur Ecclesia haec verè Catholica, omnibus iis respectibus locorum temporum & personarum. Totum autem hoc uno verbo docuit Apostolus, dicendo, A quo, Christo, tota πατριὰ vocatur in coelo & in terra: ac proinde ad extremum docet Apostolus, qui ad Ecclesiam hanc pertinuerunt unquam aut pertinent, eos omnes fuisse & esse Christianos: quia tota Ecclesia à Christo denominatur. Falli igitur turpissimè liquet eos, qui Ecclesiam Christianam alligant aut certis locis, sicut primò fecerunt Judaei & deinde Donatistae:

tistae: aut certis personis certaeque Genti, sicut itidem hac in parte peccarunt Judaei: aut alligant certis temporibus, sicut Fanatici multi, qui Ecclesiam Christi non nisi post adventum Christi in carne coepisse docuerunt, & negarunt Patriarchas & alios pios, qui praecesserunt Christi adventum, fuisse Christianos aut ad Ecclesiam Christi pertinuisse; cùm tamen omnes in uno & eodem Christo fuerint nobiscum electi ab aeterno: omnes per unum & eundem Christum redemti: omnes per eandem fidem in Christo facti filii Dei & salutis participes: omnes unum & eundem Spiritum Christi habuerint: omnes denique unius & ejusdem Coelestis patriae ac Regni nobiscum facti sint haeredes: quemadmodum in cap. 4. de unitate Ecclesiae docet Apostolus.

Postremo colligimus ex hoc versu, Ecclesiam alligatam esse Christo: ab ipso enim nominatur & est. Quicunque igitur Christo adglutinatus est per ejus Spiritum & per fidem: is est verum Christi & Ecclesiae membrum, ubicumque locorum sit; & ab Ecclesia non excluduntur, nisi qui carent Spiritu Christi.

V. 16. *Ut det vobis juxta divitias gloriae suae, ut potentia* (seu virtute ejus Dei) *corroboremini per Spiritum suum in interiori homine.*

Duo hîc habemus praecipua observatione dignissima.

Primum, quod Apostolus precatus est à Deo suis Ephesiis dari donum fortitudinis atque constantiae, nimirum in vera pietate adversus omnes hostes omnésque hostium tentationes, ídque fecit sapientissimè. Ephesii enim inceperant quidem, bonàque jecerant fundamenta: sed nondum eorum aedificium absolutum fuerat. Sicut autem non inceperant ex sese, sed Deus inceperat in eis bonum opus: sic neque poterant suis viribus inchoatum opus perficere: praesertim cùm versarentur in maximis periculis propter falsos doctores, qui post captum Paulum subintroierant & vexabant Ecclesiam illam, ut desisterent ab incepto: id quod certè facturi erant, nisi donum accepissent fortitudinis & perseverantiae in vera pietate. Meritò igitur donum hoc illis precatus est priori loco Apostolus: quia hoc in primis erat necessarium.

Quare discimus & hanc docemus doctrinam: iis quidem, qui nondum ad Christum conversi sunt verámque pietatem nondum amplexi, debere nos precari veram conversionem & ut aedificentur super Christum: sed iis, qui conversi jam sunt, ipsam constantiam ac inchoati aedificii perfectionem petendam esse à Domino. Utrumque enim Dei donum est. Ideò Apostolus ad *Phil.* 1. Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro illo.

Unum significat initium, alterum consummationem & perseverantiam. *Non enim qui incepit, sed qui perseveraverit, salvus erit.* Quòd si petere hoc debemus à Deo, debemus etiam pro gratia nobis data navare operam, ut id consequamur, donum, scilicet, fortitudinis & perseverantiae. Quò illud Apostoli spectat. 1. *Corinth.* 9. Sic currite, ut comprehendatis. Sicut enim vult ut petamus panem quotidianum nobis dari, & interim mandet, *in sudore vultus nostri vescamur pane nostro, & ut qui non vult laborare, is etiam non manducet:* sic

sic etiam in donorum spiritualium consecutione eundem à nobis ordinem servari vult. Proinde Apostolus non solum precatus est Ephesiis donum hoc & alia quae sequuntur: verum etiam primum ad hanc constantiam hortatus est, & deinde significavit illis per literas, se hoc facere officium apud Deum Patrem. Quorsum verò? Ut ad idem faciendum & ad studendum constantiae incumberent, nervósque omnes intenderent. Hoc est primum.

2. *Deinde* ex hoc dono fortitudinis & constantiae generalem colligimus doctrinam de omnibus aliis virtutibus. Videndum igitur quid de hoc hîc scribat Apostolus.

Primum ait, Det vobis (nempe Deus Pater, ad quem flecto genua.) Ergo Deus Pater prima est causa virtutum omnium in nobis efficiens: confirmante hoc *Jacobo* c. 1. Omne bonum & omne donum sursum est, descendens à Patre luminum.

Secundò, Ad cujusnam intercessionem & propter quem dat? Propter Christum Filium suum. Ideò vocavit Patrem Jesu Christi.

Tertiò, Per quem dat & distribuit sua in nos dona? per Spiritum Sanctum: ideò ait, Per Spiritum suum.

Quartò, Quaenam est causa impulsiva, unde Pater moveatur ad sua dona nobis communicanda? Ab immensa sua bonitate & misericordia, cum infinita potentia conjuncta: ideò ait, Secundum divitias gloriae suae. Non igitur à nostris meritis. Qua particula docet etiam, suae bonitatis & potentiae thesauros esse inexhaustos.

Quintò, Quánam re simus fortes? Potentia & virtute, non humana sed divina: Ideò ait, *Corroboremini potentia, nempe Dei.* Omnes igitur virtutes in nobis excitantur consistunt & nituntur δυνάμει & virtute Dei, nihílque aliud revera sunt, quam vis quaedam divina per Spiritum Sanctum in nobis creata, excitata, accensa, qua boni, qua fortes, qua sapientes, qua justi, qua denique sumus tales, quales Deus nos esse vult, & qua possumus quicquid possumus boni. Hanc Dei δυνάμιν Petrus vocavit divinam naturam: Ut efficeremini (inquit) participes divinae naturae, 2. Pet. 1. Nomine naturae hîc creatam qualitatem, qua fimus Deo similes, intellexit. Paulus vocavit gratiam: Gratia Dei sum id quod sum: & Gratia ejus in me vacua non fuit. 1. Cor. 15.

Sextò ait, In interiori homine. Hoc nomine diximus demonstravimúsque ex 2 Cor. 4. significari partem hominis praecipuam, Mentem scilicet, quae intellectu & voluntate constat, & quae cordis, in quo vigent affectus, nomine indicari solet: sicut contra nomine exterioris hominis aliud intelligi non potest quàm pars hominis corporea, quae vegetatur, quae sentit, quae loco movetur. Haec enim pars aetate, laboribus, vigiliis, & aliis rebus adversis corrumpitur & consumitur. At non sic Mens, altera hominis pars: imò, si renata sit, eo fortior quo caro redditur infirmior: *cum infirmor*, dicebat Paulus, *tum fortior sum.* Hac igitur particula, *In interiori homine*, docet Apostolus, sicut donum fortitudinis, sic etiam reliquas spirituales virtutes sedem non habere in parte vegetativa, sed in mente, in corde, in Spiritu. Confirmatur haec doctrina illis Christi verbis *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Nomine spiritus interiorem hominis partem sed renatam intellexit. Nam sine renascentia ipsa quoque caro est infirma, sicut & reliquae hominis partes animales.

males. Ergo hac particula docemur, *Primum* quidem corporis imbecillitatem, sive ea sit ex causis internis, mala constitutione, malo temperamento, senecta, morbis, sive ab externis causis, persecutionibus, carceribus, aliísve incommodis: docemur, inquam, exterioris hominis infirmitatem impedire non posse, quin interior virtute Dei corroboretur: id quòd manifestè videmus in Sanctis, quando vel naturali vel violenta propter Christum morte hinc decedunt. *Deinde* hîc monemur, quo magis exterior homo corrumpitur, eo diligentiùs incumbendum nobis esse, ut interior corroboretur per Spiritum Sanctum. Et hoc potissimum precibus ad Deum ardentibus, ut hîc docet Paulus suo exemplo. Atque haec de doctrina, quae ex v. 16. colligi à nobis potuit.

V. 17. Ut inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati.

De constructione horum verborum diximus satis.

Non est autem, ἵνα ἐνοικήσῃ ὁ Χριστὸς, ut inhabitet Christus: sed infinitivus est, ἐνοικῆσαι τὸν Χριστόν. Non igitur hîc ab Apostolo additur causa finalis, cur precetur ut sint corroborati in interiori homine, sed secunda est petitio, & quidem talis petitio, ut etiam sit explicatio prioris petitionis. *Prior haec fuit*, Det vobis τὸ κραταιωθῆναι: *Secunda*, det vobis τὸ ἐνοικῆσαι τὸν Χριστὸν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Corroboramur autem per Spiritum Sanctum in interiori homine, cùm Christus inhabitat in cordibus nostris. Christus enim non separatur à suo Spiritu, nec Spiritus à Christo. Ideò quod Scriptura attribuit Spiritui Sancto, corroborationem nostri, idem Paulus alibi attribuit Christo. *Philip.* 4. Omnia possum in eo, qui me confortat, Christus, ἐνδυναμοῦντι, id est, qui δυνάμει sua me corroborat. Actiones enim Dei in nobis communes sunt trium personarum: quia Pater agit per Filium in Spiritu Sancto, & in Filio per Spiritum Sanctum. Ac quod supra dixit, *In interiori homine*, hîc ait, *in cordibus vestris.* Est igitur haec altera petitio prioris etiam explicatio.

Caeterùm Phrasis haec, Christum inhabitare per fidem in cordibus nostris, diligenter nobis explicanda est: tum quia in hac summa salutis nostrae consistit, adeóque & totius fermè Christianae religionis mysterium continetur: tum quia ad falsa etiam dogmata stabilienda dicto hoc nonnulli abutuntur, quasi Christus ideo suò corpore in nostris cordibus realiter existat, quia in cordibus nostris habitat.

Sunt autem quatuor hîc dictiones, *Prima*, Christus: *Secunda*, inhabitat: *Tertia*, in cordibus nostris: *Quarta*, per fidem. Singulas igitur explicemus oportet, ut totam sententiam intelligere possimus.

Primùm Nomine Christi personam Filii Dei, quae immensa & simplicissima est, sed cum humana natura finita & composita in unitatem ejusdem personae assumta, inseparabiliter conjunctam intelligimus: ac proinde nomine Christi, illum, qui & Deus est & homo, significari credimus & confitemur. Quare neque cùm Paulus dicit, Christum habitare in cordibus nostris, alium inhabitare dicimus, quàm illum Dei Filium, qui Deus & homo simul est: eóque Christum Deum & hominem in nobis esse & in nobis manere atque habitare dicimus.

Quò

Quò pertinent multa similia loca: ut illud 2. *Cor.* 13. An nescitis quod Christus in vobis est, nisi estis reprobi? Item *Joh.* 14. Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Item *Galat.* 2. Vivit in me Christus. Adde & hoc, quòd nos quoque dicimur caro esse de carne ejus & ossa ex ossibus ejus: nósque revera sumus & animo & corpore Christo uniti ac copulati, nexu Spiritus ipsius Christi: non minùs quàm membra corporis cum capite vi animae & nervis ac ligamentis conjuncta sunt. Itaque totum Christum in nobis inhabitare intelligimus, non autem partim habitare & partim non habitare, quando & ejus persona simplicissima atque impartibilis est & natura humana ab eo est inseparabilis. Adde quòd in nobis agit, operatur, regnat, nos vivificat, non solùm sua Deitate, sed etiam carne, ut Johan. 6. explicatur. Totus igitur Christus habitat in omnibus nobis & in singulis nostrûm.

Caeterùm negamus propterea consequi corpus & animam Christi sua substantia in nostris cordibus non minùs realiter existere, atque etiam ibi existit persona Filii Dei. Ratio est, quia persona ipsa simplicissima est & immensa. Anima autem & corpus Christi non ita. Proinde quòd personae datur, non potest statim dari corpori assumto. Non pugnat enim nullámque contradictionem implicat, quòd persona Filii Dei habitet & sit in cordibus nostris, quia immensa & infinita est: neque quòd tota inhabitet, quia simplicissima est & impartibilis. At verò contradictionem implicat, si idem de corpore Christi affirmes, dicásque illud realiter suáque substantia in nobis, adeóque ubique locorum, existere. Ratio, quia ipsum corpus non est immensum neque simplex. Si autem non minùs realiter sit sua substantia in nobis & ubique, quàm etiam est persona Filii Dei: efficietur corpus hoc etiam simplex esse & infinitum: ita contradictio implicabitur. Atque haec responsio satis sit in praesentia, ubi disputationem hac de re non instituimus: sed tantùm, quomodo intelligendum sit dictum Pauli, Christum habitare in cordibus nostris, declaramus. Ad exceptionem, si tota persona habitat reapse in nobis, igitur etiam corpus & anima in nobis realiter existunt, non minùs quàm persona: negatur sequela. Ad probationem, corpus est pars personae: negatur assumtum, si partis nomen propriè accipiatur. Persona enim simplex est, non composita ex partibus. At corpus assumtum est à Filio Dei ὑποστατικῶς. Resp. Verò ὑποστατικῶς, *id est*, non ad constitutionem personae, sed tantùm in unitatem personae. & idcircò gestatur à persona assumente & ab ea inseparabile est, sed pars personae, propriè loquendo, non est neque dici potest. Quare argumentum in hac re à toto ad partes nullum est; cum neque anima, neque corpus in Christo partes sint illius divinae, simplicissinae, aeternae, perfectissimae, infinitae personae, à qua assumta sunt in ejusdem personae unitatem, non autem ad personae constitutionem, & neque aut in naturam divinam, quae est in Filio, sint mutata, neque suis naturalibus proprietatibus depositis divinae illius naturae proprietates sibi sumpserint: ita ut quod convenit divinae naturae, idem etiam humanae, & quod personae assumenti, idem etiam assumto corpori & animae convenire dici queat. Interim, quia nexu Spiritus Christi nos nostráque corda, atque adeò nostra corpora vita & reali sed spirituali unione cum tota Christi persona, eóque & cum assumta carne con-

juncta

juncta sunt, atque ita conjuncta sunt ut Christus non solùm sua deitate suóque Spiritu, verùm etiam per suam carnem nos vivificet, in nobis agat, et in nobis regnet: idcircò etiam credimus docemúsque totum Christum, & *qua Deus & qua homo est*, in nobis esse & in cordibus nostris inhabitare, quanquam re ipsa corpus & sanguis & anima Christi neque in terris neque in nobis realiter sua substantia existant, sed in coelo.

Nunc tenemus, quid intelligendum sit nomine Christi in hac propositione, Christus habitat in cordibus nostris. Hoc etiam clarius fiet ex aliarum dictionum explicatione, praesertim ex verbo inhabitandi.

Ad *secundam* igitur quod attinet dictionem, *Habitandi* verbum in hac propositione, Christus habitat in cordibus nostris, μεταφορικῶς positum esse dubium non est: sumta metaphora ab illis, qui non ut inquilini & peregrini in hoc hospitio alieno morantur ad tempus, sed à patribus familiâs, qui in suis propriis aedibus liberè vivunt, operantur, familiam regunt & dominantur. Juxta hanc significationem Christus quoque Deus & homo μεταφορικῶς dicitur habitare in nobis & in cordibus nostris. Confirmatur haec interpretatio aliis locis sacrarum literarum. De peccato etiam, tanquam de persona quadam & de tyranno, Paulus ita loquitur *Rom.* 7. Non ego operor illud, sed quod inhabitat in me, hoc est, in carne mea peccatum. Quidnam verò est peccatum in carne nostra inhabitare? Est ibi tanquam in proprio domicilio vivere, securè agere & efficaciter. Sic de Spiritu Sancto idem Apostolus *Rom.* 8. Vos non estis in carne, sed in Spiritu, siquidem Spiritus Christi habitat in vobis, nempe tanquam in suo proprio domicilio & templo, hoc est, vivit in vobis potentérque agit, vos regit & in vobis regnat. Eodem sensu intelligitur promissio Dei, quam citat etiam Apostolus 2. *Cor.* 6. Inhabitabo in illis & inambulabo, id est, in eis, tanquam in meo proprio regno, vivam, agam, regam, regnabo. Sic igitur etiam Christus in cordibus fidelium, tanquam in sua propria domo, habitare, *id est*, vivere, agere, operari, regere & regnare dicitur.

Vivere porrò in illis dicitur Christus, quos vivificat facítque ut opera vitae praestent, vivántque Deo. Sic *Galat.* 2. Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Quid hoc sibi vult? Ait, Quod enim nunc vivo, in fide vivo Filii Dei. Christus igitur dicebatur vivere in Paulo, quatenus eum vivificabat, faciebátque eum vivere in fide Christi. Proinde non dicitur unquam Deus aut Christus aut Spiritus Sanctus habitare in impiis, neque in eis vivere. Quid ita? Propterea, quòd illos non vivificant, non regunt, non operantur in eis opera vitae. Ita Augustinus Tom. 2. ad Dardanum ait, Deum ubique & in omnibus esse per praesentiam Deitatis: sed non in omnibus inhabitare aut in omnibus esse per gratiam inhabitationis, sed tantùm in sanctis. Concludit etiam idem Augustinus in nemine habitare Patrem, in quo non habitat Filius & Spiritus Sanctus; & contra etiam in nemine Filius habitat aut Spiritus Sanctus, in quo non etiam Pater. Neque etiam aequaliter Deum in omnibus habitare docet: sed ubi & plura & efficacius operatur, in eo etiam magis habitare quàm in alio. Ex his igitur omnibus manifestum est, *habitare* in hac propositione nil aliud significare, quàm Christum in nobis esse, efficaciter operari, nos vivificare, regere ínque nobis regnare. Atqui Christus non solùm

suo

suo Spiritu, sed etiam sua carne & sanguine nobis per Spiritum suum communicatis, nos vivificat, nutrit, regit, efficaciter operatur, ita ut caro nostra communicatione carnis Christi fiat indies magis ac magis de carne ejus, atque arctiùs incorporetur, etiamsi illa maneat in coelo, nostra autem in terris.

Annon igitur perspicuum fit, verè dici totum Christum in nobis habitare *& qua Deus & qua homo est,* quanquam idem Christus sua carne & anima in coelo tantùm realiter existat, non autem in nobis? Simile solis notum est, qui licet suo corpore in coelo maneat, propter continuationem tamen radiorum suorum verè dicitur esse super terram & in terra atque in aëre.

Radix arboris quanquam sua substantia subtus terram sit, non malè tamen dicitur esse in ramis. Quo sensu? quatenus in illis est per succum suum, quem in illos immittit, quo illos vivificat, regit, frugiferos reddit. Et rex dicitur habitare in toto suo regno, quia totum regit & ubique regnat. Hîc tamen amplius est, quàm in hoc simili regis: quia persona Christi reipsa in nobis est & habitat, utut caro ejus reipsa in coelo sit & maneat. Summa haec est: Deum magis dici habitare in nobis propter actiones ejus in nobis, proptérque praesentiam gratiae, quàm propter praesentiam essentiae. Non enim in impiis habitare dicitur, quibus tamen praesentia suae essentiae adest.

Explicatio etiam nominis *fidei* idem confirmat. Fides duas habet proprias & essentiales actiones: unam in mente, qua intelligimus & novimus Christum ex verbo: alteram in voluntate, qua eundem Christum volumus & amplectimur. Fide autem totum Christum novimus, ut Deum scilicet & hominem, eóque perfectum redemtorem, quemadmodum in ipsius verbo describitur. Fide etiam totum Christum volumus & amplectimur. *Eatenus verò Christus dicitur habitare in nobis & in cordibus nostris per fidem*, *quatenus apprehensus à nobis per fidem in nobis vivit, nos vivificans & regens.* Cùm igitur totus apprehendatur, totus etiam inhabitet necesse est.

Sed quaestio hîc moveri potest, quomodo dicatur Christus habitare in nobis per fidem & non potiùs per Spiritum Sanctum? Sicut enim per fidem nostram nos illi inserimur & in eo sumus, sic ipse per suum Spiritum sese nobis adjungit & in nobis manet, habitat, regnat. Sed locutio Apostoli corrigi non potest, qui ait Christum habitare in cordibus nostris per fidem, scilicet, nostram. Etsi enim magis propriè habitare in nobis dicitur per Spiritum suum, quàm per fidem nostram, quia per suum Spiritum nos regit nósque vivificat & in nobis manet, quia ipse cum suo Spiritu causa efficiens est istius mansionis & habitationis, imò quia per Spiritum suum in nobis prior est, ideò fidem etiam in nobis excitat: tamen non incongruè etiam dicitur per fidem in nobis esse & habitare, quia per ipsam, tanquam per instrumentum ad id accommodatum, à nobis apprehenditur & ita apprehensus manet in nobis. Sicut contra etiam, licet per fidem nostram nos propriè Christo inseri & in eo esse ac manere dicamur, quemadmodum ipse per suum Spiritum in nobis: tamen in sacris literis nos quoque dicimur habitare & esse in Christo non minùs, quàm ipse in nobis per eundem Spiritum. Et ratio est, quia ordine naturae *ipse prior nos sibi copulat per nexum sui Spiritus : quàm nos fidem sentiamus, qua illi adhaereamus illúmque amplectamur.* Sol suis radiis suáque luce nostros priùs oculos

oculos percellit, illustrat, séque illis adjungit, quàm nostri oculi illum percipiant, séque illi & vicissim illum sibi uniant. Locus perspicuus est in 1. *Joh.* 4. *v.* 13. Per hoc cognoscimus in eo nos habitare & ipsum in nobis, quòd de Spiritu suo dedit nobis. En quomodo per eundem Spiritum & Christus in nobis & nos in Christo dicimur habitare, & hoc etiam à nobis cognoscimus per eundem Spiritum nobis communicatum ínque nobis habitantem. Spiritus enim Sanctus nexus est, quo Christus nobis & nos Christo unimur & agglutinamur. De caritate quoque nostra, quae est effectus Spiritus Sancti in nobis, ita scribit idem *Joh.* Qui manet in caritate, in Deo manet & Deus in eo. Ita igitur etiam de fide nostra. Utrumque rectè dicitur, nempe & quòd nos per fidem in Christo simus & maneamus, & quod Christus per eandem fidem habitet in cordibus nostris: quia per illam à nobis apprehenditur & apprehensus in nobis manet. Palmites etiam in vite vel rami in arbore manent per insitionem, & per eandem insitionem vitis in palmitibus & arbor in ramis esse dici potest. Discrimen tamen hoc notandum est in dicto Joh. 1. *Joh.* 4. Christus habitat in nobis activè, quia in nobis est, nos vivificans, regens, sustentans. Nos verò habitamus in Christo quodam modo passivè, quia in eo sumus vivificati, gubernati, sustentati. Ipse enim est in nobis, sicut paterfamiliàs in aedibus suis familiam regens: nos verò sumus in Christo, sicut liberi in domo patris à patre sustentati. Atque hoc de tertio, & ad quaestionem propositam satis.

Quarta dictio explicanda est, quòd ait, *in cordibus nostris:* Johannes tamen dicit in nobis simpliciter. Et noster Paulus alibi, ut ad Corinthios, ait, nostra corpora esse templa Spiritus Sancti, eóque & Christi. 1. *Cor.* 6. Habitat igitur etiam in corporibus nostris. Caeterùm ideò Apostolus hîc speciatim nominavit cor, & antè interiorem hominem, ut ostenderet Christum praecipuam nostri partem & quasi arcem in primis occupare suo Spiritu, indéque totos nos regere & vivificare. In corde enim est fons vitae & in eo vigent affectus. Accedit alia ratio, cur sic locutus sit, nempe ut doceret Christum non habitare in nuda mente per solum cognitionem, neque in lingua per solam confessionem, sed propriam ipsius sedem esse cor, quo significatur voluntas & amor. Ergò sine caritate Christus in nobis non habitat, ideò ait. 1 *Joh.* 7. Qui manet in charitate, in Deo manet. Diximus quoque fidem habere duplicem operationem, unam in mente nimirum cognitionem Christi, alteram in corde & voluntate assensum, scilicet, quo Christum amplectimur. Minimè igitur dici potest per fidem habitare in cordibus nostris, nisi fides sit viva, Christum amplectens & complectens, & efficax per dilectionem. Proinde conjunxit Apostolus cum fide charitatem, dicendo: *In charitate fundati.* Imò quia Christus habitat in cordibus nostris, ideò donat nos & cognitione sui in mente & amore in corde. Sunt autem haec effecta habitationis Christi. Ita apparet, sententiam hanc Pauli brevem, *Christus habitat per fidem in cordibus nostris,* summam continere totius mysterii pietatis & salutis nostrae.

Summa in his tribus consistit. *Primum*, ut intelligamus, Christum totum Deum & hominem in nobis inhabitare & corda cumprimis nostra occupare. Si enim ideò per fidem dicitur in nobis inhabitare, quia per fidem à nobis apprehenditur & intra nos retinetur: fides autem eatenus Christum apprehendit, quatenus in verbo proponitur. Pro-

Proponitur autem nobis in verbo Christus & totus & qualis est *Deus verus verúsque homo perfectúsque servator*. Ergò manifestè conficitur, totum Christum, *& qua Deus & qua homo est*, in nobis habitare.

Secundò, hoc idem praeter alia argumenta inde quoque luce clariùs elucescit, quia scriptura sancta, cum nos ait inseri & incorporari Christo ínque illo esse & in illo manere, toti Christo, adeóque etiam carni & sanguini ejus adglutinari nos & incorporari intelligit, non glutine quidem corporali sed spirituali, id est, nexu Spiritus Sancti, qui res procul etiam & magnis locorum spatiis naturaliter à se distantes simul in unum corpus conjungit, atque etiam in unum novum hominem, ut Paulus dixit cap. 2. Quid igitur mirum, quod Christus etiam totus in nobis inhabitet? Hoc est primum.

Alterum, in quo vera hujus dicti intelligentia consistit, est, ut sciamus Christum ideo dici habitare in nobis, non tam quia praesens est in nobis praesentia suae personae & Deitatis, ut loquitur Augustinus, quàm quia praesens est praesentia suae gratiae, id est, quia suam gratiam suaeque gratiae effecta in nobis exerit, *nos vivificando*, *regendo*, *sanctificando*, *agendo;* quando hoc proprium est Patris familias domum aliquam inhabitantis. Nam impiis quoque & rebus omnibus praesens esse dicitur Deus suâ essentia, sed nunquam in eis inhabitare.

III. Denique in hoc etiam posita est vera hujus aureae sententiae interpretatio, nempe ut certo sciamus inhabitationem hanc Dei & Christi in nobis esse perpetuam: tum quia aliud est πάροικεῖν & aliud ἐνοικεῖν: tum quia Scripturae docent Deum non habitare nisi in suis electis, qui sunt templum ipsius. Adde, quòd inhabitat per fidem, fides autem electorum perpetua est, nec unquam penitus deficit. Et promissio est Dei de Electis, *dabo timorem meum in cordibus eorum, ut non recedant à me*. Si pii non recedunt à Deo, neque Deus ab ipsis: quare perpetua est Dei & Christi in cordibus nostris inhabitatio. Quòd igitur Paulus precatus est nobis, ut Christus per fidem inhabitet in cordibus nostris, precatus est summam aeternae salutis.

Dum item precatus est Paulus, ut Christus inhabitet per fidem in cordibus nostris, precatus etiam est fidei perpetuitatem, quia sine illa in nobis Christus non habitat. Charitatis quoque incrementum & perpetuitatem precatus est, cùm dixit, *Ut charitate radicati & fundati valeatis, &c.* Fuit autem precatio Pauli ex fide, quae verbo Dei nititur & divinis promissionibus. Novit igitur Apostolus Deum promisisse suis electis fidei & charitatis perpetuitatem, seu perseverantiam in fide ac charitate. Ita sunt ea dona Dei per se & dona in Electis perpetua.

v. 18. *Ut* (radicati & fundati in charitate) *valeatis assequi cum omnibus sanctis, quae sit longitudo, latitudo, profunditas & sublimitas.*

Diximus nomine charitatis ab aliis intelligi charitatem Dei erga nos, ab aliis charitatem nostram erga Deum & proximum: utramque autem simul intelligi posse diximus, quanquam magis inclino in posteriorem sententiam: quoniam de charitate Dei ac Christi statim, ver. 19., subdit, *Et ut cognoscere va-*

valeatis charitatem Christi. Si priorem sequimur interpretationem, hanc doctrinam colligimus:

1. Charitatem illam Dei erga nos veram radicem esse firmùmque fundamentum salutis nostrae. In ea verò nos radicari & fundari tum demum dici, cum de illa ita sumus persuasi, ut possimus cum Apostolo dicere: Quis nos separabit à charitate Christi? num oppressio, num angustia? *Item*, certus sum quòd neque mors neque vita, &c. poterunt nos separare à Charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro, Rom. 8.

Salus quidem nostra radicata & fundata est in illa charitate aeterna atque immutabili Dei, in Christo nos amantis. At nos tum demum dicimur in illa radicari & fundari, cùm ejus cognitio & sensus nobis donatur, & in tali sensu ac cognitione magis ac magis confirmamur. Inde enim fit ut certi fiamus de remissione peccatorum, eóque justificemur, & ut justificati pacem habeamus erga Deum, & ut in afflictionibus gloriemur, & ut oppressio patientiam in nobis efficiat, & patientia probationem, & probatio gignat spem, & spes non confundat. Quid ita? quia (inquit Apostolus) diffusa est charitas in cordibus nostris, Rom. 5. Charitas autem Dei dicitur in cordibus nostris diffundi per Spiritum Sanctum, cum donamur solida illius cognitione, sensu ac gustu. Loci illi duo Pauli ad Rom. cap. 5. & cap, 8. explicatio sunt hujus praesentis.

Quid ergo precabatur Apostolus nobis Gentibus, cùm orabat ut essemus in charitate Dei radicati & fundati?

Hoc nimirum, ut indies magis ac magis corroboraremur in vera ac solida cognitione, sensu ac gustu aeternae & immutabilis charitatis Dei in Christo erga nos Gentiles: nec putaremus solos Judaeos amari à Deo, quando pro nobis quoque mortuus est Christus. Sic autem Deus dilexit mundum (non solos Judaeos, sed mundum & ideò nos etiam) ut Filium suum unigenitum dederit, &c.

Altera doctrina, quam inde colligimus, est nos non posse assequi, quàm longè quamque latè pateat Regnum Christi, quantaque sit ejus profunditas atque sublimitas: nisi benè radicati & fundati simus in hac charitate Dei erga nos etiam Gentiles, eo scilicet sensu, quem declaravimus. Si enim charitas illa Dei, qua homines servantur, ad Judaeos tantùm restricta sit & non etiam ad Gentes extendatur: quae altitudo, quae longitudo, quae latitudo fuerit mysterii pietatis & regni Christi? Opus igitur est, simus radicati & fundati in sensu amoris Dei erga nos ac reliquas per totum terrarum orbem diffusas Gentes, si volumus assequi, quanta sit amplitudo regni Christi. Ideò meritò dixit Apostolus, Ut in charitate radicati & fundati assequi possitis, quae sit latitudo, &c.

2. Si verò charitatis nomen de charitate nostra interpretemur, cujus incrementum nobis precatus sit Apostolus; *Primum* nos dicimur in hac charitate radicari & fundari, cùm ex sensu dilectionis Dei erga nos in Christo declaratae. in nobis quoque dilectio & amor erga Deum vicissim accenditur & majus in dies accipit incrementum; ita ut nos dicamur in charitate radicari, dum illa altiores agit in cordibus nostris radices. *Deinde*, si ideò precatur Apostolus, ut in hac radicemur & firmemur, quo possimus assequi, quae sit amplitudo Regni Christi: hinc liquidò apparet, quò quis majori Dei & proximi dilectione affi-

afficitur, eò magis cupere regnum illius & salutem, non solum Judaeorum sed aliorum quoque per omnes mundi partes dispersorum populorum, longissimè & latissimè propagari. Est enim hoc desiderium charitatis effectum. Atque hoc est, quod pii omnes petimus in precatione, dicendo, *sanctificetur nomen tuum*, nimirum ubique & apud omnes Gentes. *Adveniat regnum tuum*, omnibus: *fiat voluntas tua* (ab omnibus) *sicut in coelo sic etiam in terra*, i. in omnibus terrae partibus. Desiderium autem hoc & petitio, sicut immediatè à charitate erga Deum & proximum nascitur: sic etiam ex fide concipitur, quae in verbum Dei ejusque promissiones de salute Gentium déque amplitudine regni Christi intuetur. Ita meritò dixit, Ut radicati in charitate possitis assequi, &c. Quare, quòd Judaei non possent capere, salutem ad Gentes quoque incircumcisas pertinere, & intra suam Gentem restringebant Regnum Dei & Ecclesiam: apertum dabant testimonium se neque Dei neque proximi vera affici dilectione. Cur enim hoc non intelligebant, cùm manifestae extarent promissiones in Prophetis? Quia non credebant. Quid obstabat, quò minùs crederent eóque amplitudinem regni Dei non perciperent? Φιλαυτία, qua se solos amabant, non autem proximum, imò neque Deum. Hoc igitur retineamus, sicut quò magis crescit fides, charitas quoque sit major: sic etiam vicissim, quò ardentiori charitate corda nostra afficiuntur, eò etiam mentes nostras majore & splendidiore lumine illustrari, atque ad mysteria Dei intelligenda aptiores fieri. Confirmatur hoc illo quod addit Apostolus, dicendo, Cum omnibus sanctis. Docet enim solos sanctos posse assequi, quae sit latitudo, longitudo, profunditas & sublimitas hujus regni. Sancti autem nulli sunt, qui dilectione vera Dei & proximi destituuntur.

3. Itaque haec etiam doctrina retinenda est, non nisi à sanctis verè intelligi posse mysterium pietatis & amplitudinem regni Christi. Animalis homo non percipit ea quae Dei sunt, nec potest percipere. 1. *Cor*. 2. Interim discrimen est observandum, quòd non omnes sancti, dum peregrinamur à Domino, non *(inquam)* omnes sancti eodem haec percipiant modo: sed alii clariùs, alii minùs clarè. At verò in coelo nullam hac in parte inaequalitatem agnosco. Omnes simul videbimus & Regem & Regnum, sicuti est: *& omnes fulgebunt sicut sol in conspectu Dei. Et Deus erit omnia in omnibus.* Ad quam cognitionem allusisse Apostolum non dubito, propter particulam, σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, & propter id quod sequitur v. 19. *ut impleamini in omnem plenitudinem illam Dei.*

v. 19. *Et* (rogo ut) *cognoscere* (possitis) *illam, quae omnem superat cognitionem, Christi charitatem: ut impleamini ad omnem usque plenitudinem illam Dei.*

Ut duo sunt hîc membra, sic duo ad doctrinam pertinentia observanda sunt. Primum est de incredibili & incomprehensibili charitate Christi erga nos. Omnem *(inquit)* superat cognitionem, nempe humanam, atque adeo etiam Angelicam.

Primùm enim, quis comprehendere queat, *quod Filius Dei ita nos amarit, ut factus sit homo, eóque Christus?* Neque enim Filius Dei reipsa fuit Christus, nisi postquam factus est homo. Incarnationis autem cognitio omnem

nem superat humanum captum & verò etiam Angelicum. Accedit verò quòd factus est homo & Christus propter dilectionem, qua nos ab aeterno dilexit. Charitas igitur illius, vel in ipsa sola incarnatione, omnem superat captum & cognitionem. Deinde accedunt reliqua omnia, quae ipsam incarnationem ad mortem usque consecuta sunt: infantilis imbecillitas, humanitas, familiaritas, φιλανθρωπία Filii Dei: ejusdem passio, mors, sepultura; & quidem omnia ex mera ejus erga nos charitate: erga nos (*inquam*) qui eramus inimici. Commendat autem Deus charitatem suam erga nos (*inquit Apostolus*) quòd, cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Locus igitur hic est insignis de aeterno, gratuito, immutabili & incomprehensibili amore Christi & Patris ejus erga nos.

Alterum membrum est, *de plenitudine Dei in nobis*: id est, de plena Dei in nobis habitatione, naturaeque ejus participatione, qua tandem ei fiamus quam simillimi. Hoc est enim impleri in omnem plenitudinem Dei. Haec impletio hîc habet initium, hîc etiam indies capit incrementum, sed in futuro seculo, post resurrectionem, suum accipiet complementum: juxta illud 1. *Cor*. 15. Erit Deus omnia in omnibus. Proinde, cùm haec sit ultima petitio Apostoli, quam precatus est Gentibus: non dubito, quin ad illam ultimam plenitudinem, perfectissimam consummatámque beatitudinem alluserit Paulus. Ut enim Ecclesia est πλήρωμα τοῦ Χριστοῦ, ut est c. 1.; sic Deus erit πλήρωμα totius Ecclesiae: quia Filius etiam, quatenus homo & caput Ecclesiae est, cum toto corpore suo mystico, id est, cum tota Ecclesia, subjicietur Deo Patri; & tunc Deus erit omnia in omnibus. Quare hîc etiam locum habemus de incremento regenerationis, qua indies magis ac magis fimus participes divinae naturae, donec tandem verè impleamur Deo: eóque & locum habeamus de aeterna beatitudine, cum (*scilicet*) Deus erit totus in nobis & nos in ipso, per Jesum Christum. Post quam particulam merito exclamat Apostolus, *Sit ei gloria*.

V. 20. & 21. *Ei vero, qui potest ultra omnia quae petimus, aut cogitamus, superabundanter facere secundum potentiam illam efficaciter operantem in nobis, sit gloria in Ecclesia, in Jesu Christo, in omnes generationes seculi seculorum, Amen.*

Duo in summa voluit concludere Apostolus hac δοξολογία. Unum, confidendum esse Deum preces hasce nostras exauditurum: ratio hujus primae propositionis ducitur tum ab ejus voluntate, tum ab ejus omnipotentia.

Deum velle haec suis Electis praestare, praeterquam quòd innumerabiles extant & certissimae promissiones, immensus quoque ipsius erga nos amor, in Christo copiosissimè & luculentissimè demonstratus, manifestè evincit. De hoc amore praecedenti egit versu. Quin igitur Deus velit omnia, quae ad salutem & felicitatem nostram aeternam pertinent, dubitari non potest, nisi ab illis, qui nec promissionibus credunt, nec de amore ejus & Christi, omnem cognitionem superante, persuasi sunt.

Eundem verò Deum posse haec praestare, praeterquam quòd sacrae literae omnes docent, quae eum praedicant omnipotentem, quisque etiam fidelis, si diligenter consideret opera Dei in seipso, concludere id ipsum manifestè potest: concludere (*inquam*) potest ab illa δυνάμει τοῦ Θεοῦ τῇ ἐνεργουμένῃ ἐν ἡμῖν, & quam

 ipse

ipse fidelis in se expertus est, Deum & posse facere, quae secundum ejus voluntatem petimus, & omninò facturum. Totum hoc quod de omnipotentia Dei dicimus, tradit hoc v. 20. ubi primùm de omnipotentia Dei in genere locutus est, cum dixit: Ei qui potest facere supra omnia quae petimus. Deinde de potentia actuali, ut vocant, quam in fidelibus exeruit & exerit, dicendo, καὶ τὴν δυνάμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν. Haec enim concludit etiam de voluntate Dei: quia quod incepit bonum opus in suis electis Deus, perficiet etiam usque in finem. Conclusio prima sequitur: Dubitandum igitur non est, quin Deus praestiturus sit haec omnia, quae petimus: cum sint res ad ipsius gloriam & ad salutem nostram pertinentes: eóque secundum ejus voluntatem a nobis petantur.

1. Observanda est haec conclusio cum tota hac Apostolica ratiocinatione, quia & certissima est & incredibilem affert consolationem conscientiis fidelium. Quod si excipias, non tamen haec omnibus praestari, & saepè nos haec petere, nec tamen obtinere: facilè respondeo, primum omnibus Electis praestari, neque de aliis intelligendas esse promissiones, aut quam hîc habet Apostolus ratiocinationem: ad fideles scribit, de quibus dixerat initio, *Elegit nos Deus in Christo.* Secundò, aio praestari haec omnia fidelibus electis. Sed quando & quomodo? Quando & quomodo Deo placet: suas habet rationes & consilia, cur non statim exaudiat nos; sed citra ullam dubitationem necesse tandem est, ut horum omnium, quae precatus est Apostolus, compotes electi fiant: quià Deus & vult & potest: voluntas ex amore concluditur: potentia, quia hoc est Dei proprium, ut sit omnipotens: & ideò ab hac omnipotentia illum descripsit hoc ver. 20. Atque haec de prima propositione. Quid hinc sequitur? Secunda propositio: nempe: *Sit ergo illi gloria.*

Quod c. 1. dixerat *Benedictus Deus:* hîc in fine hujus tractationis, ait, *Sit illi groria.* Conclusio igitur est, semper & ubique: immensas pro tot tantisque beneficiis gratias Deo agendas, Deúmque mente, lingua, tota denique vita glorificandum esse. Quid ita? initio c. 1. dixerat, Quià benedixit nos omni benedictione spirituali in supercoelestibus in Christo: hîc eandem praemisit rationem, sed fusius explicatam: quia, scilicet, elegit nos, redemit, vocavit, cúmque essemus filii irae, adoptavit in filios & contulit quaecunque hactenus habuimus beneficia, in c. 1. 2. 3. explicata; & ad extremum, quia (ut uno verbo concludat Apostolus) nos amavit in Christo amore omnem cognitionem & captum humanum superante, solúsque potens est nos in omnibus exaudire: sicut etiam hactenus suam exeruit in nobis potentiam, sua in nos beneficia largiter conferendo. Haec est altera in hac δοξολογίᾳ propositio & propositionis ratio, quam diximus: nempe: *glorificandum nobis esse Deum*, i. laudandum, celebrandum, praedicandum & quidem in Christo ac per Christum, non in Mose nec per Mosen. Et in Ecclesia (scilicet tota, per totum orbem diffusa, tam ex Gentibus quam ex Judaeis collecta :) & in omnes seculorum generationes *(id est in perpetuum)* Amen.

2. Hîc igitur brevem habemus locum de glorificando Deo, septem constantem capitibus, ex ipso contextu desumtis, quae modo paucis indicaturus sum, cum non sit necesse fusius explicare.

1. Quid sit illa gloria, de qua dicit, Sit ei gloria, & qua dicimur nos Deum

Deum glorificare: ac proinde quid sit glorificare Deum & quibus id fiat modis.

2. Quis sit glorificandus. Solus Deus, soli enim Deo deberi hanc gloriam, de qua hîc sermo est.

3. Quamobrem sit & quidem solus glorificandus. Quia solus etiam, non Moses aut quispiam alius, & amat nos amore immenso omnémque cognitionem superante, & solus potest omnia quae petimus & multa etiam plura praestare: imò quia etiam solus efficaciter jam in nobis operatur salutem, ideò ait, gloria sit ei, qui potest ultra omnia κατά τὴν δυνάμιν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν.

4. In quo sit glorificandus, seu in quemnam sint nobis defigendi mentis oculi, cum volumus Deum glorificare. In eo & per eum glorificandus est, in quo etiam solo nos amavit & elegit, per quem solum nos redemit, vocat, justificat, salutem in nobis operatur & demum glorificaturus est in coelo. Hic est Jesus Christus. Ideò ait, *In Christo Jesu.*

5. Ubinam glorificandus est & à quibus? In Ecclesia tota, ubique terrarum diffusa & tam ex Gentibus quam ex Judaeis constante: ac proinde à singulis fidelibus, quicumque illi sint & ubicunque locorum sint: ideò ait, In Ecclesia, eóque ab iis, qui sunt in Ecclesia, exemplo Pauli, qui & ipse existens in Ecclesia & de Ecclesia, glorificabat Deum.

6. Quando & quousque glorificandus? Nunc, & in sempiternum. Ideò ait, in omnes generationes seu aetates seculi seculorum.

7. Non solum nos glorificare debemus Deum, sed etiam toto corde optare, ut ab omnibus & ubique & semper hoc modo glorificetur. Ideò subjecit particulam, Amen.

8. His additur octavum, de causa finali cur sit glorificandus Deus & de effectu hujus glorificationis.

1. Ad primum quod attinet, quae sit ista gloria, qua glorificandus est Deus, ac proindè quid sit glorificare Deum, Paulus suo exemplo docet. Hanc gloriam, & laudem ac honorem tribuit Deo in tota hac Epistola, quod is solus ex mera sua gratia, caritate, propositóque aeterno, sine operibus meritísve nostris, in Christo tanquam capite nostro nos amavit, elegit, redemit, justificavit, servavit & jam sedere fecit in coelestibus cum ipso, aeterna gloria nos quoque re ipsa tandem coronaturus; & hunc etiam solum esse, qui id & velit & possit praestare praestiturúsque sit.

Hanc Dei gratiam, hanc immensam ejus bonitatem, φιλανθρωπίαν, divitias gloriae & misericordiae ejus praedicando, solíque ei salutem nostram acceptam ferendo, Deum glorificavit, id est, laudavit, celebravit & celebrandum omnibus proposuit Apostolus. Id verò fecit non solùm verbis, verum etiam animo grato totóque pectore: non autem sicut populus hypocriticus, de quo apud Jes. 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Nec corde & lingua tantùm glorificavit Deum, sed etiam vita & cruce, propter gloriam Dei, tolerantia constantiáque in fide. Gloria igitur, quae danda est Deo & qua à nobis est glorificandus, est laus & honor, quem illi debemus, & celebratio ac praedicatio bonitatis ipsius, eáque sincera ac constans & ex puro corde profecta: sanctitas item vitae, ac obedientia mandatorum ejus, & constantia in fide usque ad mortem confirmata & obsignata. Et sic Augustinus definivit gloriam esse

fré-

fréquentem de aliquo famam cum laude. Itaque glorificare Deum est, eum talem, qualis est, ex animo, verbis & lingua praedicare, & praedicationem nostram perpetua vitae sanctitate & patientia in adversis confirmare. Glorificate (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 6.) Deum in corpore vestro. Contrà ait, Deum per nos blasphemari, cùm sceleratè vivimus. Hoc primum erat explicandum; reliqua sunt per se nota.

2. Ad secundum igitur quod attinet: solus Deus est glorificandus, & haec gloria illi soli debetur. Deum ergò ignominia afficit, qui alii quam ipsi salutem suam fert acceptam, qui alium invocat, qui alium pro suo agnoscit servatore, vel etiam qui eum facit ex dimidiato tantùm, non autem perfectum & in solo Christo servatorem.

3. Atque haec est ratio, cur solus sit glorificandus: *quia solus elegit nos, solus amavit ad aeternam vitam, solus denique servat nos.*

4. Sicut autem in solo Christo & per solum Christum haec omnia fecit facit & facturus est: sic etiam in solum Christum defigendi nobis sunt oculi, cùm Deum volumus glorificare: *in Filio enim est Pater, & in Christo Mediatore habetur plenitudo Deitatis, & Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

5. In sola verò Ecclesia verè glorificari potest: ratio, quia in ea etiam sola Deus verè cognoscitur & ejus beneficia. Quare & à solis verè fidelibus glorificatur, qui vivâ fide credunt in Deum & in Jesum Christum. Hypocritarum laus Deo grata non est: nec ab illis vult glorificari tali, id est, hypocritica gloria, Jes. 1.

6. Perpetua porrò debet esse haec laus & glorificatio, quia perpetua etiam sunt Dei in nos beneficia. *Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ideò scopus Apostoli in hac Epistola fuit adhortari ad hanc perseverantiam.

7. Optarè etiam debemus, ut ab omnibus & ubique & semper agnoscatur, glorificetur.

8. Solus est enim dignus hâc gloriâ, & hanc requirit à nobis solam pro tot beneficiis. *Huic igitur soli sit omnis laus & gloria.*

Ex

EX CAP. III AD EPHESIOS LOCI

LOCUS PRIMUS.

DE PERSEVERANTIA SANCTORUM IN FIDE, JUXTA

doctrinam Apostoli vers. 13. Quapropter rogo ne deficiatis, &c.

Perseverare debent sancti constanter in fide Christi veraque pietate, juxta doctrinam Apostolorum, in finem usque vitae; versu 13. Obsecro ne deficiatis, &c.

2. Est enim perseverantia haec ad salutem necessaria, vers. 19. ut impleamini in omnem illam plenitudinem Dei. *Matth.* 20. Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

3. Consistit autem haec constans perseverantia in ipsa potissimum voluntate, spirituque renovato: ita ut qui constantem habet voluntatem perseverandi, is perseverare dicatur: versu 16. Det vobis ut corroboremini in interiori homine. Et v. 17. Et ut Christus habitet in cordibus vestris. Augustinus idem confirmat ex verbis Domini Jer. 31. Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me. Tom. 7. .de bono pers. c. 2. Item de Corr. & gratia, cap. 7. Item cap. 11. & deinceps: Datur nobis ut velimus perseverare, Adae ut posset.

4. Etsi verò sancti non possunt suis viribus & per se ipsi perseverare: possunt tamen per Dei gratiam, ver. 20. Ei autem qui potest, ultra omnia quae petimus aut cogitamus, superabundanter facere &c. Et Paulus ipse, adeóque sancti omnes, per hanc gratiam perseverarunt: ver. 1. Hujus rei gratia Ego Paulus vinctus ille Jesu Christi &c. Phil. 4. 14. Omnia possum in eo, qui me corroborat, Christo.

5. Est enim perseverantia singulare Dei donum; vers. 14. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri &c. det vobis ut corroboremini per Spiritum suum in interiori homine. Ideo enim hanc precabatur à Domino, quia sciebat donum illius esse. Phil. 1. 29. Vobis donatum est per Christum, non solum ut credatis, sed etiam ut patiamini pro illo. Heb. 12. Aspicientes in autorem fidei & consummatorem Jesum.

6. Etsi verò Dei donum est perseverantia: ad eam tamen obtinendam vanae non sunt aut inefficaces in Electis admonitiones, adhortationes, correctiones, studia bonorum operum, invocatio Dei & precationes, ver. 13. hortatur, multis antea allatis argumentis & vers. 14. eam precatur Ephesiis à Deo. De hoc Augustinus Tom. 7. de corr. & gratia, per totum.

7. Solet enim Deus, sicut fidei, sic etiam perseverantiae donum per haec media in multis excitare nobísque largiri, Rom. 10. Fides ex auditu. Et hîc versu 20. Potest super omnia, quae petimus, facere. Ephes. 5. Christus purgat Ecclesiam lavacro aquae & sistit eam gloriosam.

8. Per hanc porrò Dei gratiam sancti non solum possunt, si velint perseverare in fide; verum etiam volunt. Ac proinde perseverantiae donum consecuti, re ipsa perseverant in finem usque: ita ut neque perire possint, neque fidem penitus amittere permittantur.

Haec θέσις diligentius est confirmanda ex hac Epistola inprimis. Benedixit nobis electis & credentibus in Christum omni spirituali benedictione: cap 1. ver. 3. Ergo & dono perseverantiae. Est enim talis inter benedictiones divinas spiritualis benedictio, ut citra hanc reliquae nihil prosint: sed ad majorem faciant condemnationem. Oportet igitur omnes benedictos in Christo dono etiam perseverantiae benedici & affici. Elegit nos ut essemus sancti & inculpati coram ipso: ver. 4. Ergo pro talibus suos electos in Christum credentes semper agnoscit & habet.

Adoptavit item in filios pro beneplacito voluntatis suae. vers. 5. Est autem illud beneplacitum immutabile, quia non aliunde est quam à voluntate Dei; nihil igitur adoptionem hanc, quin ad finem usque continuetur, impedire potest, Deo nos servante ac custodiente, tanquam parente filios.

Gratos (id est, caros) nos sibi reddidit in Filio suo, ídque pro sua gratia, vers. 6. Grati igitur semper ei sumus in Christo, quotquot in ipso etiam sumus electi donatíque fide.

Redemtionem sumus in Christo consecuti remissionemque peccatorum, secundum divitias gratiae ipsius, ver. 7. Qui verò remissionem peccatorum consecuti sunt, ii sunt justificati: quos autem Deus justificavit, eos & glorificat: Rom. 8.

In Christo sortem consecuti sumus coelestis haereditatis, ídque quia praedestinati ad illam fuimus secundum propositum voluntatis ipsius: vers. 11. Excidere igitur illâ non possunt Electi: quare perseverent in fide necesse est.

Postquam (semel) credidimus in Christum, obsignati fuimus Spiritu promissionis Sancto: ver. 13. Haec autem obsignatio nulla re deleri potest, quin Deus pro suis agnoscat, quos suo Spir. obsignavit. Sicut enim, qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. Sic, qui habet ejus est. Confirmatur haec ratio. Quia is Spiritus (in nobis inhabitans) est arrhabo haereditatis nostrae, dum in libertatem vindicemur (id est, perpetuus usque ad plenam haereditatis possessionem) ver. 14. Ergo &c.

Certa est spes vocationis nostrae (id est, ejus haereditatis, ad quam vocavit nos Deus: v. 18) Qui ergo jam verè credunt in Christum, ii tandem consequantur haereditatem istam necesse est; non possunt autem consequi, nisi in fide perseverent.

In eos qui credunt efficaciter sese exerit potentia Dei: v. 19. Qui igitur semel crediderunt vera fide in Christum, eos nunquam deserit efficax Dei potentia: quare nec sinit perire, eóque nec destitui fide ac Spiritu Christi.

Singuli fideles membra sunt Christi, & ad πλήρωμα Christi pertinent, v. 21. 22. Christus autem nunquam volet suis carere membris & mutilum habere corpus. Non potest igitur aliquis verus esse fidelis & membrum Christi, qui non in fide perseveret & in coelo futurus sit cum Christo.

Omnes hae rationes ex primo capite, idque breviter & pingui *(ut aiunt)* Minerva. Nunc ex secundo capite.

A gratuita vivificatione & salute: cùm essemus mortui in peccatis & inimici Dei filiique irae, nos tamen Deus ipse propter multam charitatem, qua dilexit nos, & secundum divitias gratiae suae vivificavit in Christo: nunc igitur vivificatos multo magis in vita & fide servabit usque in finem.

Huc illud ad Rom. 5 facit. Si, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus; multò magis, nunc reconciliati, salvi erimus ab ira in vita ipsius.

A gratuita fidei dono. Cum omnino infideles essemus nullámque haberemus spem salutis, Deus pro sua misericordia donavit nos fide, & per hanc gratia nos servavit, non ex operibus, ne quis glorietur: ver. 8. 9. Ergo nunc ,donatam fidem per eandem suam misericordiam & non ex operibus nostris, in nobis servabit in finem usque, ne gratia excidamus, qua servati sumus.

A gratuita regeneratione, Ipsius Dei factura sumus, *id est* nova creatura, conditi in Christo ad bona opera, quae etiam praeparavit ac praeparat in nobis, ut in iis ambulemus: v. 10. Regeneratio autem semel fit, indies verò reginiti adolescunt in virum perfectum c. 4. v. 13. In fide ergo custodiuntur Electi. Et qui in eis praeparat bona opera, dat etiam ut in eis ambulent. Quare licet inter ambulandum prolabantur nonnunquam ex imbecillitate carnis; non colliduntur tamen nec pereunt, quia Dominus supponit manum suam & sublevat.

Ab insitione in Christo & exaedificatione super fundamentum Apostolorum, *id est*, super Christum, juxta doctrinam Apostolorum. In Christo fundamento totum aedificium congruenter coagmentatum est in templum sanctum Domino: ver. 21. Ergo, quicunque super Christum, juxta doctrinam Apostolorum, verè per Spiritum Sanctum exstructus est: tantum abest, ut à fundamento avelli sinatur, ut potius incrementum capiat, Christo ipso illum vivificante atque fovente. Fides ergo penitus deficere non potest eum, qui in Christum fundatus est.

Ex cap. tertio.

A precibus Sanctorum totiúsque Ecclesiae. Hujus rei causa, ne, *scilicet*, deficiat fides nostra, sed ut crescamus in templum sanctum Domino, & ut corroboremur in interiori homine per Spiritum Sanctum, & ut Christus habitet per fidem in cordibus nostris, Paulus precatus est Deum, ver. 14. & deinceps: imò tota Ecclesia & quisque fidelis dicat: *Pater noster &c.* Sanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua *&c.* remitte nobis debita nostra, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: Omnibus enim iis petitionibus *(ut rectè Cyprianus exponit)* donum perseverantiae postulatur. Deus autem Ecclesiae preces pro Electis, ex Dei voluntate fusas, exaudit: tùm quia vult, propter amorem omnium cogitationem superantem, quo nos in Christo complectitur, v. 19., tum quia potest ultra etiam ea, quae petimus, superabundanter facere. v. 20. Ergo electi fideles & per Spiritum Sanctum corroborantur in interiore homine, & fidem retinent, per quam Christus inhabitat in cordibus eorum.

A potentia Dei, in nobis efficaciter operante. Deus in suis Electis fidelibus operatur: vers. 20. & *Phil.* 3. Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona sua voluntate. *Item*, Dat timorem in corda nostra, ut non recedamus ab eo *Jer.* 32 v. 40. Perseverantiae donum qui consequuntur omnes sunt Electi.

Ex cap. quarto Locus insignis.

A fine, cur Christus verbi ministerium in Ecclesia instituerit: Ad coagmentationem Sanctorum & aedificationem corporis Christi, donec evadamus omnes in unitatem fidei & agnitionem filii Dei in virum perfectum, in mensuram staturae adulti Christi: ut non ampliùs simus pueri, sed veritatem sectantes cum charitate adolescamus in illum, qui est caput, Christum: Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius exstructionem per charitatem, v. 12. 13. 14. 15. 16.

Ab obsignatione Spiritus Sancti argumentum repititur, quod etiam in primo capite attulerat. Ne contristetis Spiritum illum Sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis: vers. 30. Docet enim primo Spiritum Sanctum inhabitare in nobis tanquam in suo domicilio: unde & templum Spiritus Sancti vocamur in Epistola ad Corinth. De suo autem templo ait Dominus, 1. *Reg.* 9. Templum sanctificavi, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum. Secundo docet Spiritum hunc perpetuò inhabitare in nobis, quia usque ad diem (secundae perfectaeque) redemtionis.

Ex cap. quinto.

A conjugio Christi cum Ecclesia. Qui diligit uxorem suam seipsum diligit. Nullus unquam carnem suam odio habuit. Sed nutrit ac fovet eam, sicut & Dominus Ecclesiam; membra enim sumus corporis ejus, ex carne ejus & ex ossibus ejus: *ver.* 28. 29. 30.

Argumentum hoc à conjugio ductum confirmatur *Hos.* 2. Desponsabo te mihi in perpetuum in justitia & judicio & in misericordia; desponsabo te mihi in fide &c. Perpetuum igitur est conjugium Christi cum Ecclesia & cum singulis veris Ecclesiae membris: nec sinit, quod Deus Pater conjunxit, illud per hominem separari. Atque haec testimonia Apostoli in hac Epistola ad Eph. de hac re satis sunto. Plenae verò sunt scripturae talium testimoniorum, quae brevitatis causa in praesentia omittuntur.

9. Sed neque aliter docuerunt Patres, quàm Electos vera fide donatos, qua Christo inseruntur, dono etiam perseverantiae donari, qua in Christo maneant usque ad mortem, & per illum in aeternae vitae possessionem introducantur. Quorundam testimonia tantùm indicabo.

Augustinus totus noster est: praeter alia legatur in Tom. 7. de Corr. & gratia c. 11. Et sententiam confirmat illo Christi dicto, *Joh.* 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum adferatis, & fructus

fructus vester maneat. *Item* illo Apostoli, Rom. 11. Sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei: vocatio, *scilicet*, qua vocantur Electi. Passim verò urget illud Jer. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me. Et illud Christi, Luc. 22. Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Déque omnibus verè fidelibus dictum hoc esse intelligendum docet. Et praeter alia dicit: ipse ergò facit eos *(electos)* perseverare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt & pereunt, in praedestinatorum numero non fuerunt.

Ambrosius in Epistolam ad Rom. cap. 8 in ea verba: Nam quos praescivit, eos & praedestinavit, &c. Hi *(inquit)* qui credere videntur & non permanent in fide coepta, à Deo electi negantur: quia quos Deus elegit, apud se (pro apud eum) permanent. *Item*, quos praedestinavit, credentes permanent, quia aliter fieri non potest.

Chrysost. in cap. 5. ad Rom. exponens verba illa, *δὶ οὗ καὶ τήν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει, εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ᾗ ἑστήκαμεν*: perpendit illud verbum *ἑστήκαμεν* & ait: & benè dixit, in qua stamus: talis enim Dei gratia non habet finem, non novit terminum.

Primasius Uticensis Episcopus, qui eodem tempore quo & Augustinus in Africa docuit, in 1. Cor. 2. in ea verba: Ut fides vestra sit, non in sapientia hominum, sed in virtute Dei: illa (inquit) fides permanet, quae per Dei virtutem est collata in hominem.

D. Prosper. Rheg. Episcopus, discipulus Augustini, de vita contemplativa, lib. 8. c. 18. ait, caritatem jungere Deo homines inseparabiliter. Qui igitur vera fide, quae per charitatem efficax est, Deo juncti sunt, inseparabiliter juncti sunt.

Gregorius primus Tom. 2. in Ezech. c. 1. hom. 3 in ea verba, Et cum incederent, non revertebantur: negat electis contingere, ut ad mala revertantur, postquam semel coeperunt verè sequi Christum. Eandem tradit doctrinam homil. 5. & ait apertè, Spiritum Sanctum in Electorum cordibus permanere: In illis virtutibus (inquit, id est, quoad illas virtutes) sine quibus ad vitam minimè pervenitur, qualis sunt Fides, Spes, Charitas. Et Tom 1. moralium lib. 2. c. 28. & 29. idem planè docet, Spiritum Sanctum in omnibus Electis semper manere, in iis donis (id est, quoad haec dona) sine quibus ad vitam perveniri non potest; & affert dictum Christi, *Johan.* 14. Spiritus Sanctus apud vos erit, & in vobis manebit.

Beda Presbyter in Evang. Joh. cap. 1. exponens verba illa: Super quem videritis Spiritum descendentem & manentem super eum, ait: Spiritum Sanctum in Electis partim manere in aeternum: partim rediturum secedere: manere in aeternum quoad virtutes, sine quibus servari non possumus: Secedere ad tempus, quoad alia dona: Sed super Christum quoad omnia permanere.

D. Bernardus, si quisquam alius, divinam hanc explicat doctrinam passim in suis libris: maximè verò in libro de natura & dignitate amoris divini c. 5. & 6. Docet ibi in summa, veram charitatem nunquam deficere, juxta illud Apostoli, *Charitas nunquam excidit:* 1. Cor. 13. licet quandòque titubet, vel deviet *(ut ipse loquitur)* affectionis vel operis effectus.

Eandem doctrinam secuti sunt nostri plerique omnes: de verè piis & doctis loquor. Nam neque Philippus *(cujus tamen scriptis maximè nituntur indocti adver-*

adversarii) si quis omnia ejus scripta diligenter expendat, aliter sensit, quam quod & verbo Dei probavimus, & testimoniis Patrum confirmavimus: nimirum, Electos vera & viva fide donatos ac verè regenitos Christóque insitos, non excidere prorsus à fide, nec amittere penitus Spiritum Sanctum: ídque propter promissionem divinam. Jer. 32. *Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me;* & propter precationem Christi, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Neque enim ignoravit pius & doctus vir discrimen inter fidem temporariorum & Electorum: illam, *scilicet*, esse temporariam, hanc autem perpetuam: eóque illam esse hypocriticam & mortuam, hanc autem veram & vivam. *Deinde* non latuit sanctum Dei servum, aliud esse, peccare ex ignorantia aut ex imbecillitate fidei, quod in ipsos etiam cadit Electos; & aliud, peccare ex destinata malitia totóque animo, id quod reproborum proprium est. Unde sequitur, non eodem prorsus modo fidem ac Spiritum Sanctum propter peccata in Electis & in hypocritis amitti: quia in Electis quoad quaedam effecta, in hypocritis omnino tollitur. *Ita tertio* ignotum non fuit D. Philippo, aliud esse, fidem in aliquo penitus extingui, & aliud eam suffocari, item funditus convelli & labefactari, quorum unum proprium est reproborum, alterum Electis etiam contingit.

His tribus observatis distinctionibus, facilè, quae D. Philippus contra sententiam sacrarum literarum & Patrum doctorúmque nostri seculi virorum scripsisse videtur, conciliari possunt. Et quaenam fuerit optimi viri sententia, imperiti doctores doceri poterunt. Adde jam, quod Philippus de duobus tantum hominum generibus contendit, eos excidere gratia, amittere Spiritum Sanctum & fidem: nimirum securos ac contemtores Dei & desperatos: legatur in 1. Cor. 10. in ea verba, *Fidelis Deus, qui non sinit nos tentari, &c.* Electi autem renati in neutro genere collocari possunt, neque Deum contemnunt, neque de ejus misericordia desperant unquam. *Hinc sequitur:*

10. Etsi verò perseverare sanctos per gratiam Dei in fide praedicamus: non propterea tamen illos aut peccare & quidem saepe etiam graviter, aut quantum in ipsis est gratia excidere & fidem amittere negamus. Sed tantum eos neque ex destinata malitia totóque animo peccare, neque fidem penitus amittere, Spiritúque Sancto prorsus destitui, cum sacris literis & cum sanctis Patribus docemus.

1. Joh. 3. *Qui natus est ex Deo non peccat, nec potest peccare* (toto scilicet animo plenáque voluntate) quid ita? quia, inquit, semen Dei manet in illo. *Mente enim serviunt legi Dei, carne autem legi peccati:* Rom 7.

Gravissima fuerunt scelera Davidis & Petri, quibus iram Dei adversus se provocarunt: & propter quae scelera digni fuerunt aeterna morte. Sed Deus manu suae misericordiae eos retinuit, ut non vel toto corde peccarint, vel totam fidem amiserint, totámve spem & Dei dilectionem, juxta illud *Justus cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam:* Id quod resipiscentia in ipsis paulò post excitata luculenter demonstravit. Fuerat fides in utroque labefactata, sed non è cordibus penitus evulsa; & fuit ceu ignis sub cineribus suffocatus, sed non prorsus extinctus; & deliquium magnum passa est, sed non mortua. Quod dico, confirmant Patres & doctíssimi quique ac pii viri de Petri fide, eam non defecisse.

Tertull.

Tertull. lib. de fuga testificatur, pap. 540, ait enim fuisse concussam à diabolo, sed protectam à Deo propter intercessionem filii, de qua: *Rogavi pro te Petre,* &c.

August, Tom. 7 de Corr. & gratia c. 6. Item. cap. 7. *Col.* 13. 34. Quid moliturus es *(inquit)* contra verba dicentis, *Rogavi pro te*, *Petre*, *ut non deficiat fides tua?* An audebis dicere, etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, *hoc est*, si eam usque ad finem perseverare noluisset? quasi aliud Petrus ullo modo vellet (*l. voluisset)*, quam pro illo Christus rogasset ut vellet. Nam quis ignorat, tum fuisse perituram Petri fidem, si ea quae fidelis erat voluntas, ipsa deficeret *(pro defecisset)*, & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia praeparatur voluntas à Domino, ideo pro illo non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam fortissimam invictissimam perseverantissimam voluntatem? Haec Augustinus. Ex quibus θέσεως etiam nostrae confirmationem habemus: nimirum perseverantiam in ipsa voluntate consistere. Chrysost. Tom. 2. in Mat. c. 20. hom. 83. ait, Christum pro Petro rogasse, ne fides ejus evanesceret, neque Petrum negaturum Christum, si Christus pro eo rogasset ne se negaret: Ideò igitur fidem non defecisse, quia Christus rogavit ne deficeret. Subscribit Theophil. in Luc. c. 22. in haec verba. Rogavi ergò (inquit) ut ne deficiat fides tua. Etsi enim ad modicum tempus concutiendus est habet tamen insita fidei semina. Et si folia dejiciet spiritus *(id est ventus)* tentatoris, tamen radix vivit, & non deficiet fides tua.

Item scriptum reliquit de fide Petri Leo primus, in sermone de passione Domini. Et Gregorius primus in Joh. cap. 34.

Bernardus lib. de natura & dignit. amoris divini, c. 6. Petrus (inquit) cùm peccavit, charitatem non amisit: quia peccavit potiùs in veritatem quàm in charitatem, cùm se non esse mentitus est in ore, cujus totus erat in corde: ideóque negationem falsitatis continuò lacrymis lavit veritas charitatis. Haec Bernardus.

De Davide idem scribunt, quod etiam de Petro. Audiamus eundem D. Bernardum eodem libro & capite, totius Ecclesiae nomine scribentem sic: & David *(inquit)* cùm peccavit, charitatem non perdidit, sed obstupuit quodammodo in eo charitas ad vehementem tentatoris ictum: & charitatis nequaquam in eo facta est abolitio, sed quasi quaedam separatio: quae mox, ut ad vocem arguentis Prophetae evigilavit, continuò in illam ardentissimae charitatis confessionem erupit: peccavi Domine; & continuò audire meruit, Dominus transtulit à te peccatum tuum. Haec Bernardus de Davide.

De omnibus autem electis verè fidelibus & sanctis ibidem, cap. 5. & 6. manifestè concludit, distinctione facta inter affectum & affectionem. Affectus est (inquit) qui generali quadam potentia & virtute firma & stabili mentem possidet, quam per gratiam obtinuit. Affectiones verò sunt, quas varias varius rerum & temporum affert eventus. Infirmitas enim carnis ex vitio primae originis saepè offendit, saepè cadit, saepe laedit graviter & laeditur: mente interius dolente & patiente potius, quàm agente quod perperam foris geri-

geritur, nec charitatem perdente, sed ex charitate gemente & clamante ad Deum. Infelix ego homo, quis me liberabit ex isto corpore mortis? Unde dicit Apostolus, mente servio legi Dei, carne autem legi peccati; & rursus, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Haec ille.

Et statim hanc confirmat doctrinam dicto 1. *Joh.* 3. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat & non potest peccare, quia semen Dei manet in illo. Et mox subdit exemplum Petri & Davidis, de quibus diximus.

Bucerus *(ut de aliis taceam)* cùm alibi, tum praesertim ad Rom. in cap. 7. diligentissimè hoc tractat argumentum; & de Petro atque Davide, cum peccarunt, eadem tradit, quae etiam ante illum Patres.

Stat igitur sententia, iis tribus constans membris: *Primum* quidem sanctorum Electorum fidem diversam esse à fide hypocritarum, quòd horum sit mortua & temporaria, illorum autem perpetua & viva. *Deinde* sanctos peccare, non ex destinata malitia totáque voluntate & ex animo, ut reprobri hypocritae, sed ex ignorantia & imbecillitate. Ut enim magnum discrimen est inter fidem illorum & istorum: sic etiam est inter ipsorum peccata. *Tertiò*, ac proinde, cum Electi peccant, illorum fidem concuti quidem *(ut ait Tertullian.)* sed non excuti: labefactari, sed non funditus everti: obrui & suffocari, sed non prorsus extingui; deliquium pati, sed non penitus mori; radice illius intus in Spiritu vivente, quamvis, instar arboris fructibus & foliis media hyeme exutae, mortua esse videatur, cùm revera non sit.

Qua triplici distinctione omnia fermè argumenta adversariorum refutari facilè possunt.

11. Infirmatur autem fides Electorum, *primùm*, ex omissione eorum, quibus fides gignitur in cordibus nostris, augetur, excitatur, fovetur, permovetur; & deinde commissione contrariorum, quibuscum vera fides cohaerere & subsistere non potest. Gignitur autem fovetur & promovetur fides auditu verbi, *Rom.* 10. participatione Sacramentorum, *Ephes.* 5. 1. *Cor.* 11.; studio bonorum operum, bonaeque conscientiae retinendae. 1. *Tim.* 1.; exercitio donorum Spiritus 2. *Tim* 1.; memoria beneficiorum Dei; itidem, sanctis colloquiis, admonitionibus, correctionibus, assiduis precibus. Sicut ergo corpus languescat & infirmetur necesse est, si cibum sumere neglígas, si non dormias, si non exerceas te & corpus moveas. & reliqua, quibus vita & vires sustentantur, omittas; sic etiam fides imbecillior fiat & languidior necesse est, si quibus illa foveri debet & potest, à nobis negligantur. Si verò contraria quoque addas, hoc est, ea etiam quae Deus fieri vetat, admittas: quantus futurus est fidei non tam languor, quàm morbus? ad interitum procul dubio spectabit. Sed Deus hoc fieri non patitur in suis Electis. Mittit enim flagella, quibus compescantur, mittit Prophetas, qui arguant, mittit Spiritum suum, qui in eis efficaciter operetur, arcendo à malo, excitando ad bonum, mortificando veterem hominem, vivificando novum: atque ita fidem servet atque foveat. Ergò ad fidem servandam bonam conscientiam retinere oportet: qua & à malo abstineamus & quae bona sunt, in ea facienda incumbamus, juxta Apostoli praeceptum, Retine fidem & bonam conscientiam: qua repulsa, nonnulli naufragium fecerunt fidei. 1. *Tom.* 1. Quia verò Spiritus Sancti operâ conservatur & augetur fides,

fides, ut Apostolus docet, dicens: Det vobis corroborari in interiore homine per Spiritum Sanctum: Idcircò precibus maximè opus est, ut Deus in nobis servet & augeat fidem in finem usque, quemadmodum & Apostolus, post explicatam doctrinam & habitam adhortationem, in hac facit Epistola.

12. Caeterùm oratio nostra inefficax fuerit nisi ex fide fiat: qua quisque nostrum se ex numero esse in Christo electorum, ac proinde suas preces exauditum iri à Deo, certò habeat persuasum. Nam Paulus quoque ex hac fide suas ad Patrem preces pro Ephesiis ut in fide conservarentur, per quam Christus perpetuò in illorum cordibus habitaret, summo cum ardore charitatis effudit.

13. Est autem usus hujus doctrinae perutilis ac pernecessarius in Ecclesia Christi. *Primum*, ut veritas promissionum divinarum de perseverantia sanctorum in fide in cordibus nostris stabiliatur: qualis est illa, Jer. 32. Dabo timorem meum in cordibus eorum, ut non recedant à me. Item illa Christi, nemo potest rapere oves meas de manu mea. Item, Sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei; & aliae hujus generis infinitae.

Secundò, ut efficacitas intercessionis Christi firma retineatur: qui pro fide non solùm Petri, sed cujusvis Electi oravit, ne deficiat: *scilicet*, unquam, etiamsi exagitanda sit à Diabolo. Neque enim valet exceptio si dicas, ne deficiat finaliter: quando Christus simpliciter de fide semel Petro donata locutus est, ne ea deficeret: non autem precatus est ut, si ea deficeret, alia finaliter ei donaretur. Et Patres de prima fide Petri verba Christi interpretantur, eámque dicunt concussam quidem fuisse à Satana, sed non excussam.

Tertiò, scopus omnium scripturarum & Evangelii est, ut certi fiamus de aeterna salute nostra, non propter merita nostra, sed duntaxat propter immensam, gratuitam, aeternam, atque immutabilem erga nos Dei in Christo dilectionem ac misericordiam & propter eam, quae hinc consecuta est Christi obedientiam, redemtionem, merita, intercessionem, fide à nobis apprehensam. Ad fulciendam autem & sustentandam firmámque retinendam hanc fidem, quid magis non dico conducit, sed planè necessarium est, quam ut certò persuasus sis, te ex numero esse Electorum, eóque fidem, qua donatus es semel, veram & perpetuam esse, qua fiat ut nunquam à capite Christo avellaris, avellive possis? nam nemo rapere potest oves Christi è manibus ejus: *Joh.* 10. Certè si fidelis excidere penitus potest à fide, certus de sua salute esse non poterit. Proinde qui illud credit, *id est*, qui credit se deficere posse à Christo, is se non verè in Christum credere testificatur.

Quartò, Nihil etiam ad cor amore Dei & Christi inflammandum efficacius est hac doctrina, qua credimus, ita nos amari à Deo & à Christo, amore, *scilicet*, non solum gratuito & immenso, verùm etiam constanti & immutabili & sempiterno, ut hujusce rei testimonium, lucem quoque fidei in mentibus nostris & ignem charitatis in cordibus nostris à se accensum, nolit penitus extingui. Sed sicut lucem & ignem in sanctuario, sic aliquid semper fidei & dilectionis in nobis, qui sumus templum ejus, perpetuò lucere & ardere velit; & quod hanc ob causam nos suo Spiritu custodiat, ne talia admittamus scelera, quibuscum fides subsistere nequit. Sed etsi quid ex imbecillitate fidei,

&

& infirmitate carnis peccamus, illud resipiscentia in nobis excitata per suam gratiam tollere ac condonare, Spiritum in nobis innovare, fidem reaccendere, & laetitiam salutarem restituere, Spiritúque suo Sancto nos in Christo confirmare decreverit: quemadmodum & se facturum promisit & in sanctis suis illum fecisse legimus. Quid hac persuasione de amore Dei erga nos immutabili nos ad illum vicissim constanter redamandum efficacius accendere potest?

Denique doctrina haec, de Perseverantia sanctorum in fide, propter remissionem Dei illiúsque erga nos amorem, & propter Christi merita atque intercessionem, ea res est, quae una nos in omni afflictionum genere, in omnibus Satanae tentationibus, in ipso denique agone mortis consolatur, anchoram spei firmam retinet, fortes nos reddit, superiores efficit, atque ut tandem ex omnibus adversis, malis, periculis felices eluctemur praestat. Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Quae fides? Qua credimus Deum propter Christum talem nobis factum esse Patrem, qui & peccata omnia semper condonet, & suo Spiritu nos semper regat, & sua gratia nos nunquam deserat, & sua manu nos semper protegat, & lapsos ubique nos sublevet, & denique in nobis, tanquam in suo sanctuario, semper inhabitet, unà cum Filio & cum Spiritu suo Sancto: juxtra promissionem, Inhabitabo & inambulabo in eis: cui sit gloria in sempiternum.

Loci aliquot alii ex hoc capite sese offerunt explicandos, qui nondum à nobis fuerunt hac in schola pertractati, veluti Locus de Cruce & de Martyrio ex vers. 1. Sed partim aliquid dictum est de afflictione in explicatione contextus. Veluti etiam locus est de ministerio Verbi seu Ecclesiastico, ex v. 2. & aliis. Sed de hoc in cap. 4. Deo volente, ubi ex professo de hoc agitur.

Locus item de revelationibus, ex vers. 3. 5., de quo libenter dixissem, praesertim propter fatanicos, qui jactant revelationes, nisi temporis angustia impedimento esset.

Item locus de vocatione Gentium: déque illarum cum Judaeis in unum corpus consociatione, ex v. 6., & ita de Ecclesia Catholica v. 15 & 18.

Locus de cognitione Angelorum & quomodo aliquid discere possint, praesertim ex hominibus v. 10.

Locus quoque de habitatione Christi in nobis, v. 17.

Locus de amore Christi & Dei Patris in Christo erga nos, v. 19.

De omnipotentia Dei, v. 20.

Sed de hac diximus, quantum satis esse judicavimus, in lib. de Natura Dei. Ad textum capitis 4. ergo accedamus.